ANTHOLOGIA

VETERUM LATINORUM

EPIGRAMMATUM ET POEMATUM.

EDITIONEM BURMANNIANAM

DIGESSIT ET AUXIT

HENRICUS MEYERUS

TURICENSIS.

TOMUS II.

Da tagliarsi questa copertina

LIPSIAE,

APUD GERHARDUM FLEISCHERUM 1835.

IN COMMISSIS APUD AD. FROHBERGER.

[illegible]

ANTHOLOGIA
VETERUM LATINORUM
EPIGRAMMATUM ET POEMATUM

SIVE

CATALECTA POETARUM LATINORUM.

Epigrammata Saturnia.

1.

Cornelius Lucius Scipio Barbatus,
Gnaivod patre prognatus, fortis vir sapiensque,
Quoius forma virtutei parisuma fuit,
Consol censor aidilis quei fuit apud vos,
Taurasia Cisauna Samnio cepit
Subigit omne Loucana
Opsidesque abdoucit.

2.

L. Cornelio. L. F. Scipio

aidilis. cosol. cesor.

Honc oino ploirume cosentiont R*omanei*
Duonoro optumo fuise viro,
Luciom Scipione. filios Barbati,
Consol, censor, aidilis hic fuet *apud vos.*
Hec cepit Corsica Aleriaque urbe;
Dedet Tempestatibus aide mereto.

3.

Quei apice, insigne Dialis Flaminis, gesistei,
Mors perfecit tua, ut essent omnia
Brevia, honos fama virtusque
Gloria atque ingenium; quibus
Sei in longa licuiset tibe utier vita,
Facile facteis superases gloriam maiorum.
Quare lubens te in gremiu Scipio recipit terra,
Publi, prognatum Publio, Corneli.

4.

L. Cornelius Cn. F. Cn. N. Scipio.

Magna sapientia multasque virtutes
Aetate quom parva posidet hoc saxsum.

Quoiei vita defecit. non honos. honore
Is hic situs, quei nunquam victus est virtutei.
Annos gnatus xx is l.. mandatus
Ne quairatis honore. quei minus sit m...

5.

In Atilium Calatinum.

Honc oino ploirume cosentiont genteis,
Populei primariom fuise virom.

6.

Romane, aquam Albanam cave lacue contineri;
Cave in mare emanare suopte flumine siris.
Emissam eam per agros rigabis, dissipatam
Rivis extingües: tum tu insiste audax hostium
Muris memor, quam per tot annos obsedisti,
Urbe ex ea tibi his, quae nunc panduntur fatis
Victoriam datam. Bello effecto donum amplum
Victor templa ad mea porta, sacraque patria, quorum
Omissa cura est, instaurata, ut adsolet, fac.

7.

Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra,
Camille, metes.

8.

Enos Lases iuvate.
Enos Lases iuvate.
Enos Lases iuvate.

Neve luervem, Marmar, sins incurrere in pleoris.
Neve luervem, Marmar, sins incurrere in pleoris.
Neve luervem, Marmar, sins incurrere in pleoris.

Satur furere, Mars, limen salis sta berber.
Satur furere, Mars, limen salis sta berber.
Satur furere, Mars, limen salis sta berber.

Semunis alternei advocapit conctos.
Semunis alternei advocapit conctos.
Semunis alternei advocapit conctos.

Enos, Marmor, iuvato.
Enos, Marmor, iuvato.
Enos, Marmor, iuvato.

Triumpe, triumpe, triumpe.
Triumpe, triumpe, triumpe.
Triumpe, triumpe, triumpe.

9.

Juppiter atque Divi omnes hoc dederunt,
Ut Titus Quinctius dictator (Romanus)
Oppida novem diebus novem caperet.

10.

Duello magno dirimundo, regibus subigundis,
Caput, patrandae paci, pugna haec exeunti
Lucio-Aemilio, Marci filio, *Regillo*
. . . . auspicio imperio]
Felicitate ductuque eius inter Ephesum,
Samum, Chiumque inspectante ipso eos Antiocho,
Cum exercitu omni, equitatu, elephantis, classis regis
Antiochi incensa, victa, fusa, tusa, fugata est:
Ibique eo die *de rege* naves longae
Sunt omnibus cum sociis captae tres decemque.
Ea pugna pugnata rex Antiochus regnumque
Eius in potestatem populi romani redactum.
Eius rei ergo aedem Laribus permarinis vovit.

11.

Duumviri perduellionem iudicent.
Si a duumviris provocarit,
Provocatione certato:
Si vincent, caput obnubito:
Infelici arbore reste suspendito:
Verberato intra vel extra pomoerium.

12.

Cn. Naevii.

Mortalis immortalis flere si foret fas,
Flerent divae Camenae Naeviom poëtam.
Itaque postquam est Orcino traditus thesauro,
Obliti sunt Romae loquier latina lingua.

13.

L. Mummi L. F. Cos.

Ductu auspicio imperioque eius Achaia capta
Corinto deleto Romam redieit triumphans.
Ob hasce res bene gestas quod in bello voverat, hanc aedem
Et signum Herculis victoris imperator.
Dedicat.

14.

In victoriam Pyrrhi.

Qui antehac invicti fuvere viri, pater optime Olympi,
Hos ego in pugna vici, victusque sum ab isdem.

Epigrammata secundum auctorum aetates descripta.

15.

Q. Ennii.

Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iovi', Neptunus, Volcanus, Apollo.

16.

Q. Ennii.

Epitaphium P. Scipionis Africani.

Hic est ille situs, cui nemo civi' neque hostis
Quivit pro factis reddere operae pretium.

17.

Q. Ennii de eodem.

A sole exoriente supra Maeoti' paludes
Nemo est, qui factis me aequiperare queat.
Si fas endo plagas caelestum escendere cuiquam,
Mi soli caeli maxima porta patet.

18.

Q. Ennii.

Enni poëta salve, qui mortalibus
Versus propinas flammeos medullitus!

19.

Q. Ennii.

Adspicite, o cives, senis Enni imagini' formam.
Hic vostrum panxit maxuma facta patrum.

Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? volito vivu' per ora virum.

20.

Q. Ennii Hedypatheticorum fragmentum.

Omnibus ut Clupea praestat mustela marina;
Mures sunt Aenid, aspra ostrea plurima Abydi,
Mytilenae est pecten charadrumque apud Ambraciaï:
Brundusii sargus bonus est: hunc, magnus erit si,
Sume. Apriclum piscem scito primum esse Tarenti.
Surrentid elopem fac emas, glaucum ad Cumas. Quid
Scarum praeterii, cerebrum Iovi' pene supremi,
(Nestoris ad patriam hic capitur magnusque bonusque)
Melanurum, turdum, merulamque umbramque marinam?
Polypu' Corcyrae, calvaria pinguia atarnae,
Purpura, muriculi, murex, dulces quoque echini.

21.

Q. E n n i i

de Scipione.

Desine, Roma, tuos hostes......
Nam tibi munimenta mei peperere labores.
Testes sunt campi magni ......

22.

Q. E n n i i

de Scipione.

Quantam statuam faciet populus Romanus,
Quantam columnam, quae res tuas gestas loquatur.

23.

M. Accii Plauti.

Postquam est mortem aptus Plautus, comoedia luget,
Scena est deserta: dein risus ludu' iocusque
Et numeri innumeri simul omnes collacrumarunt.

24.

M. Pacuvii.

Adulescens, tametsi properas, te hoc saxum rogat,
Uti ad se adspicias, deinde, quod scriptum est, legas.
Hic sunt poetae Pacuvi Marci sita
Ossa. Hoc volebam, nescius ne esses. Vale.

25.

Porcii Licinii.

Poenico bello secundo Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.

26.

Porcii Licinii.

Custodes ovium, teneraeque propaginis, agnum,
Quaeritis ignem? ite huc. quaeritis? ignis homo est.
Si digito attigero, incendam silvam simul omnem.
Omne pecus flamma est; omnia, quae video.

27.

Valerii Aeditui.

Quid faculam praefers, Phileros? qua nil opu' nobis.
Ibimu' sic: lucet pectore flamma satis.
Istam nam potis est vis saeva extinguere venti
Aut imber caelo candidu' praecipitans,
At contra hunc ignem Veneris, nisi si Venus ipsa,
Nulla est quae possit vis alia opprimere.

28.

Valerii Aeditui.

Dicere quom conor curam tibi, Pamphila, cordis,
Quid mi abs te quaeram, verba labris abeunt;
Per pectus miserum manat subido mihi sudor:
Sic tacitus, subidus, duplo ideo pereo.

29.

Lucilii.

Virtus, Albine, est, pretium persolvere verum,
Queis in versamur, queis vivimu', rebu' potesse.
Virtus est homini, scire id, quid quaeque habeat res.
Virtus scire homini, rectum utile quid sit honestum,
Quae bona, quae mala; item quid inutile turpe inhonestum.
Virtus, quaerendae finem rei scire modumque.
Virtus, divitiis pretium persolvere posse.
Virtus, id dare, quod re ipsa debetur, honori,
Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,
Contra defensorem hominum morumque bonorum,
Magnificare hos, his bene velle, his vivere amicum;

Commoda praeterea patriaï prima putare,
Deinde parentum, tertia iam postremaque nostra.

30.

Lucilii.

Aurum atque ambitio specimen virtutis utrique est.
Quantum habeas, tanti ipse sies tantique habearis.

31.

Lucilii.

Servo' neque infidus domino neque inutili' quoiquam,
Lucili columella hic situ', Metrophanes.

32.

Valerii Sorani.

Iuppiter omnipotens, rerum regumque repertor,
Progenitor genitrixque deum, deus unus et idem.

33.

Manilii.

Cascum duxisse cascam non mirabile est,
Quoniam casnareas faciebant nuptias.

34.

M. Terentii Varronis.

Tutanus Deus.

Noctu Annibalis cum fugavi exercitum
Tutanus, hoc Tutanu' Romae nuncupor.
Hacpropter omnes, qui laborant, invocant.

35.

M. Terentii Varronis.

Cybelae Matri.

Tibi typana, non inanis sonitus matris deum
tonimus: . . . . tibi nunc semiviri
teretem comam volantem iactant Galli: tibi
Phrygius per ossa cornus liquida canit anima.

36.

M. Terentii Varronis.

Te Anna ac Peranna, Panda, te Lato, Pales,
Nerienes et Minerva, Fortuna ac Ceres.

37.

M. Terentii Varronis.

(Subscriptum imagini Demetrii Phalerei.)

Hic Demetrius aereas tot aptu'st,
Quot luces habet annus absolutus.

38.

M. Terentii Varronis.

(Sub imagine Homeri.)

Capella Homeri candida haec tumulum indicat,
Quod hac Iëtae mortuo faciunt sacra.

39.

M. Terentii Varronis.

in Menippum lyricum.

Menippus ille, nobilis quondam canis,
Hic liquit homines omnes in terra pila.

40.

M. Terentii Varronis.

ex Prometheo libero.

Humanae quandam stirpis gentem concoquit
frigus, calore atque humore aritudinem
miscens . . . . . .
Dum iis subernus cortex aut cacumina
morientum in quercu et aritudine
et exangui calore evirescat colos.
Mortalis nemo exaudit, sed late incolens
Scytharum inhospitalis campi vastitas.
Levisomna mens sonorinas imagines
affatur, non umbrantur somno pupulae.

41.

M. Terentii Varronis.

in Serapin.

Hospes, quid miras, numo curare Serapin?
Quid? quasi non curet tantidem Aristoteles.

42.

M. Terentii Varronis.

Non fit thesauris, non auro pectu' solutum.
Non demunt animis curas ac religiones
Persarum montes, non atria diviti' Crassi.

43.

M. Terentii Varronis.

Vino nihil iucundius quisquam bibit.
Hoc aegritudinem ad medendam invenerunt.
Hoc hilaritatis dulce seminarium.
Hoc continet coagulum convivia.

44.

M. Terentii Varronis.

(de fortuna.)

Nemini Fortuna currum a carcere emissum intimo
Labi inoffensum per aequor candidum ad calcem sinit.

45.

M. Terentii Varronis.

Unam virtutem propriam mortalibu' fecit:
Cetera promisce voluit communia haberi.

46.

M. Terentii Varronis.

. . .
Natura humanis omnia sunt paria.
Qui pote plus, urget, piscis ut saepe minutos
Magnu' comest, ut avis enecat accipiter.

47.

M. Terentii Varronis.

Ergo tum Romae parce pureque pudentis
Vixere in patria, nunc sumus in rutuba.

48.

M. Terentii Varronis.

Postremo nemo aegrotus quidquam somniat
Tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus.

49.

M. Terentii Varronis.

(de celebrantibus sacra magnae Matris.)

Animum meum mitto speculatum toto orbe, uti,
quid facerent homines, quom experrecti sient,
me faceret certiorem: si quis sumeret
me melius operam, ut eius consilio ocius
vigilium adminicularem nostrum, qui videt
alium curvantem extrema noctis tempora.

Sed nos, simulac summam in speculam pervenimus,
videmus populum Furiis instinctum tribus,
diversim ferri exterritum formidine.
Aurorae ostrinum hic indutus supparum,
coronam ex auro et gemmis fulgentem gerit,
luce locum afficiens. . . .
Nam quae venustas hic adest gallantibus?
quae castitas? quae vestis adolescentium?
quae teneris species?

50.

M. Terentii Varronis.

Mundus domus est maxima rerum.
Quinque altitonae hanc fragmine zonae
cingunt, per quas limbus pictus
bis sex signis stellimicantibus,
altus in obliquo aethere, Lunae
bigas Solisque receptat.

51.

M. Terentii Varronis.

Repente noctis circiter meridiem,
quom pictus aër fervidis late ignibus
coeli choreas astricas ostenderet,
nubes aquales, frigido velo leves,
coeli cavernas aureas subduxerant,
aquam vomentes inferam mortalibus,
ventique frigido se ab axe eruperant,
Phrenetici septentrionum filii,
secum ferentes tegulas, ramos, sirus;
at nos caduci naufragi, ciconiae,
quarum bipennis fulminis plumas vapos
perussit, alte moesti in terram cecidimus.

52.

Q. Lutatii Catuli.

(in Q. Roscium Gallum comoedum.)

Constiteram, exorientem Auroram forte salutans,
quom subito a laeva Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, coelestes, dicere vestra:
mortalis visust pulcrior esse deo!

53.

Q. Lutatii Catuli

in Theotimum.

Aufugit mi animus: credo, ut solet, ad Theotimum
Devenit. Sic est: perfugium illud habet.
Quid si non interdixem, ne illum fugitivum
Mitteret ad se intro, sed magis eiiceret?
Ibimu' quaesitum, verum, ne ipsi teneamur,
Formido. quid ago? da Venu' consilium.

54.

Decimi Laberii.

Democritus Abderites physicus philosophus
Clipeum constituit contra exortum Hyperionis,
Oculos effodere ut posset splendore aereo.
Ita radiis solis aciem effodit luminis,
Malis bene esse ne videret civibus.
Sic ego fulgentis splendorem pecuniae
Volo elucificare exitum aetatis meae,
Ne in re bona esse videam nequam filium.

55.

D. Laberii.

Necessitas, cuius cursus transversi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt,
Quo me detrusti paene extremis sensibus?
Quem nulla ambitio, nulla unquam largitio,
Nullus timor, vis nulla, nulla auctoritas
Movere potuit in iuventa de statu,
Ecce in senecta ut facile labefecit loco
Viri excellentis mente clemente edita
Submissa placide, blandiloquens oratio.
Etenim ipsi di negare cui nihil potuerunt,
Hominem me denegare quis posset pati?
Ego bis tricenis annis actis sine nota
Eques romanus ex lare egressus meo
Domum revortar mimus. Nimirum hoc die
Uno plus vixi mihi quam vivendum fuit.
Fortuna, inmoderata in bono aeque atque in malo,
Si tibi erat libitum, literarum laudibus

Florens cacumen nostrae famae frangere,
Cur, cum vigebam membris praeviridantibus,
Satisfacere populo et tali cum poteram viro,
Non flexibilem me concurvasti, ut carperes?
Nunc me quo deiicis? quid ad scenam adfero?
Decorem formae an dignitatem corporis,
Animi virtutem an vocis iucundae sonum?
Ut hedera serpens vires arboreas necat,
Ita me vetustas amplexu annorum enecat.
Sepulcri similis nihil nisi nomen retineo.

56.

D. Laberii

in P. Syrum mimum.

Non possunt primi esse omnes omni in tempore.
Summum ad gradum cum claritatis veneris,
Consistes aegre et citius, quam adscendas, cades.
Cecidi ego; cadet, qui sequitur: lex est publica.

57.

Publii Syri.

(ex mimis.)

Luxuriae rictu Martis marcent moenia.
Tuo palato clausus pavo pascitur,
Plumato amictus aureo Babylonico,
Gallina tibi Numidica, tibi gallus spado.
Ciconia etiam grata peregrina, hospita,
Pietaticultrix gracilipes crotalistria
Avis, exul hiemis, titulus tepidi temporis
Nequitiae nidum in cacabo fecit meo.
Quo margarita, cara tribacca Indica?
An, ut matrona ornata phaleris pelagiis
Tollat pedes indomita in strato extraneo?
Smaragdum ad quam rem viridem, pretiosum vitrum,
Quo Carchedonios optas ignes lapideos,
Nisi ut scintillent? Probitas est carbunculus?
Aequum est, induere nuptam ventum textilem,
Palam prostare nudam in nebula linea?

58.

Laevii.

Philtra omnia undique eruunt.
Antipathes illud quaeritur;
trochiscili, ungues, taeniae,
radiculae, herbae, surculi,
sauri, illices bicodulae.
hinnientium dulcedines.

59.

Pomponii

in adolescentem Cascam.

Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica,
Filia Potoni sesquisenex, puerum.
Dic tu illam pusam: sic fiet Mutua muli.
Nam vere pusus tu, tua amica senext.

60.

M. Tullii Ciceronis

Aiacis tumulus.

Hic situs est vitae iampridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo perculsus concidit ense.
Fabitur hoc aliquis: Mea semper gloria vivet!

61.

M. Tullii Ciceronis

Epitaphium Sardanapali.

Haec habeo, quae edi quaeque exsaturata libido
Hausit: at illa iacent multa et praeclara relicta.

62.

M. Tullii Ciceronis

in trecentos Spartiatas.

Dic, hospes, Spartae, nos te hic vidisse iacentes,
Dum sanctis patriae legibus obsequimur.

63.

M. Tullii Ciceronis

in T. Caninium Rebilum.

Vigilantem habemus consulem Caninium:
In consulatu somnum non vidit suo.

64.

M. Tullii Ciceronis

in P. Terentium Afrum.

Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
Conversum expressumque latina voce Menandrum
In medio populi sedatis vocibus effers,
Quidquid come loquens atque omnia dulcia dicens.

65.

M. Tullii Ciceronis.

Fundum Vetto vocat, quem possit mittere funda:
Ni tamen exciderit, qua cava funda patet.
[Extractam puteo situlam cum ponit in horto,
Ulterius standi non habet ille locum.]

66.

Quinti Ciceronis

de XII. signis coelestibus.

Flumina verna cient obscuro lumine pisces,
Curriculumque aries aequat noctisque dieique.
Cornua quem condunt, florum praenuncia, tauri.
Aridaque aestatis gemini primordia pandunt,
Longaque iam minuit praeclarus lumina cancer,
Languificosque leo proflat ferus ore calores;
Post modicum quatiens virgo fugat orta vaporem,
Autumni reserat portas aequatque diurna
Tempora nocturnis dispenso sidere libra.
Effoetos ramos denudat flamma Nepaï.
Pigra sagittipotens iaculatur frigora terris.
Bruma, gelu glacians, iubar est spirans Capricorni.
Quam sequitur nebulas rorans liquor altus Aquari,
Tanta supra circaque vigent ubi flumina. Mundi
At dextra laevaque ciet rota fulgida solis
Mobile curriculum et lunae simulacra feruntur.
Squama sub Arctoo conspectu torta draconis
Eminet. Hunc inter fulgentes aethere septem
Magna quatit stellas: quam servans serus in alta
Conditur Oceani ripa cum luce Bootes.

67.

Laureae Tullii

in aquas Ciceronianas.

Quo tua, Romanae vindex clarissime linguae,
Silva loco melius surgere iussa viret,
Atque Hecademeo celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu sub potiore Vetus:
Hic etiam adparent limphae non ante repertae,
Languida quae infuso lumina rore levant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope,
Ut, quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures oculis, quae medeantur, aquae.

68.

C. Iulii Caesaris

in P. Terentium Afrum.

Tu quoque, tu in summis, o dimidiate Menander,
Poneris, et merito puri sermonis amator;
Lenibus atque utinam scriptis coniuncta foret vis,
Comica ut aequato virtus polleret honore
Cum Graecis, neque in hac despectus parte iaceres!
Unum hoc maceror, et doleo tibi deesse, Terenti.

69.

C. Iulii Caesaris

(in puerum submersum).

Thrax puer astricto glacie dum ludit in Hebro,
Frigore concretas pondere rupit aquas,
Dumque imae partes rapido traherentur ab amne,
Abscidit tenerum lubrica testa caput.
Orba quod inventum mater dum conderet urna,
Hoc peperi flammis, cetera, dixit, aquis!

70.

Iulii Caesaris.

Feltria, perpetuo nivium damnata rigore,
Terra mihi posthac non adeunda, vale.

71.

C. Licinii Calvi

in Cn. Pompeium Magnum.

Magnus, quem metuunt omnes, digito caput uno
Scalpit. Quid dicas hunc sibi velle? Virum.

72.

C. Licinii Calvi

in Iul. Caesarem.

— — — — — Bithynia quidquid
Et paedicator Caesaris umquam habuit.

73.

M. Furii Bibaculi

in Valerium Catonem grammaticum.

Si quis forte mei domum Catonis,
Depictas minio assulas et illos
Custodis videt hortulos Priapi,
Miretur, quibus ille disciplinis
Tantam sit sapientiam adsecutus,
Quem tres cauliculi et selibra farris,
Racemi duo tegula sub una
Ad summam prope nutriant senectam.

74.

M. Furii Bibaculi

in Valerium Catonem grammaticum.

Catonis modo, Galle, Tusculanum
Tota creditor urbe venditabat.
Mirati sumus, unicum magistrum,
Summum grammaticum, optimum poetam
Omnis solvere posse quaestiones,
Unum deficere expedire nomen.
En cor Zenodoti, en iecur Cratetis!

75.

[*M. Furii Bibaculi*]

in Valerium Catonem grammaticum.

Cato grammaticus, latina Siren,
Qui solus legit ac facit poetas.
. . .

76.

C. Helvii Cinnae.

Haec tibi Arateis multum vigilata lucernis
Carmina, quis ignes movimus aetherios,
Levis in aridulo malvae descripta libello
Prusiaca vexi munera navicula.

77.

P. Terentii Varronis Atacini
in Licinum.

Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato nullo,
Pompeius parvo. Quis putet, esse deos?
[Saxa premunt Licinum, levat altum fama Catonem,
Pompeium tituli. Credimus esse deos.]

78.

P. Terentii Varronis Atacini.
(ex Chorographia.)

Vidit et aetherio mundum torquerier axe,
Et septem aeternis sonitum dare vocibus orbes
Nitentes aliis alios, quae maxima divis
Laetitia est: at tum longe gratissima Phoebi
Dextera consimiles meditatur reddere voces.
— —
Et quinque aetherius zonis accingitur orbis:
Ac vastant imas hiemes, mediamque calores:
Sic terrae extremas inter mediamque coluntur,
Qua solis calido numquam rota ferveat igne.
— —
Ergo inter solis stationem et sidera septem
Exporrecta iacet tellus. Huic extima fluctu
Oceani, interior Neptuno cingitur ora.
— —
Cingitur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.
— —
Omnivomo Oceano. Hyperion fulgurat Euro.
Arctaeo plaustro Boreas baubatur ab Haemo;
Hesperio Zephyro sed Orion volvitur Istro.
Fulvo acrique noto vaga Cynthia proruit Afro.
— —
Indica non magna minor arbore crescit arundo:
Illius e lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant succo contendere mella.
— —

Nec quos Thynica lima perpolivit
Anellos nec iaspios lapillos.

83.

C. Cilnii Maecenatis
ad Horatium.

Ni te visceribus meis, Horati,
Plus iam diligo, tu tuum sodalem
Hinnulo videas strigosiorem.

84.

C. Cilnii Maecenatis.

Debilem facito manu, debilem pede, coxa:
Tuber adstrue gibberum, lubricos quate dentes:
Vita dum superest, bene est; hanc mihi, vel acuta
Si sedeam cruce, sustine.

85.

P. Virgilii Maronis
in Venerem.

Si mihi susceptum fuerit decurrere munus,
O Paphon, o sedes quae colis Idalias,
Troius Aeneas Romana per oppida digno
Iam tandem ut tecum carmine vectus eat:
Non ego ture modo aut picta tua templa tabella
Ornabo, aut puris serta feram manibus:
Corniger hos aries humilis et maxima taurus
Victima sacratos tinguet honore focos,
Marmoreusque tibi, dea, versicoloribus alis
In morem picta stabit Amor pharetra.
Adsis, o Cytherea: tuus te Caesar Olympo
Et Surrentini litoris ora vocat.

86.

P. Virgilii Maronis
in Octavium historicum.

Quis deus, Octavi, te nobis abstulit? an, quae
Dicunt, an nimio pocula dura mero?
Vobis si culpa est bilis; sua quemque sequuntur
Fata. Quod inmeriti crimen habent cyathi?

Scripta quidem tua nos multum mirabimur, et te
Raptum et Romanam flebimus historiam.
Sed tu nullus eris. Perversi dicite manes,
Hunc superesse patri, quae fuit invidia?

87.

P. Virgilii Maronis
in Augustum.

Nocte pluit tota, redeunt at mane serena.
Divisum imperium cum Iove, Caesar, habes.

88.

P. Virgilii Maronis
in Bathyllum poetam.

Hos ego versiculos feci, tulit alter honores.
Sic vos non vobis nidificatis aves.
Sic vos non vobis vellera fertis oves.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis fertis aratra boves.

89.

P. Virgilii Maronis
in C. Annium Cimbrum.

Corinthiorum amator iste verborum,
Thucydides Britannus, Attice febris,
Tau Gallicum, min, al, sil ut male elisit,
Ita omnia ista verba miscuit fratri.

90.

P. Virgilii Maronis.

Ite hinc, inanes, ite, rhetorum ampullae,
Inflata rore non Achaico verba,
Et vos, Sile Albuti, Arquitique Varroque,
Scholasticorum natio madens pingui,
Ite hinc, inanis cymbalon iuventutis.
Tuque, o mearum cura, Sexte, curarum,
Vale, Sabine: iam valete formosi.
Nos ad beatos vela mittimus portus,
Magni petentes docta dicta Syronis,
Vitamque ab omni vindicabimus cura.

Ite hinc Camenae vos quoque limite saevae,
Dulces Camenae (nam fatebimur verum)
Dulces fuistis. Et tamen meas chartas
Revisitote, sed pudenter et raro.

91.

P. Virgilii Maronis.

Arretine calix, mensis decorate paternis,
  Ante manum medici quam bene sanus eras!

92.

P. Virgilii Maronis
ad Varium.

Scilicet hoc sine fraude, Vari dulcissime, dicam:
  Dispeream, nisi *me perdidit iste putus.*
Sin autem praecepta vetant me dicere, sane
  Non dicam, sed *me perdidit iste puer.*

93.

P. Virgilii Maronis
ad villam Syronis.

Villula, quae Syronis eras, et pauper agelle,
  Verum illi domino tum quoque divitiae,
Me tibi et hos una mecum, quos semper amavi,
  Si quid de patria tristius audiero,
Commendo, in primisque patrem. Tu nunc eris illi,
  Mantua quod fuerat quodque Cremona prius.

94.

P. Virgilii Maronis
ad Tuccam.

Delia, Tucca, tibi venit, sed saepe videre
  Non licet: occulitur limine clausa viri.
Delia saepe tibi, non venit adhuc mihi: namque
  Si occulitur, longe est tangere, quod nequeas.
Venerit aut tibi: sed iamiam mihi nuntius iste
  Quid prodest? illi dicite, quae rediit.

95.

P. Virgilii Maronis
in Octavianum.

Dum dubitat natura, marem faceretne puellam,
  Natus es, o pulcher, paene puella, puer.

96.

P. Virgilii Maronis

in Nisum libertum, spadonem.

Pars tibi, Nise, datur Bacchi, pars deinde negatur.
Esse potes Liber, non potes esse Pater.

97.

P. Virgilii Maronis

in Balistam ludi magistrum.

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus:
Nocte, die tutum carpe, viator, iter.

98.

P. Virgilii Maronis.

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope. Cecini pascua, rura, duces.

99.

P. Virgilii Maronis.

Humor alit segetem, segeti contrarius humor.
Quod iuvat, hoc dulce est: quod cogitur, altera mors est.

100.

P. Virgilii Maronis.

Adspice, quem valido subnixum gloria regno
Altius et coeli sedibus extulerat!
Terrarum hic bello magnum concusserat orbem,
Hic reges Asiae fregerat, hic populos,
Hic grave servitium iam iam tibi, Roma, ferebat:
Cetera namque viri cuspide conciderant,
Cum subito in medio rerum certamine praeceps
Corruit, e patria pulsus in exilium.
Tale Deum numen; tali mortalia nutu
Fallax momento temporis hora dedit.

101.

P. Virgilii Maronis

ad Antonium Musam.

Quocumque ire ferunt variae nos tempora vitae,
Tangere quas terras quosque videre homines,
Dispeream, si te fuerit mihi carior alter.

Alter enim quis te dulcior esse potest,
Cui Venus ante alios, divi divumque sorores
Cuncta, neque indigno, Musa, dedere bona;
Cuncta, quibus gaudet Phoebus, chorus ipseque Phoebi:
Doctior o quis te, Musa, fuisse potest?
O quis te in terris loquitur iucundior uno?
Clio tam certe candida non loquitur.
Quare illud satis est, si te permittis amari,
Non contra ut sit amor mutuus inde mihi.

102.

P. Virgilii Maronis

in Sabinum.

Sabinus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse mulio celerrimus,
Neque ullius volantis impetum cisi
Nequisse praeterire, sive Mantuam
Opus foret volare sive Brixiam.
Et hoc negat Tryphonis aemuli domum
Negare nobilem insulamve Caeruli,
Ubi iste post Sabinus ante Quintio
Bidente dicit adtotonse forcipe
Comata colla, ne qua sordidum iugo
Premente dura vulnus ederet iuba.
Cremona frigida et lutosa Gallia,
Tibi haec fuisse et esse cognitissima
Ait Sabinus: ultima ex origine
Tua stetisse dicit in voragine,
Tua in palude deposisse sarcinas,
Et inde tot per orbitosa millia
Iugum tulisse, laeva sive dextera
Strigare mula sive utrumque coeperat
. . . .
Neque ulla vota semitalibus deis
Sibi esse facta praeter hoc novissimum,
Paterna lora proximumque pectinem.
Sed haec prius fuere. Nunc eburnea
Sedetque sede, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor et gemelle Castoris.

103.

P. Virgilii Maronis

in Noctuinum.

Socer beate nec tibi nec alteri,
Generque Noctuine, putidum caput,
Tuone nunc puella talis ah! tuo
Stupore pressa rus abibit? Hei mihi!
Ut ille versus usquequaque pertinet:
Gener socerque, perdidistis omnia.

104.

Virgilii

in Noctuinum.

Superbe Noctuine, putidum caput,
Datur tibi puella: quam petis, datur.
Datur, superbe Noctuine, quam petis.
Sed, o superbe Noctuine, non vides,
Duas habere filias Atilium,
Duas et hanc et alteram tibi dari.
Adeste nunc, adeste! ducit, ut decet,
— Superbus ecce Noctuinus herneam.
Thalassio! Thalassio! Thalassio!

105.

Virgilii

in Lucium.

Iacere me, quod alta non possum, putas,
Ut ante vectari freta,
Nec ferre durum frigus aut aestum pati,
Neque arma victoris sequi.
Valent, valent mihi ira et antiquus furor
Et lingua, qua adsiem tibi,
Et prostitutae turpe contubernium
Sororis. O quid me incitas?
Quid, inpudice et inprobande Caesari?
Sed furta dicantur tua,
Et helluato sera patrimonio
In fratre parsimonia,
Vel acta puero cum viris convivia
Udaeque per somnum nates,

Et inscio repente clamatum super
  Thalassio! Thalassio!
Quid palluisti, femina? an ioci dolent?
  An facta cognoscis tua?
Non me vocabis pulchra per Cotyttia
  Ad feriatos fascinos;
Nec dein movere lumbos in crocotula
  Prensis videbo altaribus
Flavumque propter Thybrim olentis nauticum
  Vocare, ubi adpulsae rates
Stant in vadis, caeno retentae sordido,
  Macraque luctantes aqua;
Neque in culinam et uncta compitalia
  Dapesque duces sordidas,
Quibus repletus, ut salivosis aquis,
  Obesam ad uxorem redis,
Et aestuantes nocte solvis pantices,
  Olusque lambis saviis.
Nunc laede, nunc lacesse, si quidquam vales!
  Et nomen adscribo tuum,
Cinaede Luci. An te reliquerunt opes,
  Fameque genuini crepant?
Videbo habentem praeter ignavos nihil
  Fratres et iratum Iovem,
Scissumque ventrem et herniosi patrui
  Pedes inedia turgidos.

106.

Virgilii
elegia ad M. Valerium Mossalam.

Pauca mihi, niveo sed non incognita Phoebo,
  Pauca mihi doctae dicite Pegasides.
Victor adest, magni magnum decus ecce triumphi,
  Victor, qua terrae quaque patent maria,
Horrida barbaricae portans insignia pugnae,
  Magnus ut Oenides utque superbus Eryx.
Nec minus idcirco nostros expromere cantus
  Maximus, et sanctos dignus inire choros.

Hoc itaque insuetis iactor magis, optime, curis,
  Quid de te possim scribere quidve tibi:
Namque (fatebor enim) quae maxima deterrendi
  Debuit, hortandi maxima causa fuit.
Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas,
  Carmina cum lingua, tum sale Cecropio,
Carmina, quae Pylium, saeclis accepta futuris,
  Carmina, quae Pylium vincere digna senem.
Molliter hic viridi patulae sub tegmine quercus
  Moeris pastores et Meliboeus erant,
Dulcia iactantes alterno carmina versu,
  Qualia Trinacriae doctus amat iuvenis.
Certatim ornabant omnes heroida divae,
  Certatim divae munere quaeque suo.
Felicem ante alias tanto scriptore puellam!
  Altera non fama dixerit esse prior:
Non illa, Hesperidum ni munere capta fuisset,
  Quae volucrem cursu vicerat Hippomenem;
Candida cycneo non edita Tyndaris ovo;
  Non supero fulgens Cassiopea polo;
Non defensa diu volucrum certamine equorum,
  Optabant Graiae quam sibi quaeque manus,
Saepe animam generi pro qua pater inpius hausit,
  Saepe rubro Eleis sanguine fluxit humus;
Regia non Semele, non Inachis Acrisione
  Inmitti expertae fulmine et imbre Iovem;
Cuius et ob raptum pulsi liquere penates
  Tarquinii patrios, filius atque pater,
Illo quo primum dominatus Roma superbos
  Mutavit placidis tempore consulibus.
Multa, neque inmeritis donavit praemia alumnis,
  Praemia Messalis maxima Poplicolis.
Nam quid ego inmensi memorem studia ista laboris?
  Horrida quid durae tempora militiae?
Castra foro solitos, urbi praeponere castra
  Tam procul hoc nato, tam procul hac patria;
Inmoderata pati iam frigora, iamque calores,
  Sternere vel dura posse super silice,

Saepe trucem adverso perlabi sidere pontum,
Saepe mare audendo vincere, saepe hiemem,
Saepe etiam densos inmittere corpus in hostes,
Communem belli non meminisse deum;
Nunc celeres Afros perituraque millia gentis,
Aurea nunc rapidi flumina adire Tagi,
Nunc aliam ex alia bellando quaerere gentem,
Vincere et Oceani finibus ulterius?
Non nostrum est, inquam, tantas attingere laudes;
Quin ausim hoc etiam dicere, vix hominum est.
Ipsa haec ipsa ferent rerum monumenta per orbem,
Ipsa sibi egregium facta decus parient.
Nos ea, quae tecum finxerunt carmina divi,
Cynthius et Musae, Bacchus et Aglaie.
Si laudes adspirem, humili sed adire Camena;
Si patrio Graios carmine adire sales
Possumus; optatis plus iam procedimus ipsis.
Hoc satis est; pingui nil mihi cum populo.

107.

Virgilia Copa.

Copa Syrisca, caput Graia redimita mitella,
Crispum sub crotalo docta movere latus,
Ebria famosa saltat lasciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.
Quid iuvat aestivo defessum pulvere abesse
Quam potum bibulo decubuisse toro?
Sunt obbae, calices, cyathi, rosa, tibia, chordae
Et trichila umbriferis frigida arundinibus.
Est et, Maenalio quae garrit dulce sub antro,
Rustica pastoris fistula more sonans.
Est et vappa, cado nuper defusa picato,
Est crepitans rauco murmure rivus aquae.
Sunt et Corycio iunctae de flore corollae
Sertaque purpurea lutea mixta rosa.
Sunt et virgineo libata Achelois ab amne
Lilia, quae niveis attulit in calathis.
Sunt et caseoli, quos scirpea fiscina siccat,
Sunt autumnalis cerea pruna deae,

Pallida flavescant aestu sitientia prata,
Inmatura cadant ramis pendentia mala,
Desint et silvis frondes et fontibus humor,
Nec desit nostris devotum carmen avenis.
Hinc Veneris vario florentia serta decore,
Purpureo campos quae pingunt verna colore,
Hinc aurae dulces, hinc suavis spiritus! Agri
Mittant pestiferos aestus et tetra venena.
Dulcia non oculis, non auribus ulla ferantur.
Sic precor, et nostris superent haec carmina votis.
Lusibus et multum nostris cantata libellis
Optima silvarum, formosis densa viretis,
Tonderis virides umbras, nec laeta comantes
Iactabis molles ramos inflantibus auris.
Nec mihi saepe meum resonabit, Battare, carmen,
Militis inpia cum succidet dextera ferro
Formosaeque cadent umbrae. Formosior illis
Ipsa cades, veteris domini felicia ligna.
Nequidquam! nostris toties devota libellis
Ignibus aetheriis flagrabit. Iupiter ipse,
Iupiter hanc aluit; cinis haec tibi fiat oportet.
Threcis tum Boreae spirent inmania vires,
Eurus agat mistam fulva caligine nubem,
Africus inmineat nimbis minitantibus imbrem,
Cum tua cyaneo resplendens aethere silva
Non iterum luget crebro tua, Lydia, dici.
Vicinae flammae rapiant ex ordine vites,
Pascantur segetes, diffusis ignibus aura
Transvolet, arboribus coniungat et ardor aristas.
Pertica qua nostros metata est inpia agellos,
Qua nostri fines olim, cinis omnia fiant.
Sic precor, et nostris superent haec carmina votis.
Undae, quae vestris pulsatis littora lymphis,
Littora, quae dulces auras diffunditis agris,
Accipite has voces: migret Neptunus in arva
Fluctibus, et spissa campos perfundat arena.
Qua Vulcanus agros, pastus Iovis ignibus, arcet,
Barbara dicatur Libye, soror altera Syrtis.

Tristius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen.
Nigro multa mari dicunt portenta natare,
Monstra repentinis terrentia saepe figuris,
Cum subito emersere furenti corpora ponto.
Haec agat infesto Neptunus caeca tridenti,
Atrum convertens aestum maris undique ventis,
Et fuscum cinerem canis exhauriat undis.
Dicantur mea rura ferum mare, nauta caveto
Rura, quibus diras indiximus, inpia vota.
Si minus haec, Neptune, tuas in fundimus aures,
Battare, fluminibus tu nostros trade dolores.
Nam tibi sunt fontes, tibi semper flumina amica.
Nil est, quod perdam ulterius: merito omnia dicis.
Flectite currentes lymphas, vaga flumina, retro,
Flectite et adversis rursum diffundite campis.
Incurrant amnes passim rimantibus undis,
Nec nostros servire sinant erronibus agros.
Dulcius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen.
Emanent subito sicca tellure paludes,
Et metat hic iuncos, spicas ubi legimus olim,
Occupet arguti grylli cava garrula rana.
Tristius hoc rursum dicit mea fistula carmen.
Praecipitent altis fumantes montibus imbres,
Et late teneant diffuso gurgite campos,
Queis domini infesti mirantes stagna relinquant,
Unde relapsa meos agros pervenerit unda.
Piscetur nostris in finibus advena arator,
Advena, civili qui semper crimine crevit.
O male devot praetorum crimine agelli,
Tuque inimica tui semper discordia civis!
Exsul ego indemnatus egens mea rura reliqui,
Miles ut accipiat funesti praemia belli!
Hinc ego de tumulo mea rura novissima visam?
Hinc ibo in silvas? Obstabunt iam mihi colles,
Obstabunt montes, campis nec abire licebit.
Dulcia rura valete, et Lydia, dulcior illis,
Et casti fontes et, felix nomen, agelli!
Tardius ah! miserae descendite monte capellae,

Mollia non iterum carpetis stabula nota,
Tuque resiste pater! en prima novissima nobis!
Intueor campos longum: manet hostis in illis.
Rura valete iterum, tuque optima Lydia salve!
Sive eris et si non, mecum morieris utrumque.
Extremum carmen revocemus, Battare, avena.
Dulcia amara prius fient, et mollia dura,
Candida nigra oculi cernent, et dextera laeva,
Migrabunt casus aliena in corpora rerum,
Quam tua de nostris emigret cura medullis.
Quamvis ignis eris, quamvis aqua, semper amabo;
Gaudia semper enim tua me meminisse licebit.
Invideo vobis, agri formosaque prata,
Hoc formosa magis, mea quod formosa puella
Est vobis: tacite nostrum suspirat amorem.
Vos nunc illa videt, vobis mea Lydia ludit,
Vos nunc alloquitur, vos nunc arridet ocellis,
Et mea summissa meditatur carmina voce,
Cantat et interea, mihi quae cantabat in aurem.
Invideo vobis, agri; discetis amare.
O fortunati nimium multumque beati,
In quibus illa pedis nivei vestigia ponet,
Aut roseis digitis viridem decerpserit uvam
(Dulci namque tumet nondum viticula Baccho),
Aut inter varios, Veneris stipendia, flores
Membra reclinarit teneramque illiserit herbam,
Et secreta meos furtim narrabit amores.
Gaudebunt silvae, gaudebunt mollia prata
Et gelidi fontes, aviumque silentia fient,
Tardabunt rivi labentes currere lymphae,
Dum mea iucundas exponat cura querelas.
Invideo vobis, agri: mea gaudia habetis,
Et vobis nunc est, mea quae fuit ante voluptas.
At mihi tabescunt morientia membra dolore,
Et calor infuso decedit frigore mortis,
Quod mea non mecum domina est: non ulla puella
Doctior in terris fuit aut formosior, ac, si
Fabula non vana est, tauro Iove digna vel auro.

Iupiter avertas aures: mea sola puella est.
Felix taure, pater magni gregis et decus: a te
Vaccula non umquam secreta cubilia captans
Frustra te patitur silvis mugire dolorem.
Et pater haedorum felix semperque beate,
Sive petis montes praeruptos, saxa pererrans,
Sive tibi silvis nova pabula fastidire,
Sive libet campis: tecum tua laeta capella est;
Et mas quocumque est, illi sua femina iuncta,
Interpellatos numquam ploravit amores.
Cur non et nobis facilis natura fuisti?
Cur ego crudelem patior tam saepe dolorem,
Sidera per viridem redeunt cum pallida mundum,
Inque vicem, Phoebe, excurrunt? Atqui aureus orbis,
Luna, tui tecum est: cur non est et mea mecum?
Luna, dolor nosti quid sit. Miserere dolentis,
Phoebe, gerens in te laurus! Celebravit amorem
Et quem nympha deum, nisi ludis, fama, secuta est.
Omnia coelestes secum sua gaudia gestant,
Aut inspersa vident mundo, quae dicere longum est.
Aurea quin etiam cum saecula volvebantur,
Conditio similis fuerat mortalibus illis.
Haec quoque praetereo: notum Minoidos astrum,
Quaeque virum virgo sicut captiva secuta est.
Laedere, coelicolae, potuit vos nostra quid aetas,
Conditio nobis vitae quo durior esset?
Ausus egon' primus castos violare pudores,
Sacratamque meae vittam tentare puellae,
Inmatura meae quoque nexae solvere fata?
Istius atque utinam facti mea culpa magistra
Prima foret: letum vita mihi dulcius esset.
Non mea, non ullo moreretur tempore fama,
Dulcia cum Veneris furatus gaudia primus
Dicerer, atque ex me dulcis foret orta voluptas.
Nam mihi non tantum tribuerunt inpia fata,
Auctor ut occulti noster foret error amoris.
Iupiter ante sui semper mendacia furti
Cum Iunone prius, coniux quam dictus uterque est,

Gaudia libavit, dulcem furatus amorem,
Et, quocum tenera gavisa est ludere in herba,
Purpureos flores quoties super accumbebat,
Cypria, formoso supponens brachia collo.
Tum, credo, fuerat Mavors distentus in armis:
Nam certe Vulcanus opus faciebat, et illi
Tristi turpabat malas fuligine barba.
Non Aurora novos etiam ploravit amores,
Atque rubens oculos roseo celavit amictu.
Talia coelicolae: numquid minus aurea proles?
Ergo quod deus atque heros, cur non minor aetas?
Infelix ego, non illo qui tempore natus,
Quo facilis natura fuit! Sors o mea laeva
Nascendi miserumque genus, pro sera libido!
Fata meae vitae partis fecere rapinam,
Ut maneam, quod vix oculis cognoscere possis.

109.

Virgilii
in obitum Maecenatis elegia.

Defleram iuvenis tristi modo carmine fata,
Sunt etiam merito carmina danda seni:
Ut iuvenis deflendus enim tam candidus, et iam
Longius annoso vivere dignus avo.
Irreligata ratis, numquam defessa carina,
It, redit in vastos semper onusta lacus.
Illa rapit iuvenes prima florente iuventa,
Non oblita rapit sed tamen illa senes.
Nec mihi, Maecenas, tecum fuit usus amici,
Lollius hoc ergo conciliavit opus.
Fidus erat vobis nam propter Caesaris arma
Caesaris et similem propter in arma fidem.
Regis eras, Etrusce, genus tu Caesaris almi
Dextera, Romanae et tu vigil urbis eras.
Omnia cum posses tanto tam carus amico,
Te sensit nemo posse nocere tamen.
Pallade cum docta Phoebus donaverat artes,
Tu decus et laudes huius et huius eras.
Vincit vulgares, vincit Berillus arenas,

Litore in extremo quas simul unda movet.
Quod discinctus eras, animo quoque, carpitur unum:
Diluitur nimia simplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea Virgo,
Quae bene praecinctos postmodo pulsa fugit.
Livide, quid tandem tunicae nocuere solutae?
Aut tibi ventosi quid nocuere sinus?
Num minus Urbis erat custos et Caesaris hospes?
Num tibi non tutas fecit in Urbe vias?
Nocte sub obscura quis te spoliavit amantem?
Quis tetigit ferro durior ipse latus?
Maius erat, potuisse tamen nec velle triumphos,
Maior res magnis abstinuisse fuit.
Maluit umbrosam quercum Nymphasque cadentes
Paucaque pomosi iugera certa soli.
Pieridas Phoebumque colens in mollibus hortis,
Sederat argutas garrulus inter aves.
Marmora Maeonii vincunt monumenta libelli,
Vivitur ingenio, cetera mortis erunt.
Quid faceret? Defunctus erat comes inpiger idem,
Miles et Augusti fortiter, usque pius.
Illum piscosi viderunt saxa Pelori
Ignibus hostilis reddere tigna ratis.
Pulvere in Emathio fortem videre Philippi.
Iam nunc ille tener, tum gravis hostis erat!
Cum freta Niliacae texerunt lata carinae,
Fortis erat circum, fortis et ante ducem;
Militis Eoi fugientia terga secutus,
Territus ad Nili dum fugit ille caput.
Pax erat: haec illos laxarant otia cultus.
Omnia victores Marte sedente decent.
Actius ipse lyram plectro percussit eburno,
Postquam victrices conticuere tubae.
Hic modo miles erat, ne posset femina Romam
Dotalem stupri turpis habere sui.
Hic tela in profugos (tantum curvaverat arcum)
Misit ad extremos exorientis equos.
Bacche, coloratos postquam devicimus Indos,

Potasti galea dulce iuvante merum,
Et tibi securo tunicae fluxere solutae;
Te puto purpureas tunc habuisse duas.
Sum memor, et certe memini, sic ducere thyrsos
Brachia purpurea candidiora nive.
Et tibi thyrsus erat gemmis ornatus et auro,
Serpentes hederae vix habuere locum.
Argentata tuos etiam talaria talos
Vinxerunt certe, nec puto, Bacche, negas.
Mollius es solito mecum tum multa locutus,
Et tibi consulto verba fuere nova.
Inpiger Alcide, multo defuncte labore,
Sic memorant, curas te posuisse tuas,
Sic te cum tenera laetum lusisse puella,
Oblitum Nemees iamque, Erymanthe, tui.
Ultra numquid erat? torsisti pollice fusos.
Levisti morsu levia fila parum:
Percussit crebros te propter Lydia nodos,
Te propter dura stamina rupta manu;
Lydia te tunica iussit lasciva fluente
Inter lanificas ducere saepe suas.
Clava torosa tibi pariter cum pelle iacebat,
Quam pede suspenso percutiebat Amor.
Quis fore credebat, premeret cum iam inpiger infans
Hydros ingentes vix capiente manu,
Cumve renascentem tereret velociter hydram,
Frangeret inmanes vel Diomedis equos,
Vel tribus adversis communem fratribus alvum
Et sex adversas solus in arma manus?
Fudit Aloidas postquam dominator Olympi,
Dicitur in nitidum procubuisse bovem;
Atque aquilam misisse suam, quae quaereret, ecquis
Posset amaturo vina referre Iovi.
Valle sub Idaea dum te, formose sacerdos,
Invenit et presso molliter ungue rapit.
Sic est. Victor amet, victor potiatur in umbra,
Victor odorata dormiat inque rosa.
Victus aret victusque metat, metus imperet illi,

Membra nec in strata sternere discat humo.
Tempora dispensant usus et tempora cultus;
Haec homines, pecudes, haec moderantur aves.
Lux est, taurus arat; nox est, requiescit; arator
Liberat emerito fervida colla bovi.
Conglaciantur aquae, scopulis se condit hirundo;
Verberat egelidos garrula vere lacus.
Caesar amicus erat; poterat vixisse solute,
Cum iam Caesar idem, quod cupiebat, erat.
Indulsit. Merito: non est temerarius ille.
Vicimus, Augusto iudice dignus erat.
Argo saxa pavens postquam Scylleïa legit
Cyaneosque metus, iam religanda ratis,
Viscera dissecti mutavit in arietis agnum
Aeetis, sucis omne perita suis.
His te, Maecenas, iuvenescere posse decebat;
Haec utinam nobis Colchidos herba foret!
Redditur arboribus florens revirentibus aetas:
Ergo non homini, quod fuit ante, redit?
Vivacesque magis cervos decet esse paventes,
Si quorum in torva cornua fronte rigent?
Vivere cornices multos dicuntur in annos:
Cur nos angusta conditione sumus?
Pascitur Aurorae Tithonus nectare coniux,
Atque ita iam tremulo nulla senecta nocet.
Ut tibi vita foret semper medicamine sacro,
Te vellem Aurorae complacuisse virum!
Illius aptus eras croceo recubare cubili,
Et, modo puniceum rore lavante torum,
Illius aptus eras roseas adiungere bigas,
Tu dare purpurea lora regenda manu,
Tu mulcere iubam, cum iam torsisset habenas
Procedente die respicientis equi.
Quaesivere chori iuvenum sic Hesperon illum,
Quem nexum medio solvit in igne Venus,
Quem nunc in fuscis placida sub nocte nitentem
Luciferum contra currere cernis equis.
Hic tibi Corycium, casias hic donat olentes,

Hic e palmiferis balsama missa iugis.
Nunc pretium candoris habes, nunc redditus umbris.
Te sumus obliti decubuisse senem.
Ter Pylium flevere sui, ter Nestora canum,
Dicebantque tamen, non satis esse senem.
Nestoris annosi vicisses saecula, si me
Dispensata tibi stamina nente forent.
Nunc ego, quod possum: „Tellus levis ossa teneto,
Pendula librato pondus et ipsa tuum.
Semper serta tibi dabimus, tibi semper odores,
Non umquam sitiens, florida semper eris.“

110.

Virgilii Maecenas.

(elegia secunda)

Sic est Maecenas fato veniente locutus,
Frigidus et iamiam cum moriturus erat.
Mene, inquit, iuvenis primaevi, Iupiter! ante
Augustam Drusi non cecidisse fidem!
Pectore maturo fuerat puer, integer aevo
Et magnum magni Caesaris illud opus.
Discedo vellemque prius. Non omnia dixit:
Inciditque pudor, quae prope dixit amor.
Sed manifestus erat moriens, quaerebat amatae
Coniugis amplexus, oscula, verba, manus.
Si tamen hoc satis est, vixi, te, Caesar, amico
Et morior, dixit, dum morior: satis est!
Mollibus ex oculis aliquis tibi procidet humor,
Cum dicar subita voce fuisse tibi.
Hoc mihi contingat, taceam tellure sub aequa.
Nec tamen hoc ultra te potuisse velim,
Sed meminisse velim, vivam sermonibus; illic
Semper ero, semper si meminisse voles.
Et decet et certe vivam tibi semper amicus,
Nec tibi qui moritur, desinit esse tuus.
Ipse ego, quidquid ero, cineres interque favillas,
Tum quoque non potero non memor esse tui.
Exemplum vixi te propter molle beati,

Unus Maecenas teque ego propter eram.
Arbiter ipse fui: volui quod, contigit esse,
Pectus eram vere pectoris ipse tui.
Vive diu, mi care senex, pete sidera sero:
Est opus hoc terris, te quoque velle decet.
Et tibi succrescant iuvenes bis Caesare digni,
Et tradant porro Caesaris usque genus.
Sit secura tibi quam primum Livia coniux.
Expleat amissi munera rapta gener,
Cum, deus in terris, Divis insignis avitis,
Te Venus in proprio collocet ipsa sinu.

111.

Virgilii

Vir bonus.

Vir bonus et sapiens, qualem vix reperit unum
Millibus e multis hominum consultus Apollo,
Iudex ipse sui totum se explorat ad unguem,
Quid proceres vanique ferat quid opinio vulgi,
Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus,
Externae ne quid labis per levia sidat.
Ille, dies quam longus erit sub sidere cancri,
Quantaque nox tropico se porrigit in capricorno,
Cogitat et iusto trutinae se examine pendit,
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus aequis
Partibus ut coeat, nil ut deliret amussis.
Sit solidum quodcumque subest, nec inania subter
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.
Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longi reputaverit acta diei;
Quae praetergressus? quid gestum in tempore? quid non?
Cur isti facto decus abfuit aut ratio illi?
Quid mihi praeteritum est? cur haec sententia sedit,
Quam melius mutare fuit? miseratus egentem
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret? utile honesto
Cur malus antetuli? num dicto aut denique vultu
Perstrictus quisquam? cur me natura magis quam

Disciplina trahit? Sic facta per omnia rursus
Ingrediens ortoque a vespere cuncta revolvens,
Offensus pravis, dat palmam et praemia rectis.

112.

C. Cassii Parmensis

Orpheus.

Argutae primum cum plectra parentis et auro
Distinctam sumsit citharam Rhodopeïus heros,
Ridebant segnes pulsus digitosque micantes
Serius et chordis indoctae dissona vocis.
Mox pudor exardens et gloria dulcis honesti
Lusibus avertit puerilibus, omnis et illuc
Perditus incumbens Musae pallebat amore.
Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis
Cantibus, hinc illinc discens dependet utrimque.
Nulla Venus faciem cepit mentita dolosis
Compedibus, somni fuerat parcusque Lyaei,
Donec, ridiculus dudum, modulamine silvas
Evulsosque suis scopulos radicibus egit.
Ausus et ire viam viventibus inconcessam,
Poenarum oblitos demulsit carmine Manes.
Non levis adscensus, si quis petit ardua; sudor
Plurimus hunc tollit, nocturno exsomnis olivo
Inmoritur, damnat, modo quod laudaverat in se,
Qui cupit aeternae donari frondis honore.

113.

Gaetulici.

Non aries illum verno feret aëre cornu,
Gnosia nec gemini praecedunt cornua Taurum,
Sicca Lycaonius resupinat plaustra Bootes.

114.

Horatii Ode

ad Iulium Florum.

Discolor grandem gravat uva ramum;
Instat autumnus; glacialis anno
Mox hiems volvente aderit, capillis
horrida canis.

Iam licet Nymphas trepide fugaces
Insequi, lento pede detinendas;
Et labris captae, simulantis iram,
Oscula figi.
Iam licet vino madidos vetusto
De die laetum recitare carmen;
Flore, si te des, hilarem licebit
Sumere noctem.
Iam vide curas aquilone sparsas!
Mens viri fortis sibi constat, utrum
Serius leti citiusve tristis
Advolat aura.

115.

Horatii.

Dulci libello nemo sodalium
Forsan meorum carior extitit;
De te merenti quid fidelis
Officium domino rependes?

Te Roma cautum territat ardua:
Depone vanos invidiae metus;
Urbisque, fidens dignitati,
Per plateas animosus audi.

En quo furentes Eumenidûm choros
Disiecit almo fulmine Iupiter!
Huic ara stabit, fama cantu
Perpetuo celebranda crescet.

116.

Aemilii Macri.

Cycnus in auspiciis semper laetissimus ales.
Hunc optant nautae, quia se non mergit in undas.

117.

Germanici Caesaris.

Martia progenies, Hector, (tellure sub ima
Fas audire tamen si mea verba tibi)
Respira, quoniam vindex tibi contigit heres,
Qui patriae famam proferat usque tuae.

Ilios en surgit rursum inclita; gens colit illam
Te Marte inferior, Martis amica tamen.
Myrmidonas periisse omnes dic, Hector, Achilli,
Thessaliam et magnis esse sub Aeneadis.

118.

Asinii Galli

in M. Pomponium Marcellum grammaticum.

Qui caput ad laevam didicit, glossemata nobis
Praecipit: os nullum vel potius pugilis.

119.

C. Abronii Silonis.

Ite agite, o Danai, magnum Paeana canentes,
Ite triumphantes: belli mora concidit Hector.

120.

Cn. Mattii

mimiamborum fragmenta.

Nuper die quarto, ut recordor, et certe,
Aquarium urceum unicum domi fregit.

— —

Iamiam albicascit Phoebus, et recentatur
Commune lumen omnibus voluptasque.

— —

Quapropter edulcare convenit vitam,
Curasque acerbas sensibus gubernare.

— —

Sinuque amicam refice frigidam caldo
Columbulatim labra conserens labris.

— —

Iam tonsiles tapetes ebrii fuco,
Quos concha purpura imbuens venenavit.

— —

Deïn coquenti vasa cuncta deiectat,
Nequamve scitamenta pipulo poscit.

— —

— — — — — — ficorum
In milibus tot non videbitis grossum.

— —

Sumas ab alio lacte diffluos grossos.

121.

C. Pedonis Albinovani

de navigatione Germanici, Drusi filii, per Oceanum septentrionalem.

Iam pridem post terga diem solemque relictum,
Iam pridem notis extorres finibus orbis
Per non concessas audaces ire tenebras,
Hesperii metas extremaque litora mundi,
Nunc illum, pigris immania monstra sub undis
Qui ferat, Oceanum, qui saevas undique pristis
Aequoreosque canes, ratibus consurgere prensis.
Accumulat fragor ipse metus. Iam sidere limo
Navigia, et rapido desertam flamine classem,
Seque feris credunt per inertia fata marinis
Iam non felici laniandos sorte relinqui.
Atque aliquis prora spectat sublimis ab alta,
Aëra pugnaci luctatus rumpere nisu.
Ut nihil erepto valuit dignoscere mundo,
Obstructo tales effudit pectore voces:
Quo ferimur? Ruit ipse dies, orbemque relictum
Ultima perpetuis claudit natura tenebris.
Anne alio positas ultra sub cardine gentes
Atque alium libris intactum quaerimus orbem?
Di revocant, rerumque vetant cognoscere finem
Mortales oculos. Aliena quid aequora remis
Et sacras violamus aquas Divumque quietas
Turbamus sedes?

122.

Domitii Marsi

epitaphium Albii Tibulli.

Te quoque Virgilio comitem non aequa, Tibulle,
  Mors iuvenem campos misit in Elysios,
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
  Aut caneret forti regia bella pede.

123.

Domitii Marsi

in Bavium et Maevium.

Omnia cum Bavio communia frater habebat,
  Unanimi fratres sicut habere solent,

Rura, domum, nummos atque omnia denique, ut aiunt,
Corporibus geminis spiritus unus erat.
Sed postquam alterius mulier communis utrique
Nupsit, deposuit alter amicitiam.

124.

Cornelii Severi

de morte Ciceronis fragmentum.

Oraque magnanimûm spirantia paene virorum
In rostris iacuere suis: sed enim abstulit omnes,
Tamquam sola foret, rapti Ciceronis imago.
Tunc redeunt animis ingentia consulis acta,
Iurataeque manus deprensaque foedera noxae
Patriciumque nefas extinctum, et poena Cethegi,
Deiectusque redit votis Catilina nefandis.
Quid favor aut coetus, pleni quid honoribus anni
Profuerunt, sacris et vita quid artibus acta?
Abstulit una dies aevi decus, ictaque luctu
Conticuit Latiae tristis facundia linguae.
Unica sollicitis quondam tutela salusque,
Egregium semper patriae caput, ille senatus
Vindex, ille fori, legum, iurisque, togaeque
Publica vox saevis aeternum obmutuit armis.
Informes vultus sparsamque cruore nefando
Canitiem sacrasque manus operumque ministras
Tantorum, pedibus civis proiecta superbis
Proculcavit ovans, nec lubrica fata deosque
Respexit: nullo luet hoc Antonius aevo.
Hoc nec in Emathio mitis victoria Perse,
Nec te, dire Syphax, nec fecit in hoste Philippo,
Inque triumphato ludibria cuncta Iugurtha
Afuerunt, nostraeque cadens ferus Hannibal irae
Membra tamen Stygias tulit inviolata sub umbras.

125.

Alphii Aviti.

Tum litterator creditos
Ludo Faliscum liberos,
Causatus in campi patens

Extraque muri ducere,
Spatiando paulatim trahit
Hostilis ad valli latus.

— —

Seu tute malis hospites,
Seu tute captivos, habes.

— —

Marite, si sanguis Curis,
Sabina si caedes placet,
In me, oro, convertas manus.

126.

Lucilii Iunioris.

Mors non una venit: sed, quae rapit, ultima mors est.

127.

Lucilii Iunioris.

Non est tuum, fortuna quod fecit tuum.
Dari bonum quod potuit, auferri potest.

128.

L. Annaei Senecae

ad Cordubam patriam.

orduba, solve comas et tristes indue vultus,
Illacrimans cineri munera mille meo.
Nunc longinqua tuum deplora, Corduba, vatem,
Corduba, non alio tempore moesta magis;
Tempore non illo, quo versis viribus orbis
Incubuit belli tota ruina tibi,
Cum geminis oppressa malis utrimque peribas,
Et tibi Pompeius, Caesar et hostis erat;
Tempore non illo, quo ter tibi funera centum
Heu! nox una dedit, quae tibi summa fuit;
Non, Lusitanus quateret cum moenia latro,
Figeret et portas lancea torta tuas.
Ille tuus quondam magnus, tua gloria, civis
Infigar scopulo! Corduba, solve comas,
Et gratare tibi, quod te natura supremo
Adluit Oceano: tardius ista doles.

129.

L. Annaei Senecae

ad Corsicam.

Corsica, Phocaïco tellus habitata colono,
  Corsica, quae patrio nomine Cyrnus eras,
Corsica Sardinia brevior, porrectior Ilva,
  Corsica piscosis pervia fluminibus,
Corsica terribilis, cum primum incanduit aestas,
  Saevior, ostendit cum ferus ora Canis,
Parce relegatis, hoc est, iam parce sepultis.
  Vivorum cineri sit tua terra levis.

130.

L. Annaei Senecae

de Corsica.

Barbara praeruptis inclusa est Corsica saxis,
  Horrida, desertis undique vasta locis.
Non poma autumnus, segetes non educat aestas,
  Canaque Palladio munere bruma caret.
Imbriferum nullo ver est laetabile fetu,
  Nullaque in infausto nascitur herba solo,
Non panis, non haustus aquae, non ultimus ignis.
  Hic sola haec duo sunt, exul et exilium.

131.

L. Annaei Senecae.

Omnia tempus edax depascitur, omnia carpit,
  Omnia sede movet, nil sinit esse diu.
Flumina deficiunt, profugum mare litora siccat,
  Subsidunt montes et iuga celsa ruunt.
Quid tam parva loquor? moles pulcherrima coeli
  Ardebit flammis tota repente suis.
Omnia mors poscit. Lex est, non poena perire.
  Hic aliquo mundus tempore nullus erit.

132.

L. Annaei Senecae.

Duc me, parens celsique dominator poli,
Quocumque placuit, nulla parendi mora est.
Adsum impiger: fac nolle, comitabor gemens.

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt,
Malusque patiar, quod pati licuit bono.

133.

L. Annaei Senecae.

Auro quid melius? iaspis. quid iaspide? sensus.
Quid sensu? ratio. quid ratione? deus.

Vento quid levius? fulmen. quid fulmine? fama.
Fama quid? mulier. quid muliere? nihil.

134.

L. Annaei Senecae

(Parcendum Misero.)

Occisi iugulum quisquis scrutaris amici
Tu, miserum necdum me satis esse putas?
Desere confossum. Victori vulnus iniquo
Mortiferum inpressit mortua saepe manus.

135.

L. Annaei Senecae

ad C. Vibium Crispum Passienum.

(ad amicum optimum)

Crispe, meae vires lassarumque anchora rerum,
Crispe vel antiquo conspiciende foro,
Crispe, potens numquam, nisi cum prodesse volebas,
Naufragio litus tutaque terra meo,
Solus honor nobis, arx et tutissima nobis,
Et nunc adflicto sola quies animo.
Crispe, fides dulcis placidique acerrima virtus,
Cuius Cecropio pectora melle madent;
Maxima facundo vel avo vel gloria patri,
Quo solo careat si quis, in exilio est.
En hic, qui iaceo saxis telluris adhaerens!
Mens tecum est, nulla quae cohibetur humo.

136.

[*L. Annaei Senecae*

in Crispum.]

Ablatus mihi Crispus est, amici!
Pro quo si pretium dari liceret,

Nostros dividerem libenter annos.
Nunc pars optima me mei reliquit,
Crispus, praesidium meum, voluptas,
Pectus, deliciae: nihil sine illo
Laetum mens mea iam putabit esse.
Consumtus male debilisque vivam:
Plus quam dimidium mei recessit!

137.

L. Annaei Senecae.

Quisquis es, et nomen dicam: dolor omnia cogit!
Qui nostrum cinerem nunc, inimice, premis,
Et non contentus tantis subitisque ruinis
Stringis in extinctum tela cruenta caput,
Crede mihi, vires aliquas natura sepulchris
Adtribuit. Tumulos vindicat umbra suos.
Ipsos crede deos hoc nunc tibi dicere, livor,
Hoc tibi nunc manes dicere crede meos:
Res est sacra miser: noli mea tangere fata.
Sacrilegae bustis abstinuere manus.

138.

L. Annaei Senecae.

Carmina mortifero tua sunt suffusa veneno,
At sunt carminibus pectora nigra magis.
Nemo tuos fugiet, non vir, non femina dentes,
Haud puer, haud aetas undique tuta senis.
Utque furens totas inmittit saxa per urbes
In populum, sic tu verba maligna iacis.
Sed solet insanos populus conpescere sanus,
Et repetunt motum saxa remissa caput.
In te nunc stringit nullus non carmina vates,
Inque tuam rabiem publica Musa furit.
Dum sua conpositus nondum bene concutit arma
Miles, et e nostra lancea torta manu,
Bellus homo, et valide capitalia crimina ludis,
Deque tuis manant atra venena iocis.

Sed tu perque iocum dicis vinumque. Quid ad rem,
Si plorem, risus si tuus ista facit?
Quare tolle iocos; non est iocus, esse malignum.
Numquam sunt grati, qui nocuere, sales.

139.

L. Annaei Senecae.

Sic mihi sit frater maiorque minorque superstes;
Et de me doleant nil nisi morte mea.
Sic illos vincam, sic vincar rursus amando,
Mutuus inter nos sic bene certet amor.
Sic dulci Marcus qui nunc sermone fritinnit,
Facundo patruos provocet ore duos.

140.

Volcatii Sedigiti

(ex libro *De Poetis* fragmentum.)

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poetae comico cui deferant.
Eum meo iudicio errorem dissolvam tibi,
Ut, contra si quis sentiat, nil sentiat.
Caecilio palmam *Statio* do comico.
Plautus secundus facile exuperat ceteros.
Dein *Naevius*, qui fervet, pretio in tertio est.
Si erit, quod quarto detur, dabitur *Licinio*.
Post insequi Licinium facio *Attilium*.
In sexto sequitur hos loco *Terentius*.
Turpilius septimum, *Trabea* octavum obtinet.
Nono loco esse facile facio *Luscium*.
Decimum addo causa antiquitatis *Ennium*.

— —

— —

Sumetur Hecyra sexta ex his fabula

— —

Sed ut Afer sex populo edidit comoedias,
Iter hinc in Asiam fecit. Navim cum semel
Conscendit, visus numquam est: sic vita vacat.

141.

Neronis Imperatoris
(ex libro primo Troicon.)

Quique pererratam subductus Persida Tigris
Deserit, et longo terrarum tractus hiatu
Reddit quaesitas iam non quaerentibus undas.

142.

T. Petronii Arbitri.

Parvula securo tegitur mihi culmine sedes
Uvaque plena mero fecunda pendet ab ulmo:
Dant rami cerasos, dant mala rubentia silvae,
Palladiumque nemus pingui se vertice frangit.
Iam qua diductos potat levis area fontes,
Corycium mihi surgit olus malvaeque supinae
Et non sollicitos missura papavera somnos.
Si vero alitibus fraudem contexere praeter,
Seu magis inbelles libuit circumdare cervos,
Aut tereti lino pavidum subducere piscem:
Hos tantum novere dolos mea sordida rura.
I nunc, et vitae fugientis tempora vende
Divitibus coenis! Me si manet exitus, idem
Hic, precor, inveniar, consumptaque tempora poscar.

143.

Petronii
(in villam suam.)

O litus vita mihi dulcius! o mare! felix,
  Cui licet ad terras ire subinde meas.
O formosa dies! hoc quondam rure solebam
  Iliadum armatas sollicitare manus.
Hic fontis lacus est, illic sinus egerit algas.
  Haec statio est tacitis victa Cupidinibus.
Pervixi: neque enim fortuna malignior umquam
  Eripiet nobis, quod prior hora dedit.
Illic alternis depugnat pontus et aer,
  Hic rivo tenui pervia ridet humus.
Illic divisas conplorat navita puppes,
  Hic pastor miti perluit amne pecus.

Illic inmanes mors obvia solvit hiatus;
Hic gaudet curva falce recisa Ceres.
Illic inter aquas urit sitis arida fauces,
Hic dat periuro basia multa viro.
Naviget, et fluctus lasset mendicus Ulixes,
In terris vivet candida Penelope.

144.

Petronii.

Qui mavult pro parte mori, nec cogere fata
Mollia praecipiti rumpere fila manu,
Hactenus iratum mare noverit; ecce, refuso
Gurgite securos adluit unda pedes.
Ecce inter virides iactatur mitulus algas,
Et rauco trahitur lubrica concha sinu:
Ecce recurrentes qua versat fluctus arenas,
Discolor adtrita calculus exit humo.
Haec quisquis calcare potest, in litore tuto
Ludat, et hoc solum iudicet esse mare.

145.

Petronii.

Primus in orbe deos fecit timor, ardua coelo
Fulmina cum caderent, discussaque moenia flammis,
Atque ictus flagraret Athos. Mox Phoebus ad ortus
Lustrata deiectus humo, Lunaeque senectus
Et reparatus honos, hinc signa effusa per orbem,
Et permutatis disiunctus mensibus annus
Proiecit vitium hoc, atque error iussit inanis
Agricolas primos Cereri dare messis honores,
Palmitibus plenis Bacchum vincire, Palemque
Pastorum gaudere manu. Natat obrutus omni
Neptunus demersus aqua, Pallasque tabernas
Vindicat. Et voti reus, et qui vendidit orbem,
Iam sibi quisque deos avido certamine fingit.

146.

Petronii.

Nolo ego semper idem capiti suffundere costum,
Nec toto stomachum conciliare mero.

Taurus amat gramen mutata carpere valle,
Et fera mutatis sustinet ora cibis.
Ipsa dies ideo nos grato perluit haustu,
Quod permutatis hora recurrit equis.

147.

Petronii.

Uxor legitimus debet quasi census amari:
Nec censum vellem semper amare meum.

148.

Petronii.

Inveniat, quod quisque velit: non omnibus unum est,
Quod placet. Hic spinas colligit, ille rosas.

149.

Petronii.

Nam nihil est, quod non mortalibus adferat usum.
Rebus in adversis, quae iacuere, iuvant.
Sic rate demersa fulvum deponderat aurum:
Remorum levitas naufraga membra vehit.
Cum sonuere tubae, iugulo stat divite ferrum:
Barbara contemtu praelia pannus habet.

150.

Petronii.

Linque tuas sedes alienaque litora quaere,
O iuvenis: maior rerum tibi nascitur ordo.
Ne succumbe malis; te noverit ultimus Ister,
Te Boreas gelidus securaque regna Canopi,
Quique renascentem Phoebum cernuntque cadentem.
Maior in externas Ithacus descendat arenas.

151.

Petronii Arbitri.

Nobilis aestivas platanus diffuderat umbras,
Et baccis redimita daphne tremulaeque cupressus,
Et circumtonsae trepidanti vertice pinus.
Has inter ludebat aquis errantibus amnis
Spumeus, et querulo versabat rore lapillos.
Dignus amore locus, testis silvester aëdon

Atque urbana Progne, quae circum gramina fusae
Ac molles violas cantu sua rura colebant.

152.

Petronii Arbitri.

Idaeo quales fudit de vertice flores
Terra parens, cum se confesso iunxit amori
Iupiter, et toto concepit pectore flammas,
Emicuere rosae violaeque et molle cyperon,
Albaque de viridi riserunt lilia prato.
Talis humus Venerem molles clamavit in herbas,
Candidiorque dies secreto favit amori.

153.

Petronii Arbitri.

Heu heu nos miseros, quam totus homuncio nil est!
. . . .
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.
Ergo vivamus, dum licet esse bene.

154.

Petronii Arbitri.

Artis severae si quis hamat effectus,
Mentemque magnis applicat, prius more
Frugalitatis lege polleat exacta.
Nec curet alto regiam trucem vultu,
Cliensve coenas inpotentium captet,
Nec perditis addictus obruat vino
Mentis calorem, neve plausor in scena
Se det redemtis histrioniae addictus.

155.

Petronii Arbitri.

Sed sive armigerae rident Tritonidis arces,
Seu Lacedaemonio tellus habitata colono
Sirenumque domus, det primos versibus annos,
Maeoniumque bibat felici pectore fontem:
Mox et Socratico plenus iam mittat habenas
Liber, et ingentis quatiat Demosthenis arma,
Hinc Romana manus circumfluat, et modo Graio
Exonerata sono mutet suffusa saporem.

Interdum subducta foro det pagina cursum,
Et cortina sonet celeri distincta meatu.
Dent epulas et bella truci memorata canore,
Grandiaque indomiti Ciceronis verba minentur.
His animum succinge bonis, sic flumine largo
Plenus Pierio defundes pectore verba.

156.

Petronii Arbitri.

Contemni turpe est, legem donare superbum.
Hoc amo, quod possum qua libet ire via.
Nam sane et sapiens contemtus iurgia nectit,
Et qui non iugulat victor abire solet.

157.

Petronii Arbitri.

Ales Phasiacis petita Colchis
Atque Afrae volucres placent palato,
Quod non sunt faciles, at albus anser
Et pictis anas enotata pennis
Plebeium sapit. Ultimis ab oris
Adtractus scarus, atque arata Syrtis
Si quid naufragio dedit, probatur.
Mullus iam gravis est. Amica vincit
Uxorem. Rosa cinnamum veretur.
Quidquid quaeritur, optimum videtur.

158.

Petronii Arbitri.

Nec bibit inter aquas, poma aut pendentia carpit
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.
Divitis haec magni facies erit, omnia late
Qui tenet, et sicco concoquit ore famem.

159.

Petronii Arbitri.

Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat,
Aut ubi paupertas vincere nulla potest?
Ipsi, qui Cynica traducunt tempora coena,
Nonnumquam nummis vendere verba solent.

Ergo iudicium nihil est nisi publica merces,
Atque eques, in causa qui sedet, empta probat.

160.

Petronii Arbitri.

Quisquis habet nummos, secura naviget aura,
Fortunamque suo temperet arbitrio.
Uxorem ducat Danaen, ipsumque licebit
Acrisium iubeat credere, quod Danaen.
Carmina componat, declamet, concrepet, omnes
Et peragat causas, sitque Catone prior.
Iurisconsultus *Paret*, *Non paret* habeto,
Atque esto, quidquid Servius et Labeo.
Multa loquor. Quidvis nummis praesentibus opta,
Et veniet. Clausum possidet arca Iovem.

161.

Petronii Arbitri.

Non Indum fulgebat ebur, quod inhaeserat auro,
Nec iam calcato radiabat marmore terra,
Muneribus delusa suis, sed crate saligna
Inpositum Cereris vacuae nemus, et nova terrae
Pocula, quae facili vilis rota finxerat actu.
Hinc mollis stillae lacus, et de caudice lento
Vimineae lances maculataque testa Lyaeo,
Et paries circa palea satiatus inani
Fortuitoque luto clavos numerabat agrestes,
Et viridi iunco gracilis pendebat arundo.
Praeterea quas fumoso suspensa tigillo
Conservabat opes humilis casa, mitia sorba
Inter odoratas pendebant texta coronas,
Et thymbrae veteres et passis uva racemis.
Qualis in Actaea quondam fuit hospita terra,
Digna sacris, Hecale, quam Musa loquentibus annis
Battiades veteri mirandam tradidit aevo.

162.

Petronii Arbitri.

Qui pelago credit, magno se foenore tollit.
Qui pugnas et castra petit, praecingitur auro.

Vilis adulator picto iacet ebrius ostro,
Et qui sollicitat nuptas, ad praemia peccat.
Sola pruinosis horret facundia pannis,
Atque inopi lingua desertas invocat artes.

163.

Petronii Arbitri.

Nomen amicitiae si, quatenus expedit, haeret,
Calculus in tabula mobile ducit opus.
Cum fortuna manet, vultum servatis, amici;
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.
Grex agit in scena mimum, pater ille vocatur,
Filius hic, nomen divitis ille tenet.
Mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, assimulata perit.

164.

Petronii Arbitri.

Nolo, quod cupio, statim tenere,
Nec victoria mi placet parata.

165.

Petronii Arbitri.

Qualis nox fuit illa, di deaeque!
Quam mollis torus! haesimus calentes
Et transfudimus hinc et hinc labellis
Errantes animas. Valete curae
Mortales! ego sic perire coepi.

166.

Petronii Arbitri.

Quid me spectatis constricta fronte, Catones,
Damnatisque novae simplicitatis opus?
Sermonis puri non tristis gratia ridet,
Quodque facit populus, candida lingua refert.
Nam quis concubitus, Veneris quis gaudia nescit?
Quid vetat in tepido membra calere toro?
Ipse pater veri doctus Epicurus in arte
Iussit, et hanc vitam dixit habere deos.

167.

Petronii Arbitri.

Quid factum est, quod tu proiectis, Iupiter, armis
Inter coelicolas fabula muta taces?
Nunc erat, a torva submittere cornua fronte,
Nunc pluma canos dissimulare tuos.
Haec vera est Danae! tenta modo tangere corpus:
Iam tua flammifero membra calore fluent.

168.

Petronii Arbitri.

Quod solum formae decus est, cecidere capilli,
Vernantesque comas tristis abegit hiems.
Nunc umbra nudata sua iam tempora moerent,
Areaque attritis ridet adusta pilis.
O fallax natura deum! quae prima dedisti
Aetati nostrae gaudia, prima rapis.

169.

Petronii Arbitri.

Infelix, modo crinibus nitebas,
Phoebo pulchrior et sorore Phoebi,
At nunc levior aere vel rotundo
Horti tubere, quod creavit unda,
Ridentes fugis et times puellas.
Ut mortem citius venire credas,
Scito, iam capitis perisse partem.

170.

Petronii Arbitri.

Somnia, quae mentes ludunt volitantibus umbris,
Non delubra deum nec ab aethere numina mittunt,
Sed sibi quisque facit. Nam cum prostrata sopore
Urget membra quies et mens sine pondere ludit;
Quidquid luce fuit, tenebris agit. Oppida bello
Qui quatit et flammis miserandas saevit in urbes,
Tela videt versasque acies et funera regum
Atque exundantes profuso sanguine campos;
Qui causas orare solent, legesque forumque,
Et pavido cernunt inclusum corde tribunal.

Condit avarus opes defossumque invenit aurum.
Venator saltus canibus quatit. Eripit undis
Aut premit eversam periturus navita puppim.
Scribit amatori meretrix; dat adultera munus,
Et canis in somnis leporis vestigia latrat.
[In noctis spatio miserorum vulnera durant.]

171.

Petronii Arbitri.

Nocte soporifera veluti cum somnia ludunt
Errantes oculos, effossaque protulit aurum
In lucem tellus, versat manus inproba furtum,
Thesaurosque rapit, sudor quoque perluit ora,
Et mentem timor altus habet, ne forte gravatum
Excutiat gremium secreti conscius auri.
Mox ubi fugerunt elusam gaudia mentem
Veraque forma redit, animus, quod perdidit, optat,
Atque in praeterita se totus imagine versat.

172.

Petronii Arbitri

de saga muliere.

Quidquid in orbe vides, paret mihi. Florida tellus,
Cum volo, siccatis arescit languida sucis;
Cum volo, fundit opes scopulis, atque horrida saxa
Niliacas iaculantur aquas; mihi pontus inertes
Submittit fluctus Zephyrique tacentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes. Mihi flumina parent
Hircanaeque tigres, et iussi stare dracones.
Quid leviora loquor? Lunae descendit imago
Carminibus deducta meis, trepidusque furentes
Flectere Phoebus equos revoluto cogitur orbe.
Tantum dicta valent! Taurorum flamma quiescit
Virgineis extincta sacris, Phoebeïa Circe
Carminibus magicis socios mutavit Ulixis,
Proteus esse solet, quidquid libet. His ego callens
Artibus Idaeos frutices in gurgite sistam,
Et rursus fluvios in summo vertice ponam.

173.

Petronii Arbitri.

Nympharum Bacchique comes, quem pulcra Dione
Divitibus silvis numen dedit, inclita paret
Cui Lesbos viridisque Thasos, quem Lydus adorat
Vestifluus, templumque tuis inponit Hypaepis.
Huc ades, o Bacchi tutor Dryadumque voluptas
Et timidas admitte preces. Non sanguine tristi
Perfusus venio, non templis inpius hostis
Admovi dextram, sed inops et rebus egenus
Adtritis facinus non toto corpore feci.
Quisquis peccat inops, minor est reus. Hac prece, quaeso,
Exonera mentem, culpaeque ignosce minori,
Et quandoque mihi fortunae adriserit hora,
Non sine honore tuum patiar decus. Ibit ad aras,
Sancte, tuas hircus, pecoris pater ibit ad aras
Corniger et querulae foetus suis, hostia lactens.
Spumabit pateris hornus liquor, et ter ovantem
Circa delubrum gressum feret ebria pubes.

174.

Petronii Arbitri.

Memphitides puellae,
Sacris deum paratae.
Tinctus colore noctis,
Manu puer loquaci,
Aegyptius choraules.
— —
Anus recocta vino
Trementibus labellis
— —
Triplici, vides, ut ortu
Triviae rotetur ignis,
Volucrique Phoebus axi
Rapidum pererret orbem.

175.

Petronii Arbitri.

Delos, iam stabili revincta terra,
Olim purpureo mari natabat,

Et moto levis hinc et inde vento
Ibat fluctibus inquieta summis.
Mox illam geminis deus catenis
Hac alta Gyaro ligavit, illac
Constanti Mycono dedit tenendam.

176.

Petronii

de puteo excavato in montis iugo.

Hunc quis non credat ipsis dare Syrtibus amnes,
Qui dedit ignotas viscere montis aquas?

177.

Petronii Afranii

ad Deliam.

Nescio quo stimulante malo pia foedera rupi.
Non capiunt vires crimina tanta meae.
Institit, et stimulis ardentibus inpulit actum,
Sive fuit fatum, seu fuit ille deus.
Arguimus quid vana deos? Vis, Delia, verum?
Qui tibi me dederat, idem et ademit Amor.

178.

Petronii Arbitri.

Nam citius flammas mortales ore tenebunt,
Quam secreta tegant. Quidquid dimittis in aula,
Effluit et subitis rumoribus oppida pulsat.
Nec satis est, vulgasse fidem: simulatius exit
Proditionis opus famamque onerare laborat.
Sic commissa verens avidus reserare minister
Fodit humum regisque latentes prodidit aures.
Excepit nam terra sonos calamique loquentes
Incinuere Midam, qualem narraverat index.

179.

Petronii Arbitri.

Qui vultur iecur ultimum pererrat,
Et pectus trahit intimasque fibras,
Non est, quem Tityi vocant poetae,
Sed cordis mala, Livor atque Luctus.

180.

Petronii Arbitri.

Fallunt nos oculi, vagique sensus
Oppressa ratione mentiuntur.
Nam turris, prope quae quadrata surgit,
Adtritis procul angulis rotatur.
Hyblaeum refugit satur liquorem,
Et naris casiam frequenter odit.
Hoc illo magis aut minus placere
Non posset, nisi lite destinata
Pugnarent dubio tenore sensus.

181.

Petronii Arbitri.

Non satis est, quod nos mergis, furiosa iuventus,
Transversosque rapit fama sepulta probris?
Anne etiam famuli cognata faece sepulti
In testa mersas luxuriantur opes?
Vilis servus habet regni bona, cellaque capti
Deridet festram Romuleamque casam.
Idcirco virtus medio iacet obruta coeno,
Nequitiae classes candida vela ferunt.

182.

Petronii.

Non est forma satis, nec quae vult bella videri,
Debet vulgari more placere sibi:
Dicta, sales, lusus, sermonis gratia, risus
Vincunt naturae candidioris opus.
Condit enim formam, quidquid consumitur artis,
Et nisi velle subest, gratia tota perit.

183.

Petronii

(Amans amanti.)

Candida sidereis ardescunt lumina flammis,
Fundunt colla rosas et cedit crinibus aurum,
Mellea purpureum depromunt ora ruborem,
Lacteaque admixtus sublimat pectora sanguis,

Ac totus tibi servit honos, formaque dearum
Fulges et Venerem caelesti corpore vincis.
Argento stat facta manus, digitisque tenellis
Serica fila trahens, pretioso stamine ludis.
Planta decens nescit modicos calcare lapillos,
Et dura laedi scelus est vestigia terra.
Ipsa tuos cum ferre velis per lilia gressus,
Nullos interimes leviori pondere flores.
Guttura nunc aliae magnisve monilibus ornent,
Aut gemmas aptent capiti, tu sola placere
Vel spoliata potes. Nulli laudabile totum est:
In te cuncta probent, si quisquam cernere possit.
Sirenum cantus et dulcia plectra Thaliae
Ad vocem tacuisse rear, qua mella propagas
Dulcia, et in miseros telum iacularis amoris.
[Langueo, deficio, marcesco, punior, uror,
Aestuo, suspiro, pereo, depellor, anhelo.]
Cor grave vulnus alit, nullo sanabile ferro,
Sed tua labra meo saevum de corde dolorem
Depellant morbumque animae medicaminis huius
Cura fuget, ne tanta putres violentia nervos
Dissecet, atque tuae moriar pro crimine causae.
Sed, si hoc grande putas, saltem concede precanti,
Ut iam defunctum niveis ambire lacertis
Digneris, vitamque mihi post fata reducas.

184.

Petronii Antigenidis Pisaurensis
de Thetide.

Cauta quidem genetrix, noceant ne vulnera nato,
  Confirmat Stygio fonte puerperium.
Sed quia fas nulli est humanam vincere sortem,
  In membris tincti dant sibi fata locum.

185.

Petronii Antigenidis
in Telephum.

Telephus, excellens Alcidis pignus et Augae,
  Externae sortis bella inopina tulit.

Nam Graii Troiam peterent cum mille carinis,
Tangeret et classis litus adacta suum:
Occurrens Danais forti dum pugnat Achilli,
Scyria pugnanti perculit hasta femur.
Pro cuius cura consultus dixit Apollo,
Hostica quo salubrem cuspis haberet opem.
Mox precibus flexi Pelidae robore raso,
Iniecto membris pulvere plaga fugit.
Monstrant fata viri vario miracula casu:
Unde datum est vulnus, contigit inde salus.

186.

Petronii Antigenidis

Laus Xerxis.

Perses magnus adest, totus comitatur euntem
Orbis. Quid dubitas, Graecia, ferre iugum?
Tellus iussa facit, coelum texere sagittae,
Abscondunt clarum Persica tela Iovem.
Classes fossus Athos intra sua viscera vidit,
Phryxeae peditem ferre iubentur aquae.
Quis novus hic hominum terramque diemque fretumque
Permutat? Certe sub Iove mundus erat!

187.

Petronii Antigenidis.

Haec urbem circa stulti monumenta laboris,
Quasque vides moles, Appia, marmoreas,
Pyramidasque ausas vicinum adtingere coelum,
Pyramidas, medio quas fugit umbra die,
Et Mausoleum, miserae solatia mortis,
Intulit externum quo Cleopatra virum,
Concutiet sternetque dies, quoque altius extat
Quodque opus, hoc illud carpet edetque magis.
Carmina sola carent fato mortemque repellunt,
Carminibus vives semper, Homere, tuis.

188.

Petronii Antigenidis

De Atho monte.

Hic, quem cernis, Athos inmissis pervius undis
Flexibus obliquis circumeundus erat.

Accepit magno deductum Nerea fluctu,
Perque latus misit maxima bella suum,
Sub tanto subitae sonuerunt pondere classes,
Caeruleus cana sub nive pontus erat.
Idem commisit longo duo litora ponte
Perses, et fecit per mare miles iter.
Quale fuit regnum mundo nova ponere iura?
Hoc terrae fiat; hac mare, dixit, eat.

189.

D. M.

Petronii Antigenidis.

Tu, pede qui stricto vadis per senta, viator,
Siste, rogo, titulumque meum ne spreveris, oro.
Bis quinos annos mensesque duos, duo soles
In superis feci, tenere nutritus, amatus.
Dogmata Pythagorae sensi studiumque sophorum,
Et libros legi. Legi pia carmina Homeri,
Sive quot Euclides abaco praescripta tulisset.
Delicias habui pariter lususque procaces.
Haec Hilarus mihi contulerat, pater ipse, patronus,
Si non infelix contraria fata habuissem:
Nunc vero infernas sedes, Acherontis ad undas
Tetraque Tartarei persidere tendo profundi.
Effugi tumidam vitam. Spes, forma valete:
Nil mihi vobiscum est. Alios deludite, quaeso.
Haec domus aeterna est. Hic sum situs, hic ero semper.

190.

[*Turni*]

Fragmentum satirae in Neronem.

Ergo famem miseram aut epulis infusa venena
Et populum exanguem pinguesque in funus amicos
Et molle imperii senium sub nomine pacis,
Et quodcumque illis nunc aurea dicitur aetas,
Marmoreaeque canent lacrimosa incendia Romae,
Ut formosum aliquid nigrae et solatia noctis?
Ergo re bene gesta et leto matris ovantem
Maternisque canent cupidum concurrere Diris,

Et Diras alias opponere et anguibus angues,
Atque novos gladios peiusque ostendere letum?
Saeva canent, obscoena canent foedosque hymenaeos
Uxoris pueri, Veneris monumenta nefandae!
Nil Musas cecinisse pudet, nec nominis olim
Virginei famaeque iuvat meminisse pudoris.
Ah! pudor extinctus doctaeque infamia turbae
Sub titulo prostant, et, quis genus ab Iove summo,
Res hominum supra evectae et nullius egentes,
Asse merent vili ac sancto se corpore foedant.
Scilicet aut Menae faciles parere superbo
Aut nutu Polycleti, et parca laude beatae,
Usque adeo maculas ardent in fronte recentes
Hesternique Getae vincla et vestigia flagri.
Quin etiam patrem oblitae et cognata deorum
Numina et antiquum castae pietatis honorem,
Proh! furias et monstra colunt inpuraque turpis
Fata vocant Titii mandata, et, quidquid Olympi est,
Transscripsere Erebo. Iamque inpia ponere templa
Sacrilegasque audent aras, coeloque repulsos
Quondam Terrigenas superis inponere regnis,
Qua licet, et stolido verbis inluditur orbi.

191.

Septimii Sereni.

Iane pater, Iane tuens, Dive biceps, biformis;
O cate rerum sator, o principium deorum,
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
Cui reserata mugiunt aurea claustra mundi:
Tibi vetus ara caluit Aborigineo sacello.

192.

Septimii Sereni.

Inquit amicus ager domino:
Si bene mi facias, memini.
Pinea brachia cum trepidant,
Audio canticulum Zephyri.

193.

Rufi Verginii.

Hic situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam
Imperium adseruit non sibi, sed patriae.

194.

C. Plinii Caecilii Secundi.

Huc mihi vos, largo spumantia pocula vino,
Ut calefactus Amor pervigilare velit.
Ardenti Baccho succenditur ignis Amoris:
Nam sunt unanimi Bacchus Amorque dei.

195.

C. Plinii Caecilii Secundi.

Cum libros Galli legerem, quibus ille parenti
Rursus de Cicerone daret palmamque decusque,
Lascivum inveni lusum Ciceronis et illo
Spectandum ingenio, quo seria condidit, et quo
Humanis salibus multo varioque lepore
Magnorum ostendit mentes gaudere virorum.
Nam queritur, quod fraude mala frustratus amantem
Paucula coenato sibi debita savia Tiro
Tempore nocturno subtraxerit. His ego lectis
Cur post haec, inquam, nostros celamus amores,
Nullumque in medium timidi damus, atque fatemur,
Tironisque dolos, Tironis nosse fugaces
Blanditias et furta novas addentia flammas?

196.

C. Plinii Caecilii Secundi.

Ut laus est cerae, mollis cedensque sequatur
Si doctos digitos, iussaque fiat opus,
Et nunc informet Martem castamve Minervam,
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum;
Utque sacri fontes non sola incendia sistunt,
Saepe etiam flores vernaque prata iuvant:
Sic hominum ingenium flecti ducique per artes
Non rigidas docta mobilitate decet.

197.

Sentii Augurini.

Canto carmina versibus minutis
His, olim quibus et meus Catullus
Et Calvus. Veteres quid o sed ad me?
Unus Plinius est mihi priores:
Mavult versiculos foro relicto,
Et quaerit, quod amet, putatque amari.
Ille o Plinius, ille quot Catones!
I nunc, quisquis amas, amare noli.

198.

Sulpiciae.

Ne me cadurcis destitutam fasciis
Nudam Caleno concubantem proferat.

199.

M. Valerii Martialis
in Domitianum.

— — — — — — — —

Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit heres!
Pene fuit tanti, non habuisse duos.

200.

M. Valerii Martialis.

Nec volo me summis fortuna nec adplicet imis,
Sed medium vitae temperet illa gradum.
Invidia excelsos, inopes iniuria vexat:
Quam felix vivit, quisquis utroque caret!

201.

M. Valerii Martialis
de Prisco et Vero.

Cum traheret Priscus, traheret certamina Verus,
Esset et aequalis Mars utriusque diu,
Missio saepe viris magno clamore petita est.
Sed Caesar legi paruit ipse suae.
Lex erat, ad digitum posita concurrere palma.
Quod licuit, lances donaque saepe dedit.
Inventus tamen est finis discriminis aequi:
Pugnavere pares, succubuere pares.

Misit utrisque rudes et palmas Caesar utrisque.
Hoc pretium virtus ingeniosa tulit.
Contigit hoc nullo nisi te sub principe, Caesar,
Cum duo pugnarent, victor uterque fuit.

202.

M. Valerii Martialis

de damma, quam Caesar dimisit.

Concita veloces fugeret cum damma Molossos
Et varia lentas necteret arte moras,
Caesaris ante pedes supplex similisque roganti
Constitit, et praedam non tetigere canes.
— —
Haec intellecto principe dona tulit.
Numen habet Caesar; sacra est vis, sacra potestas.
Credite, mentiri non didicere ferae.

203.

M. Valerii Martialis.

Da veniam subitis: non displicuisse meretur,
Festinat, Caesar, qui placuisse tibi.
Cedere maiori virtutis fama secunda est.
Illa gravis palma est, quam minor hostis habet.

204.

M. Valerii Martialis

epitaphium Antullae.

Hoc nemus aeterno cinerum sacravit honori
Foenius et culti iugera pauca soli.
Hoc tegitur cito rapta suis Antulla sepulcro,
Hoc erit Antullae mixtus uterque parens.
Si cupit hunc aliquis, moneo ne speret, agellum:
Perpetuo dominis serviet iste suis.

205.

M. Valerius Probus

ad Caelestinum.

Accipe nostra tuis audacius edita iussis,
Caelestine potens, et mentibus insere dicta.
Quo cumulante mihi semper fortuna favorem
Haud invita dedit sese, comitante benigno,

Quem superi voluere virum, mihi condere famam.
Ausus enim incipio, quoniam tua iussa fatigant,
Tempora vel numeros verborum et commata verbis,
Ut possum, monstrare meis, licet alta subire
Mens humilis vetet, et res metrica fortius artet.
Aptius esse tamen conantes iussa fatemur
Arta subire nimis, quam voce animoque silere.

206.

Aelii Hadriani.

Animula vagula, blandula,
Hospes comesque corporis,
Quae nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut soles, dabis iocos.

207.

Aelii Hadriani.

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

208.

Aelii Hadriani

epitaphium Voconii.

. . .

Lascivus versu, mente pudicus eras.

. . .

209.

Aelii Hadriani

epitaphium Sorani Batavi.

Ille ego Pannoniis quondam notissimus oris,
Inter mille viros primus fortesque Batavos,
Hadriano potui qui iudice vasta profundi
Aequora Danubii cunctis tranare sub armis,
Emissumque arcu, dum pendet in aëre, telum,
Ac redit, ex alia fixi fregique sagitta.
Quem neque Romanus potuit, nec barbarus umquam,
Non iaculo miles, non arcu vincere Parthus,

Hic situs, hic memori saxo mea facta sacravi.
Viderit, anne aliquis post me mea gesta sequatur.
Exemplo mihi sum, primus qui talia gessi.

210.

Aelii Hadriani

de Amazonibus.

Ut belli sonuere tubae, violenta peremit
Hippolyte Teuthranta, Lyce Clonon, Oebalon Alce;
Oebalon ense, Clonon iaculo, Teuthranta sagitta.
Figitur ora Clonus, latus Oebalus, ilia Teuthras.
Plus puero Teuthras, puer Oebalus, at Clonus heros.
Oebalus ibat equo, curru Cloas, at pede Teuthras:
Iphicli Teuthras, Doryli Clonus, Oebalus Idae,
Argolicus Teuthras, Moesus Clonus, Oebalus Arcas.

211.

Aelii Hadriani

epitaphium Borysthenis equi.

Borysthenes Alanus
Caesareus veredus,
Per aequor et paludes
Et tumulos et ruscos
Volare qui solebat
Pannonicos in apros.
Nec ullus insequentem
Dente aper albicanti
Ausus fuit nocere,
Vel extimam saliva
Sparsit ab ore caudam,
Ut solet evenire.
Sed integer iuventa,
Inviolatus artus,
Die sua peremptus
Hoc situs est in agro.

212.

Flori.

Ego nolo Caesar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

213.

Flori.

Bacche, vitium repertor, plenus adsis vitibus,
Effluas dulcem liquorem comparandum nectari,
Conditumque fac vetustum, ne malignis venulis
Asperum ducat saporem, versus usum in alterum.

214.

Flori.

Omnis mulier intra pectus celat virus pestilens:
Dulce de labris loquuntur, corde vivunt noxio.

215.

Flori.

Sic Apollo, deinde Liber sic videtur ignifer.
Ambo sunt flammis creati prosatique ex ignibus,
Ambo de comis calorem vite et radio conferunt.
Noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.

216.

Flori.

Quando ponebam novellas arbores mali et piri,
Cortici summae notavi nomen ardoris mei.
Nulla fuit exinde finis vel quies cupidinis,
Crescit arbor, gliscit ardor, ramus inplet litteras.

217.

Flori.

Qui mali sunt, non fuere matris ab alvo mali,
Sed malos faciunt malorum falsa contubernia.

218.

Flori.

Sperne mores transmarinos, mille habent offucias.
Cive romano per orbem nemo vivit rectius:
Quippe malim unum Catonem quam trecentos Socratas.

219.

Flori.

Tam malum est habere nummos, non habere quam malum est.
Tam malum est audere semper, quam malum est semper pudor.

Tam malum est tacere multum, quam malum est multum loqui.
Tam malum est foris amica, quam malum est uxor domi.
Nemo non haec vera dicit, nemo non contra facit.

220.

Flori.

Consules fiunt quotannis et novi proconsules:
Solus aut rex aut poeta non quotannis nascitur.

221.

Flori.

Venerunt aliquando rosae. Proh veris amoeni
Ingenium! una dies ostendit spicula florum,
Altera pyramidas nodo maiore tumentes,
Tertia iam calathos, totum lux quarta peregit
Floris opus. Pereunt hodie, nisi mane legantur.

222.

Sulpicii Carthaginiensis.

Iusserat haec rapidis aboleri carmina flammis
  Virgilius, Phrygium quae cecinere ducem.
Tucca vetat Variusque simul: tu, maxime Caesar,
  Non sinis et Latiae consulis historiae.
Infelix gemino cecidit prope Pergamos igni,
  Et pene est alio Troia cremata rogo.

223.

Sulpicii Carthaginiensis

argumenta in Virgilii Aeneidem.

I.

Arma virumque canit vates Iunonis ob iram
Et totum Aeoliis turbatum fluctibus aequor,
Disiectas classes submersaque corpora ponto,
Hospitium Didus, casus quo gentis et annos
Aeneas Troiae fatumque et bella referret.
Quorum pars terrae, pelago pars addita famae est.

II.

Conticuere omnes intentique ore loquentis
Ora tenent. Ac tum dolus introducitur hostis

Et fallacis equi damnosum munus in armis,
Perfidia notusque Sinon amissaque coniunx;
Per medios ignes ablatus saevaque tela
Anchises oneri facilis pietate ferentis.

III.

Postquam res Asiae disiectaque moenia Troiae,
Dant pelago classes. Polydori funera discunt
Atque Heleni praecepta, fidem cui fecerat usus;
Quae non accessus via sit tentanda, Cyclopas
Et Scyllae rabies et ineluctabilis unda
Errorisque maris labor in contraria versus.

IV.

At regina gravi pectus succensa dolore
Ardet amore viri, clausum veneratur amorem,
Dumque capit, capitur; sentit, quos praebuit, ignes
Aeneas; altum sociis et classe petivit.
Extructa regina pyra penetralibus instat
Morte fugam praestare, morae nec defuit hora.

V.

Interea medium Aeneas tendebat in aequor
Moenia respiciens causa flagrantia amoris.
Mox Sicula tenet arva domus manesque parentis
Ludorum exequiis celebrat. Quibus additur Iris
In faciem Beroes classem flammare iubentis
Iunonem mentita dolo: namque illa monebat.

VI.

Sic fatus lacrimans. Cumarum adlabitur oris
Descensusque parans obiit praecepta Sibyllae,
Qua duce non faustum mortali limen aditur.
Hic primum maestos videt inter cetera Troas,
Tum patrem agnoscit, discit reditura sub ortus
Corpora romanosque duces seriemque nepotum.

VII.

Tu quoque litoribus nostris, Caieta, manebis,
Servat honos nomen, pietas testatur honorem.
Causa opus insequitur: bellum namque incipit esse,
Tyrrhidae iuvenum quod tunc conflaverat ira.

Turnus adest, monet arma sibi contraria sumat.
Tum gentes socia arma ferunt, fremit arma iuventus.

VIII.

Ut belli signum cecinit sociosque vocavit
Turnus et in varias turbatus pectora mentes
Aeneas Evandron adit, facit hospitis usum
Atque operum causas, urbis cognoscit honores,
Arma rogat, Cytherea rogat, mox accipit heros.
Tuque opere ast piget facti labor efficit artem.

IX.

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Iris adest, monet arma sibi contraria sumat.
Caeduntur vigiles et mutua corpora fratrum,
Nisus et Eurialus morte et pietate fideles;
Dumque petunt laudem, vincunt contraria fata,
Audacem Remulum leto dat pulcher Iulus.

X.

Panditur interea coelum sedesque Tonantis,
Alternos questus Venus ac Saturnia promunt.
Illa dolos, haec bella movet, sed vincitur ira
Mater. At Aeneas bello non segnior instat,
Vulnere Mezenti laudaem nam fecerat iram,
Quem tetigit virtus, superat per fata periclum.

XI.

Oceanum interea Phoebus superaverat ortu.
Extruit Aeneas dextra quaesita tropaea,
Condit humi socios, fatum quos condidit ante.
Legati responsa ferunt veniamque petitam
Non negat et contra pugnat secura Camilla,
Femina caede potens, casu temeraria tanto.

XII.

Turnus ut infractos vidit cessisse Latinos,
Instat atrox pugnae neces sibi percipit hostis
Pectore secreto violatur vulnere teli,
Aeneas causa est; illi Iuturna neganti
Adfuit obsequio, quum mors finiverat iram.
Sed sua fata virum traxerunt quaerere mortem.

224.

Terentiani Mauri.

Adesto iambe praepes et tui tenax
Vigoris, adde concitum celer pedem.
Nec alterius indigens opis veni,
Sed ipse verus integerque gestiens,
Adusta felle qualis ante carmina
Dabas amarus, inpotens ultor tui.

225.

Appuleii.

Principium vitae obitus meditatio est.
Non vult emendari peccare nesciens.
Inmoderata ira fructus est insaniae.
Pecuniam amico credens est damnum duplex:
Argentum et sodalem perdidit simul.

226.

Appuleii

epistolium de dentifricio.

Calpurniane, salve properis versibus.
Misi, ut petisti, mundicinas dentium,
Nitelas oris ex Arabicis frugibus,
Tenuem, candificum, nobilem pulvisculum,
Complanatorem tumidulae gingivulae,
Converritorem pridianae reliquiae,
Ne quae visatur tetra labes sordium,
Restrictis forte si labellis riseris.

227.

Appuleii

in Critiam et Charinum.

Et Critias mea delicies sit: salva, Charine,
Pars in amore meo, vita, tibi remanet.
Ne metuas: nam me ignis et ignis torreat, ut vult,
Hasce duas flammas, dum potior, patiar.
Hoc modo sim vobis, unus sibi quisque quod ipse est.
Hoc mihi vos eritis, quod duo sunt oculi.

228.

Appuleii

in Critiam.

Florea serta, meum mel, et haec tibi carmina dono.
Carmina dono tibi, serta tuo genio;
Carmina, uti, Critia, lux haec optata canatur,
Quae bis septeno vere tibi remeat;
Serta autem, ut laeto tibi tempore tempora vernent,
Aetatis florem floribus ut decores.
Tu mihi da contra pro verno flore tuum ver,
Ut nostra exuperes munera muneribus.
Pro inplexis sertis complexum corpore redde,
Proque rosis oris savia purpurei.
Quod si animam inspires, dona, et iam carmina nostra
Cedent victa tuo dulciloquo calamo.

229.

Appuleii.

Montis in excelsi scopulo desiste puellam,
Ornatam mundo funerei thalami.
Nec speres generum mortali stirpe creatum,
Sed saevum atque ferum, vipereumque malum,
Qui pinnis volitans super aethera cuncta fatigat,
Flammaque et ferro singula debilitat,
Quem tremit ipse Iovis, quo numina terrificantur,
Flumina quem horrescunt et Stygiae tenebrae.

230.

Appuleii

ἀνεχόμενος ex Menandro.

Amare liceat, si potiri non licet.
Fruantur alii; non moror, non sum invidus;
Nam sese excruciat, qui beatis invidet.
Quos Venus amavit, facit amoris compotes;
Nobis Cupido velle dat, posse abnegat.
Olli purpurea delibantes oscula
Clemente morsu rosea labella vellicent,
Malas adorent ore et ingenuas genas
Et pupularum nitidas geminas gemmulas.

Quin et quum tenera membra molli lectulo,
Quum pectora ipsa adhaerent Veneris glutino,
Libido quum lascivo instinctu suscitat,
Sinuare ad Veneris usum femina, feminae
Inter gannitus et subantis voculas
Carpant papillas atque amplexus intiment,
Arentque sulcos molles arvo Venereo
Thyrsumque pangant hortulo in Cupidinis,
Dent crebros ictus connivente lumine,
Trepidante cursu Venere et anima fessula,
Eiaculent tepidum rorem niveis laticibus.
Haec illi faciant, quis Venus non invidet,
At nobis casso saltem delectamine
Amare liceat, si potiri non licet.

231.

Modestini
de Amore.

Forte iacebat Amor victus puer alite somno
Myrti inter frutices pallentis roris in herba:
Hunc procul emissae tenebrosa Ditis ab aula
Circumeunt animae, saeva face quas cruciarat.
Ecce meus venator! ait, hunc, Phaedra, ligemus.
Crudelis, crinem, clamabat Scylla, metamus,
Colchis et orba Progne, numerosa caede necemus,
Dido et Canace, saevo gladio perimamus,
Myrrha, meis ramis; Evadne, igne crememus,
Hunc, Arethusa inquit Biblisque, in fonte necemus.
Ast Amor evigilans dixit: mea penna, volemus!

232.

Gallieni imperatoris
epithalamium.

Ite simul iuvenes, pariter sudate medullis
Omnibus inter vos. Non murmura vestra columbae,
Brachia nec hederae vincant, nec oscula conchae.
Ludite, sed vigiles nolite extinguere lychnos.
Omnia nocte vident, nil cras meminere lucernae.

233.

Albi Ovidii Iuventini

elegia de philomela.

Dulcis amica veni, noctis solatia praestans:
  Inter aves etenim nulla tibi similis.
Tu, philomela, potes vocum discrimina mille,
  Mille potes varios ipsa referre modos.
Nam quamvis aliae volucres modulamina tentent,
  Nulla potest modulis aequivalere tuis.
Insuper est avium, spatiis garrire diurnis:
  Tu cantare simul nocte dieque potes.
Parus enim quamvis per noctem tinnipet omnem,
  At sua vox nulli iure placere potest.
Dulce palara sonat, quam dicunt nomine drostam,
  Sed fugiente die nempe quieta silet.
Et merulus modulans sat pulcris tinnitat odis,
  Nocte ruente tamen cantica nulla canit.
Vere calente novos componit acredula cantus,
  Matutinali tempore tunc mitilans.
Tunc turdus truculat, sturnus tunc pusitat ore;
  Sed quod mane canunt, vespere non recolunt.
Caccabat hinc perdix, hinc graccitat inprobus anser,
  Et castus turtur atque columba gemunt.
Plausitat arborea resonans de fronde palumbes,
  In fluviisque natans ore tetrinit anas.
Martia grus gruit, ast cycni prope flumina drensant,
  Accipiter pipat, milvus hiansque lipit.
Cucurrire solet gallus, gallina gracillat,
  Pululat at pavo, trissat hirundo vaga.
Clangunt porro aquilae, vultur pulpare probatur,
  Et crocitat corvus, fringulit et graculus.
Gloctorat inmenso de turre ciconia rostro,
  Pessimus at passer tristia flendo pipit.
Psittacus humanas depromit voce loquelas,
  Atque suo domino χαῖρε sonat vel ave!

Pica loquax varias concinnat gutture voces,
Scurrili strepitu quidquid et audit ait.
Et cuculi cuculant et rauca cicada fritinnit,
Bombilat ore legens munera mellis apis.
Bubulat horrendum ferali carmine bubo
Humano generi tristia fata ferens.
Strix nocturna sonans et vespertilio stridunt,
Noctua lucifuga cucubat in tenebris.
Ast ululant ululae lugubri voce canentes,
Inque paludiferis butio butit aquis.
Regulus atque merops et rubro pectore Progne
Consimili modulo zinzilulare sciunt.
Scribere me voces avium philomela coegit,
Quae cantu cunctas exuperat volucres.
Sed iam quadrupedum fari discrimina vocum,
Nemine cogente, nunc ego sponte sequar.
Tigrides indomitae raccant, rugiuntque leones,
Panther caurit amans, pardus hiando felit.
Dum lynces hircando fremunt, ursus ferus uncat,
Ast lupus ipse ululat, frendet agrestis aper.
Et barrus barrit, cervi glocitant et onagri,
Ast taurus mugit, et celer hinnit equus.
Quiritat verres, tardus rudit, oncat asellus,
Blatterat ast aries, et pia balat ovis.
Sordida sus pascens ruris per gramina grunnit,
At miccire capris, hirce petulce, soles.
Porro canis latrat, fallax vulpecula gannit,
Glaucitat et catulus, at lepores vagiunt.
Mus avidus mintrit, velox mustecula drindit,
Et grillus grillat, desticat inde sorex.
Ecce venenosus serpendo sibilat anguis,
Garrula limosis rana coaxat aquis.
Has volucrum voces descripsi quadrupedumque,
Quas natura illis grata parens tribuit.
Sed cunctas species animantum nemo notavit,
Atque sonos ideo dicere quis poterit?
Cuncta tamen Domino depromunt munera laudum,
Seu semper sileant, sive sonare queant.

234.

S o l i n i

Ponticon.

Tethya marmoreo fecundam pandere Ponto
Et salis aequoreas spirantis molle catervas,
Quaeque sub aestifluis Thetis humida continet antris,
Coeptantem, Venus alma, fove: quae semine coeli
Parturiente salo divini germinis aestu,
Spumea purpureis dum sanguinat unda profundis,
Nasceris e pelago, placido dea prosata mundo.
Nam cum prima foret rebus natura creandis
In foedus connexa suum, ne staret inerti
Machina mole vacans, tibi primum candidus aether
Astrigeram faciem nitido gemmavit Olympo.
Te fecunda sinu tellus amplexa, resedit
Ponderibus fundata suis elementaque iussa
Aetherias servare vices, tu foetibus auges
Cuncta suis, totus pariter tibi parturit orbis.
Quare, diva, precor, quoniam tua munera parvo
Ausus calle sequor, vitreo de gurgite vultus
Dextera prome pios et lumine laeta sereno
Pierias age pande vias. Da Nerea molli
Pacatum gaudere freto votisque litata
Fac saltem primas pelagi libemus arenas.
Vos quoque, qui resono colitis cava Tempea coetu,

— — — — — — — —

235.

Hosidii Getae Medea tragoedia.

Cento Virgilianus.

Esto nunc sol testis et haec mihi terra precanti,
Et dirae ultrices et tu, Saturnia Iuno,
Ad te confugio: nam te dare iura loquuntur
Connubiis. Si quid pietas antiqua labores
Respicit humanos, nostro succurre labori,
Alma Venus: quicumque oculis haec adspicis aequis,
Accipite haec, meritumque malis advertite numen.
Quid primum deserta querar? connubia nostra

Repulit et sparsos fraterna caede penates.
Quid Syrtes aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuerit, mediosque fugam tenuisse per hostes,
Inprobe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Iussa aliena pati, iterumque revolvere casus,
Ire iterum in lacrimas. Sed nullis ille movetur
Fletibus, infixum stridet sub pectore vulnus.
Extinctus pudor atque inmitis rupta tyranni
Foedera et oblitus famae melioris amantis
Oblitusve sui est, lacrimae volvuntur inanes.
Nusquam tuta fides, vana spe lusit amantem
Crudelis. Quid, si non arva aliena domosque
Ignotas peteret, pro virginitate reponit?
Heu pietas, heu prisca fides! captiva videbo
Reginam thalamo cunctantem ostroque superbo.
Haud inpune quidem, si quid mea carmina possunt!

Chorus Colchidarum.

Rerum cui summa potestas,
Precibus si flecteris ullis,
Et si pietate meremur,
Nostro succurre labori;
Et tu, Saturnia Iuno,
Cui vincla iugalia curae,
Oculis haec adspicis aequis?
Nemorum Latonia custos,
Triviis ululata per urbes
Sic nos in sceptra reponis?
Quid, o pulcherrime coniux,
Potuisti linquere solam,
Per tot discrimina rerum
Nequidquam erepte periclis?
Manet alta mente repostum,
Quam forti pectore et armis
Medioque ex hoste recepit
Quaesitas sanguine dotes.
Felix, heu nimium felix,
Dum fata deusque sinebant!

Nescis heu perdita necdum,
Quae te dementia cepit
Caput obiectare periclis.
Haec nos suprema manebant,
Hoc ignes araeque parabant.
Nostram nunc accipe mentem,
Vaginaque eripe ferrum
Ferroque averte dolorem.

Creon. Medea.

C. Femina, quae nostris errans in finibus hostis,
Flecte viam velis. Neque enim nescimus et urbem
Et genus invisum et non innoxia verba.
Hostilis facies occurrat et omina turbet.
M. Nullae hic insidiae, nec tanta superbia victis.
Non ea vis animo: nec sic ad praelia veni.
C. Non, ut rere, meas effugit nuntius aures,
Unde genus ducis varium et mutabile semper.
Tu potes unanimes armare in praelia fratres,
Funereasque inferre faces et cingere flamma,
Pacem orare manu et vertere sidera retro,
Atque odiis versare domos. Tibi nomina mille,
Mille nocendi artes, *testor*, fecundaque poenis
Viscera; notumque furens quid femina possit.
Cede locis, pelagoque volans da vela patenti.
M. Rex, genus egregium, liceat te voce moneri,
Pauca tibi e multis, quoniam est oblata facultas,
Dicam equidem (licet arma mihi mortemque mineris),
Ne pete connubiis natum. Meminisse iuvabit,
Dissice compositam pacem, miserere tuorum.
C. Ne tantos mihi finge metus, neve omine tanto
Prosequere, causas nequidquam nectis inanes.
Stat sua cuique dies: non ipsi exscindere ferro
Coelicolae valeant, fati quod lege tenetur,
Nec mea iam mutata loco sententia cedit.
M. Non equidem invideo genero dignisque hymenaeis,
Non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro.
Tempus inane peto: liceat subducere classem!

Extremam hanc oro veniam: Succurre relictae:
Dum pelago desaevit hiems, miserere parentis,
O genitor, et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus, et scis ipse, neque est te fallere quidquam.
Nunc victi tristes, quoniam fors omnia versat,
Submissi petimus terram litusque rogamus
Innocuum, neque te ullius violentia vincat.
C. Quid causas petis in me exitiumque meorum
Quidquid id est, timeo vatum praedicta priorum,
Eia age, rumpe moras. Quo me decet usque teneri?
M. Quem sequimur? quove ire iubes? ubi ponere sedes?
C. Ire ad conspectum cari genitoris et ora,
Dum curae ambiguae, dum spes incerta futuri.
M. Nunc scio, quid sit amor. Hospitio prohibemur arenae,
Nec spes ulla fugae, nulla hinc exire potestas.
Quassataeque rates geminique sub ubere nati
Et glacialis hiems aquilonibus asperat undas.
Si te nulla movet tantae pietatis imago,
Indulge hospitio noctem non amplius unam.
Hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo.
C. Desine iam tandem. Tota quod mente petisti,
Largior et repetens iterumque iterumque monebo:
Si te his attigerit terris Aurora morantem,
Unum pro multis dabitur caput.

Vox deintus. Chorus.

O digno coniuncta viro, dotabere virgo.
Ferte faces propere thalamo deducere adorti.
Ore favete omnes et cingite tempora ramis.
Ch. Velamus fronde per urbem
Votisque incendimus aras.
Heu corda oblita tuorum,
Vatum praedicta priorum,
Fati sortisque futurae!
Spe multum captus inani
Mactat de more bidentes
Phoebo patrique Lyaeo,
Cui vincla iugalia curae,

Cumulatque altaria donis.
Tremere omnia visa repente,
Fibrae apparere minaces,
Vox reddita fertur ad aures:
Thalamis neu crede paratis,
Funus crudele videbis.
Carpebant membra quietem,
Animalia somnus habebat.
Ferali carmine bubo
In fletum ducere voces,
Tristes denuntiat iras.
Quae tanta insania, cives,
Velati capita ramis,
Thalamo deducere adorti,
Quaeso miserescite regis.
Recubans sub tegmine fagi
Divino carmine pastor
Vocat in certamina divos
Ramo frondente pependit.
Quae te dementia cepit
Saxi de vertice pastor
Divina Palladis arte
Phoebum superare canendo?
Raptim secat aera pinnis,
Fugiens Minoia regna,
Ausus se credere coelo,
Vitamque relinquit in auras.
Demens videt agmina Pentheus
Caput a vertice revulsum,
Incensas pectore matres,
Vocat agmina saeva sororum,
Iuvenem sparsere per agros.

Medea. Nutrix.

M. En quid ago? vulgi quae vox pervenit ad aures?
Obstupui, magnoque irarum fluctuat aestu
Durus amor, taedet coeli convexa tueri.
Quae potui infelix, quae memet in omnia verti,

Cui pecudum fibrae, coeli cui sidera parent!
Heu furiis incensa feror, stat gratia facti.
Illum ego per flammas et mille sequentia tela,
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Eripui leto, fateor, arma inpia sumsi.
Sed quid ego haec autem nequidquam ingrata revolvo?
Quid loquor, aut ubi sum? ictum iam foedus et omnes
Compositae leges. Credo, mea vulnera restant.
N. Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit,
Sed cape dicta memor, duri solatia casus,
Sensibus haec imis, nostram nunc accipe mentem:
Heu fuge crudeles terras, fuge litus avarum.
M. Cara mihi nutrix, claudit nos obice pontus.
Deest iam terra fugae, rerum pars altera ademta est,
Hac gener atque socer patriaque excedere suasit.
N. Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Et quocumque modo fugiasque ferasque laborem.
Tu modo posce deos veniam, tu munera supplex
Tende petens pacem, causasque innecte morandi
Carminibus, forsan miseros meliora sequentur.
M. Nunc oblita mihi tot carmina: vox faucibus haesit,
Mens inmota manet et caeco carpitur igni.
Carmina vel coelo possunt deducere lunam,
Sistere aquam fluviis, deducere montibus ornos.
Has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit: nihil ille deos, nil carmina curat.
N. Quid struis, aut qua spe inimica in gente moraris?
Aut pugnam, aut aliquid iam dudum invadere magnum,
Seu versare dolos, seu certae occumbere morti.

Iason. Satelles. Medea.

I. Quod votis optastis, adest. Timor omnis abesto.
Hic domus, hic patria est, nullum maris aequor arandum.
Solvite corde metum tandem tellure potiti
Per varios casus. Bene gestis corpora rebus
Procurate, viri. Iuvat indulgere choreis.
S. Unde tremor terris? qua vi maria alta tumescunt?

Quid tantum oceano properent se tingere soles?
Nescio quod certum est, in nubem cogitur aer.
Aspice convexo nutantem pondere mundum,
Et fratris radiis obnoxia surgere luna.
I. [Media] Fert tristes succos nigrisque infecta venenis,
Quo thalamum eripiat, atque ossibus inplicet ignem.
Fare age, quid venias; iam istinc; et comprime gressum.
M. Ad te confugio precibusque inflectere nostris.
O dulcis coniux, non haec sine numine divum
Eveniunt. Si te ceperunt taedia laudis,
Hos cape fatorum comites, his moenia quaere.
I. Non fugis hinc praeceps, dum praecipitare potestas
Iam propiore deo? Nescis heu perdita! nescis,
Nec, quae te circumstent deinde pericula, cernis.
M. Hanc quoque deserimus sedem! Tibi ducitur uxor.
Cui pater et coniux quondam tua dicta relinquor?
Et sedet hoc animo, dotalis regia cordi est
Externique iterum thalami.
Mene fugis? hoc sum terraque marique secuta?
Hic labor extremus, longarum haec meta viarum?
Hic nostri reditus expectatique triumphi?
Quid tua sancta fides? Iterum crudelia retro
Fata vocant; tantis nequidquam erepta periclis.
Mene fugis? Per ego has lacrimas, per si quis amatae
Tangit honos animum, per inceptos hymenaeos,
Per connubia nostra et mensas, quas advena adisti,
Te precor, o miserere animi non digna ferentis.
Namque aliud quid sit, quod iam inplorare queamus?
Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis,
Dum rauca adsiduo longe sale saxa sonabant,
Incubuere mari tantis surgentibus undis.
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Compressi et rabiem tantam coelique marisque.
Unius in miseri exitium proque omnibus unum
Obieci caput, id sperans fore munus amanti.
Sed quid ego ambages et iussa exorsa revolvo?
Nil super imperio moveor, speravimus ista,

Tempore quo primum fortes ad aratra iuvencos
Seminaque et tauros spirantes naribus ignem]
Obieci, satis inmanis dentibus hydri
Explicuit legio, et campo stetit agmen aperto.
Telorum seges et iaculis increvit acutis,
Ferrea progenies duris caput extulit arvis.
Illi inter sese magna vi vulnera miscent
Confixique suis telis et pectora duro
Transfossi ligno, animasque in vulnera ponunt.
Auro ingens coluber servabat in arbore ramos,
Nec visu facilis nec dictu affabilis ullis.
Ille manum patiens inmania terga resolvit.
Ut me conspexit, flammantia lumina torquens,
Cervicem inflexam posuit somnosque petivit.
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Sin absumta salus nec habet fortuna regressum,
Si nulla est regio, miseris quam det tua coniux,
I decus, i nostrum, faciat te prole parentem
Egregia interea coniux melioribus opto
Auspiciis, possem hinc comitem asportare Creusam,
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis, dabis, inprobe, poenas,
Quod minime reris, rebus iam rite paratis.
I. Desine meque tuis incendere teque querelis:
Nam mihi parta quies, nullum maris aequor arandum.
Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent.
Heu tot incassum fusos patiere labores!
Nec venit in mentem sudans sub vomere taurus,
Iam gravior Pelias et aena undantia flammis
Squamosusque draco et quaesitae sanguine dotes.
In regnis hoc ausa tuis.
Haec loca non tauri spirantes naribus ignem,
Nec galea densisque virum seges horruit hastis,
Nec vim tela ferunt, mitte hanc de pectore curam.
M. Nam quis te, iuvenum confidentissime, nostras
Iussit adire domos? pelagine erroribus actus,
An fratris miseri letum ut crudele videres?

I. Sive errore viae seu tempestatibus acti,
Quis deus in fraudem, quae te dementia cepit
Commaculare manus, fraterna caede penates?
Aut ego tela dedi aut vitam committere ventis
Hortati sumus? aut quae dura potentia nostri?
M. Nil nostri miserere, nihil mea carmina curas.
Efficiam posthac, ne quemquam voce lacessas,
Nec dulces natos, Veneris nec praemia noris.
I. Quid petis aut causas aut inrita iurgia iactas?
Iamque vale, melior quoniam pars acta diei est.
M. Utere sorte tua, susceptum perfice munus.
I. Nunc iter ad regem nobis. Quod te adloquor, hoc est.
M. Non fletu ingemuit nostro aut miseratus amantem est.
Et dubitamus adhuc? lacrimantem et multa volentem
Dicere deseruit, rapidusque in tecta recessit.
Quid labor aut benefacta iuvant? Mea tristia fata
Fessa iacent. Ubi nunc nobis deus ille magister,
Et furiis agitatus amor et conscia virtus?
Nam quid dissimulo, aut quid me ad maiora reservo?
Stat casus renovare omnes, dare lintea retro,
Rursus et est casus abies visura marinos,
Te sine, frater, erit. Quod si mea numina non sunt,
Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.

Chorus.

Dictis exarsit in iras'
Insani Martis amore,
Poenorum qualis in arvis
Venantum septa corona
Fulva cervice leaena;
Qualis mala gramina pastus
Tractu se colligit anguis,
Tumidum quem bruma tegebat,
Caput altum in praelia tollit,
Linguis micat ore trisulcis.
Furiis agitatus Orestes
Armatam facibus matrem
Ardens agit aequore toto,

Patrias obtruncat ad aras.
Triviis ululata per urbem
Qualis trieterica Baccho
Inter deserta ferarum,
Palla succincta cruenta,
Vocat agmina saeva sororum.
Qualis Philomela sub umbra,
Pectus signata cruentum,
Late loca questibus inplet,
Moerens miserabile carmen
Cantu solata laborem,
Graviter pro coniuge saevit
Deserti ad Strymonis undam.
Te solo in litore secum
Anima fugiente vocabat,
Scirent si ignoscere Manes.

Nuntius. Creon.

N. Quo feror? unde abii? Rumpit pavor; ossaque et artus
Perfundit toto proruptus corpore sudor.
Genua labant tarda, atque oculos stupor urget inertes,
Arrectaeque horrore comae, et vox faucibus haesit.
C. Quo res summa loco? unde haec tam clara repente
Tempestas sine more furit? maria omnia coelo
Miscuit, ingeminant abruptis nubibus ignes.
Fare mihi, atque haec edissere vera roganti.
N. Aedibus in mediis quaeque ipse miserrima vidi,
Horresco referens. Palla succincta cruenta
In medioque focos nocturnas inchoat aras.
Intenditque locum sertis et fronde coronat
Funerea, crinem vittis innexa cruentis,
Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta
Spargens humida mella soporiferumque papaver.
Sparserat et latices simulatos fontis Averni,
Sanguineam volvens aciem, manibusque cruentis
Pro molli viola casiaque crocoque rubenti
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum

Scillamque elleborosque graves et sulfura viva,
Obscuris vera involvens lacrimisque coactis
Voce vocans Hecaten et non memorabile numen
Ferro accincta vocat.
Haec effata silet, oculis micat acribus ignis,
Expectans, quae signa ferant, ignara futuri.
Eripiunt subito nubes coelumque diemque
Et tremefacta solo tellus, micat ignibus aether.
Continuo auditae voces vagitus et ingens,
Visus adesse pedum sonitus et saeva sonare
Verbera, tum visaeque canes ululare per umbras
Adventante dea, refluitque exterritus amnis
Et pavidae matres pressere ad pectora natos.
Exhinc Gorgoneis Alecto infecta venenis
Exurgitque facem adtollens atque intonat ore:
Respice ad haec, adsum dirarum ab sede sororum:
Bella manu letumque gero.
Talia cernentem tandem sic orsa vicissim:
Venisti tandem: mecum partire laborem,
Tu dea, tu praesens animis inlabere nostris.
Dissice compositam pacem, sere crimina belli
(Namque potes): colui vestros si semper honores.
Talibus Alecto dictis exarsit in iram
Horrendum stridens, pavidoque haec addidit ore:
O germana mihi, mitte hanc de pectore curam.
Nunc si bella paras, luctu miscere hymenaeos,
Funereasque inferre faces et cingere flamma,
Quidquid in arte mea possum, meminisse necesse est;
Quantum ignes animaeque valent, absiste precando.
Dixerat adtollens stridentes anguibus alas,
Ardentes dare visa faces supera ardua linquens.
Illa dolos aperit flammisque sequacibus iras
Iungebat, duplicem gemmis auroque coronam
Consertam squamis serpentum, flamma volantem
Implicat, involvitque domum caligine caeca
Prospectum eripiens oculis, mihi frigidus horror
Membra quatit gelidusque coit formidine sanguis.
Inprovisum aspris veluti qui sentibus anguem

Aut videt aut vidisse putat, metuensque pericli
Incipit effari, nec vox aut verba sequuntur.
Idque audire sat est, quo me decet usque teneri.
Vadite, et haec regi memores mandata referte.

Nutrix. Medea.

N. Hoc habet; haec melior magnis data victima divis.
Talia coniugia et tales celebrent hymenaeos!
M. Tu secreta piram natorum maxima nutrix
Erige, tuque ipsa pia tege tempora vitta,
Verbenasque adole pinguis nigrumque bitumen.
Sacra Iovi Stygio', quae rite incepta paravi,
Perficere est animus finemque inponere curis.
N. Discessere omnes medii, spatiumque dedere.

Medea. Umbra Absyrthi filii.

M. Heu stirpem invisam et fatis contraria nostris!
Huc ades, o formose puer, qui spiritus illi!
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat;
Perfidus et cuperem ipse parens spectator adesset.
Fil. Parce pias scelerare manus, aut qui tibi nostri
Pulsus amor, si iuris materni cura remordet,
Natis parce tuis, aut nos rape in omnia tecum.
Quo res cumque cadunt, unum et commune periclum.
Adspice nos, adsum dirarum ab sede sororum.
Infelix simulacrum labi a corpore tanto!
M. Quid dubitem? audendum dextra, nunc ipsa vocat res.
Auctor ego audendi, fecundum concute pectus.
Si concessa peto, si poenas ore reposco,
Nullum in caede nefas et amor non talia curat.
Fil. Hostis amare, quid increpitas mea tristia fata?
M. Suggere tela mihi finemque inpone labori.
Sanguine quaerendi reditus.
Fil. Nec te noster amor, pietas nec mitigat ulla;
Nec venit in mentem, natorum sanguine matrem
Commaculare manus. Nostri tibi cura recessit,
Et matri praeruptus amor.
M. Crimen amor vestrum spretaeque iniuria formae:

His mersere malis. Fratrem ne desere, frater.
Poenarum exhaustum satis est, via facta per hostes,
Et genus invisum dextra sub Tartara misi.
Iam iam nulla mora est, currus agitare volantes.

Iason. Nuntius. Medea ex alto.

I. Hei mihi! quid tanto turbantur moenia luctu?
Quaecumque est fortuna, mea est. Quid denique restat?
Dic age: namque mihi fallax haud ante repertus.
N. En perfecta tibi promissa coniugis arte
Munera, at ingentem luctum ne quaere tuorum!
Sed si tantus amor menti, si tanta cupido est,
Expediam dictis, et te tua fata docebo.
Conspectu in medio, cum dona inponeret aris,
Ah! virgo infelix, oculos deiecta decoros,
Undique conveniunt per limina tota frequentes
Matres atque viri, cumulantque altaria donis.
Religione patrum biforem dat tibia cantum,
Cum subito dictuque oritur mirabile monstrum.
Ecce levis summo descendere corpore pestis
Incipit ac totis Vulcanum spargere tectis.
Regalesque accensa comas, accensa coronam
Membra sequebantur, artus sacer ignis edebat.
Diffugiunt comites, et quae sibi quisque timebat,
Tecta metu petiere, et sic ubi concava furtim
Saxa petunt, furit inmissis Vulcanus habenis.
Nec vires herbarum infusaque flumina prosunt
Quaesitaeque nocent artes, miserabile dictu!
Illa per et scopulos aditumque per avia quaerit,
Arte nova speculata locum, paribusque revinxit
Serpentum spiris ventosasque addidit alas:
Ense levis nudo perfusos sanguine currus.
I. Quo sequar, aut quid iam misero mihi denique restat?
Me me, adsum qui feci, in me omnia tela
Coniicite, hanc animam quocumque absumite leto.
Funeris heu tibi causa fui! dux femina facti.
M. Huc geminas nunc flecte acies, et conde sepulcro
Corpora natorum, cape dona extrema tuorum.

Et tumulum facite et tumulo superaddite carmen,
Saevus amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus, luctu miscere hymenaeos.
Me super aetherias errare licentius auras!
I. Crudelis mater, tanton' me crimine dignum
Duxisti! et patrios foedasti funere vultus!
Arma, viri, ferte arma, date tela, adscendite muros.
M. Quo moriture ruis? thalamos ne desere pactos,
Hortator scelerum: nostram nunc accipe mentem.
Sive animo, sive arte vales, opta ardua pennis
Astra sequi, et si adeo dotalis regia cordi est,
Nostrasne evadere demens
Sperasti te posse manus? Opta ardua pennis
Astra sequi, clausumque cava te condere terra,
Et famam extingui veterum sic posse malorum.
Haec via sola fuit, haec nos suprema manebat,
Exitiis positura modum.
Sat fatis Venerique datum est, feror exul in altum,
Germanum fugiens et non felicia tela.
Ultra anni solisque vias quid denique restat?
Et longum, formose, vale; et quisquis amores
Aut metuat dulces aut experietur amaros.

236.

Publilii Optatiani Porphyrii
versus anacyclici.

Blanditias fera mors Veneris persensit amando,
Permisit solitae nec Styga tristitiae.
Tristitiae Styga nec solitae permisit amando,
Persensit Veneris mors fera blanditias.
Omnipotens pater huic semper concessit amori,
Fecit nec requiem tot sibi fulminibus.
Fulminibus sibi tot requiem nec fecit amori,
Concessit semper huic pater omnipotens.
Purpureos sibi flos vultus non pingit Iacchum,
Monstrat nec mitem frons nova laetitiam.
Laetitiam nova frons mitem nec monstrat Iacchum,
Pingit non vultus flos sibi purpureos.

Occubuit minor hic fractis et viribus, astu
Torpuit oppressus Amphitryoniades.
Amphitryoniades oppressus torpuit astu,
Viribus et fractis hic minor occubuit.
Incaluit iubar hoc externis ignibus ardens,
Fortius ardorem sol sibi congeminat.
Congeminat sibi sol ardorem fortius, ardens
Ignibus externis hoc iubar incaluit.
Deposita face nox quaesivit lumina Phoebes,
Vulnere sed blandus haec tenet Endymion.
Endymion tenet haec blandus sed vulnere Phoebes
Lumina quaesivit nox face deposita.
Armipotens deus hoc suspirat pondere vulnus
Ferrea nec rabies aut furor exuperat.
Exuperat furor aut rabies nec ferrea vulnus
Pondere suspirat hoc deus armipotens.
Inpatiens Venus est, silvas dum lustrat Adonis,
Carpit si matrem, iam cui conveniat.
Conveniat cui iam, matrem si carpit Adonis,
Lustrat dum silvas, est Venus inpatiens.

237.

Publilii Optatiani Porphyrii.

Ausoniae decus et lux pia Romulidum.
Romulidum pia lux et decus Ausoniae.

238.

Publilii Optatiani Porphyrii.

Omne genus metri tibi pangens, optime Basse.
Basse optime, pangens tibi metri genus omne.

239.

[*Publilii Optatiani Porphyrii.*]

Nereides freta sic verrentes caerula tranant,
Flamine considens ut Notus Icarium.
Icarium Notus ut considens flamine, tranant
Caerula verrentes sic freta Nereides.

240.

Publilii Optatiani Porphyrii.

Pauxillum fortuna tibi, res perfida, Quinte,
Extulit in frontem grande supercilium.
Nam, ut ne aliud credam, puteum puto te quoque, Quinte,
Quanto altus magis es, tam mage despiceris.

241.

Pentadii

in Hectorem.

Defensor patriae, iuvenum fortissimus, Hector,
Qui murus miseris civibus alter erat,
Occubuit telo violentis ictus Achillis.
Occubuere simul spesque salusque Phrygum.
Hunc ferus Aeacides circum sua moenia traxit,
Quae iuvenis manibus texerat ante suis.
O quantos Priamo lux adtulit ista dolores!
Quos fletus Hecube, quos dedit Andromache!
Sed raptum pater infelix auroque repensum
Condidit, et moerens hac tumulavit humo.

242.

Pentadii

Narcissus.

Cui pater amnis erat, fontes puer ille colebat
Laudabatque undas, cui pater amnis erat.
Se puer ipse videt, patrem dum quaerit in amne,
Perspicuoque lacu se puer ipse videt.
Quod Dryas igne calet, puer hunc inridet amorem,
Nec putat esse decus, quod Dryas igne calet.
Stat stupet haeret amat rogat innuit adspicit ardet
Blanditur queritur stat stupet haeret amat,
Quodque amat, ipse facit vultu prece lumine fletu,
Oscula dat fonti, quodque amat, ipse facit.

243.

Pentadii

Narcissus.

Invenit proprios mediis in fontibus ignes,
Et sua deceptum urit imago virum.

244.

Pentadii

Narcissus.

Hic est ille, suis nimium qui credidit undis,
Narcissus vero dignus amore puer.
Cernis ab irriguo repetentem gramine ripam,
Ut, per quas periit, crescere possit aquas.

245.

Pentadii.

Crede ratem ventis: animum ne crede puellis:
Namque est feminea tutior unda fide.
Femina nulla bona est, vel, si bona contigit una,
Nescio quo fato res mala facta bona.

246.

Pentadii

Narcissus.

Se Narcissus amat, captus lenonibus undis:
Cui si tollis aquas, non est ubi saeviat ignis.

247.

Pentadii

Acis.

Acidos haec cernis montana cacumina busti,
Aequor et ex imis fluminis ire iugis?
Ista Cyclopei durant monumenta furoris!
Hic amor, hic dolor est, candida Nympha, tuus:
Sed bene, si periit, iacet, hac sub mole sepultus,
Nomen et exultans unda perenne vehit.
Sic manet ille quidem, neque mortuus esse feretur,
Vitaque per liquidas caerula manat aquas.

248.

Pentadii

Chrysocome.

Chrysocome, gladium fugiens stringente marito,
Texit adulterium, iudice casta reo.

249.

Pentadii

Virgilius.

Pastor arator eques pavi colui superavi,
Capras rus hostes fronde ligone manu.

250.

Pentadii

de vita beata.

Non est (falleris) haec beata, non est.
Quod vos creditis esse, vita non est,
Fulgentes manibus videre gemmas,
Aut testudineo iacere lecto,
Aut pluma latus abdidisse molli,
Aut auro bibere et cubare cocco,
Regales dapibus gravare mensas,
Et, quidquid Libyco secatur arvo,
Non una positum tenere cella,
Sed nullos trepidum timere casus,
Nec vano populi favore tangi,
Et stricto nihil aestuare ferro.
Hoc quisquis poterit, licebit illi,
Fortunam moveat loco superbus.

251.

Pentadii

de fortuna.

Res eadem adsidue momento volvitur uno,
Atque redit dispar res eadem adsidue.
Vindice facta manu Progne pia dicta sorori,
Inpia sed nato vindice facta manu.
Carmine visa suo Colchis fuit ulta maritum,
Sed scelerata fuit carmine visa suo.
Coniugis Eurydice precibus remeabat ad auras:
Rursus abit vitio coniugis Eurydice.
Sanguine poma rubent, tristi nece tincta repente:
Candida quae fuerant, sanguine poma rubent.
Daedalus arte sua fugit Minoïa regna,
Amisit natum Daedalus arte sua.

Munere Palladio laeti qua nocte fuere,
Hac periere Phryges munere Palladio.
Nate, quod alter adest coelo, sunt gaudia Ledae:
Sed moeret mater, nate, quod alter adest.
Hostia saepe fuit diri Busiridis hospes,
Busirisque aris hostia saepe fuit.
Theseus Hippolyto vitam per vota rogavit:
Optavit mortem Theseus Hippolyto.
Stipite fatifero iuste quae fratribus ausa est,
Mater saeva fuit stipite fatifero.
Sola relicta toris flevisti in litore, Gnosis:
Laetaris coelo sola relicta toris.
Aurea lana fuit, Phryxum quae per mare vexit:
Helle qua lapsa est, aurea lana fuit.
Tantalis est numero natorum facta superba:
Natorum adflicta Tantalis est numero.
Pelias hasta fuit, vulnus grave quae dedit hosti,
Et quae sanavit, Pelias hasta fuit.
Per mare iacta ratis pleno subit ostia velo,
In portu versa est per mare iacta ratis.
Lux cito summa datur, natusque extinguitur infans,
Atque animae prima lux cito summa datur.
Sunt mala laetitiae diversa lege creata,
Et iuncta assidue sunt mala laetitiae.

252.

Pentadii

de adventu veris.

Sentio, fugit hiems, Zephyrisque animantibus orbem
Iam tepet Eurus aquis; sentio, fugit hiems,
Parturit omnis ager, persentit terra calorem
Germinibusque novis parturit omnis ager,
Laeta vireta tument, foliis sese induit arbor,
Vallibus apricis laeta vireta tument.
Iam Philomela gemit modulis Ityn, inpia mater,
Oblatum mensis iam Philomela gemit.
Monte tumultus aquae properat per levia saxa
Et late resonat monte tumultus aquae.

Floribus innumeris pingit sola flatus Eoi
  Tempeaque exhalant floribus innumeris.
Per cava saxa sonat pecudum mugitibus echo,
  Voxque repulsa iugis per cava saxa sonat.
Vitea musta tument vicinas vincta per ulmos,
  Fronde maritata vitea musta tument.
Nota tigilla linit iam garrula luce chelidon,
  Dum recolit nidos, nota tigilla linit.
Sub platano viridi iucunda somnus in umbra
  Sertaque texuntur sub platano viridi.
Tunc quoque dulce mori: tunc fila recurrite fusis,
  Inter et amplexus tunc quoque dulce mori.

253.

Citerii Sidonii Oratoris

de pastoribus.

Almo Theon Thyrsis orti sub monte Pelori,
Semine disparili, Laurente Lacone Sabino.
Vite Sabine, Lacon sulco, sue cognite Laurens.
Thyrsis oves, vitulos Theon egerat, Almo capellas.
Almo puer pubesque Theon, at Thyrsis ephebus,
Canna Almo, Thyrsis stipula, Theon ore melodes.
Nais amat Thyrsin, Glauce Almona, Nisa Theonem,
Nisa rosas, Glauce violas dat, lilia Nais.

254.

Latini Alcimi Aviti Alethii

Virgilius.

Maeonium quisquis Romanus nescit Homerum,
  Me legat: et lectum credat utrumque sibi.
Illius inmensos miretur Graecia campos,
  At minor est nobis, sed mage cultus ager.
Non miles, pastor, curvus non defit arator.
  Haec Graiis constant singula, trina mihi.

255.

Latini Alcimi Aviti Alethii

Homerus et Virgilius.

Maeonio vati qui par aut proximus esset,
  Consultus Paean risit et haec cecinit:

Si potuit nasci, quem tu sequereris, Homere,
Nascetur, qui te possit, Homere, sequi.

256.

Latini Alcimi Aviti Alethii

Virgilius.

De numero vatum si quis seponat Homerum,
Proximus a primo tunc Maro primus erit;
At si post primum Maro seponatur Homerum,
Longe erit a primo, quisque secundus erit.

257.

Latini Alcimi Aviti Alethii

Dona Lesbiae.

Lux mea, puniceum misit mihi Lesbia malum.
Iam sordent animo cetera poma meo.
Sordent velleribus hirsuta Cydonia canis,
Sordent hirsutae munera castaneae.
Nolo nuces, Amarylli, tuas nec cerea pruna:
Rusticus haec Corydon munera magna putet.
Horreo sanguineo male mora rubentia succo.
Heu grave funesti crimen amoris habent!
Misit dente levi paullum libata placentae
Munera, de labris dulcia mella suis.
Nescio qui plus melle sapit, quod contigit, ipsa
Spirans Cecropium, dulcis odore, thymum.

258.

Latini Alcimi Aviti Alethii.

O blandos oculos et inquietos
Et quadam propria nota loquaces!
Illic et Venus et leves Amores
Atque ipsa in medio sedet voluptas.

259.

Latini Alcimi Aviti Alethii

Adlocutio sponsalis.

Linea constricto de pectore vincula solve,
Et domino te crede tuo. Ne candida laedas
Unguibus ora, vide, vel ne contacta repugnes.

Est in nocte timor, non est in nocte periclum.
Nec volo contendas: vinces, cum vicerit ille.

260.

Latini Alcimi Aviti Alethii

de capone phasiano.

Candida Phoebaeo praefulgunt ora rubore,
Crista riget, radiis ignea barba micat.
Alae, colla, comae, pectus, femur, inguina, cauda
Paestanis lucent floridiora rosis.
Flammea sic rutilum distinguit pinna colorem,
Ut vibrare putes plumea membra faces.

261.

Ablavius

in Constantinum Magnum.

Saturni aurea secla quis requirat?
Sunt haec gemmea, sed Neroniana.

262.

Aemilii Magni Arborii

ad nympham nimis cultam.

Parce, precor, virgo, toties mihi culta videri,
Meque tuum forma perdere parce tua:
Parce supervacuo cultu componere membra,
Augeri studio tam bona forma nequit.
Ne tibi sit tanto caput et coma pexa labore:
Et caput hoc bellum est et coma mixta placet.
Ne stringant rutilos tibi Serica vincla capillos,
Cum vincant rutilae Serica vincla comae;
Nec tibi multiplicem crines revocentur in orbem,
Inculti crines absque labore placent.
Aurea nec video cur flammea vertice portes;
Aurea nam nudo vertice tota nites.
Utraque fert auris aurum, fert utraque gemmas,
Utraque nuda novis anteferenda rosis.
Ora facis vitreo tibi splendidiora nitore,
Cum tamen ora vitro splendidiora geras.

Incendunt niveum lunata monilia collum,
 Nec collum simplex dedecuisse potest.
Contegis obducta candentes veste papillas,
 Candida cum nolit veste papilla tegi.
Ne toga fluxa volet, reprimit tibi fascia corpus:
 Sat corpus veneror, sit toga fluxa licet.
Dic, teretes digitos quare annulus et lapis ambit,
 Cum teretes digiti dent pretium lapidi?
Ornatu nullo potes exornatior esse,
 Et tantum ornaris in mea damna nimis.
Ne te plus aequo species externa perornet,
 Cum sis plus aequo pulchra decore tuo.
Non ego sum, pro quo te componendo labores,
 Nec qui te talem non, nisi cogar, amem.
Pronus amo: non sum, tenero qui pugnet amori,
 Nec qui te roseam vellet amare deam.
Cum radiis certare Iovis tua lumina possent,
 Et possent radiis vincere signa Iovis.
Sole nihil toto melius splendescit in orbe,
 Sole tamen melius splendidiusque nites.
Sunt tibi colla quidem nive candidiora, recenti
 Sed nive, quae nullo marcida sole iacet.
Conveniunt tepido tua frons et pectora lacti,
 Sed lacti, saturae quod posuere caprae.
Cedit odora tibi vernantis gloria silvae,
 Nec, tibi quod riguus praeferat hortus, habet.
Nulla colorati species tibi proxima prati,
 Nec, cum floruerit, par tibi campus erit.
Alba ligustra tuae nequeunt accedere laudi,
 Fixaque cespitibus lilia laude premis.
Nulla tuos possunt aequare rosaria vultus,
 Cum nec adhuc spinis sit rosa vulsa suis.
Gratia, quam violae maturo flore merentur,
 Si quae contulerit se tibi, vilis erit.
Non Helenae mater, nec par tibi filia Ledae,
 Haec quamvis Paridem moverit, illa Iovem.
Compulit illa Iovem cycni latuisse sub alis,
 Compulit illa Phrygas saeva sub arma duces.

Leda, per albentes humeros fluitante capillo,
Dum legit Argivae florea serta deae,
Erranti super astra Iovi de nube suprema
Cognita, plumalem de Iove fecit avem.
Tuque, puellarum dum ludis in agmine, princeps,
Inter virgineos lucida stella choros,
Si magno conspecta Iovi de nube fuisses,
Deposuisse deum non puduisset eum.
Ast Helenae facies et opima potentia formae
Dardanio Paridi per mare praeda fuit.
Graecia coniurat repetendam mille carinis,
Iurata hanc ratibus Graecia mille petit.
Te tam conspicuam Phrygius si praedo videret,
Et te vel ratibus vel rapuisset equo.
Annis tracta decem sunt Troica bella, sed uno,
Si pro te fierent, mense peracta forent.
Virgine Ledaea me iudice dignior esses,
Pro qua Troianas flamma cremaret opes.
Tu poteras Priamo validissima causa fuisse,
Nulla ut cura foret regna perire sua.
Si succincta togam, ritu pharetrata Dianae,
Venatrix toto crine soluta fores,
Si Dryadum comitata choro, si nuda lacertos
Arcu fulmineos insequereris apros:
Te quicumque deus silvosa per antra vagantem
Conspiceret, veram crederet esse deam.
De pretio formae cum tres certamen inissent,
Electusque Paris arbiter esset eis,
Praefecit Venerem Paridis censura duabus
Deque tribus victae succubuere duae.
Cum tribus ad Paridem si quarta probanda venires,
Prae tribus a Paride quarta probata fores;
Pomaque si formae potiori danda fuere,
Haec potius formae danda fuere tuae.
Ferrea corda gerit, tua quem coelestis imago
Vel tam purpureae non tetigere genae.
Robore vel scopulo genitum convincere possim,
Quem tam sollemnis forma movere nequit.

263.

Palladii

Orpheus.

Threicius quondam vates fide creditur canora
Movisse sensus acrium ferarum,
Atque amnes tenuisse vagos, sed et alites volantes
Et surda cantu concitasse saxa;
Suavisonaeque modos testudinis arbores secutae
Umbram feruntur praebuisse vati.
Scilicet haud potuit, quae sunt sine, permovere, sensu,
(Finxere docti fabulam poetae)
Sed placidis hominum dictis fera corda mitigavit,
Doctaque vitam voce temperavit.
Iustitiam docuit, coetu quoque congregavit uno,
Moresque agrestes expolivit Orpheus.

264.

Ennodii

De eo, qui numquam nisi in depositione filii pavit.

Convivae miseri, luctus deposcite multos.
Prandia tot venient, funera quot fuerint.

265.

Symmachus in Boethium.

Fortunae et Virtutis opus, Severine Boethi,
E patria pulsus non tua per scelera,
Tandem ignotus habes, qui te colat, ut tua virtus,
Ut tua fortuna promeruitque sophos.
Post obitum dant fata locum, post fata superstes
Uxoris propriae te quoque fama colit.

266.

Q. Aurelii Symmachi

in Acindynum.

Attica palla tegit socerum, toga picta parentem:
Praefuit ille sacris, hic dixit iura Quiriti:
At mihi castrensem quod mordet fibula vestem,
Aurorae in populis regum praetoria rexi.
Si fasces pictura tacet, tu respice fastos.

267.

Q. Aurelii Symmachi

in Baulos.

Huc deus Alcides stabulanda armenta coegit,
  Eruta Geryonae de lare tergemini.
Inde recens aetas corrupta Boaulia Baulos
  Nuncupat occulto nominis indicio.
Ab divo ad proceres dominos fortuna cucurrit,
  Fama loci obscuros ne pateretur heros.
Hanc celebravit opum felix Hortensius aulam,
  Contra Arpinatem qui stetit eloquio.
Hic consul clarum produxit Acindynus aevum,
  Quique dedit leges Orfitus Aeneadis.
Hos inter iuvenile decus, sed honore senili
  Bisseno celsus, Symmache, fasce cluis.
Sed te Baulorum necdum lenta otia quaerunt,
  Cura habeat iuvenem publica pervigilem.

268.

Q. Aurelii Symmachi

in Baulos.

. . .

Ubi corniger Lyaeus
Operit superna Gauri,
Vulcanus aestuosis
Media incoquit cavernis,
Tenet ima pisce multo
Thetis et vagae sorores.
Calet unda, friget aethra.
Simul innatat choreis
Amathusias renidens,
Salis arbitra et vaporis,
Flos siderum, Dione.

269.

L. Aurelii Aviani Symmachi

Aradius Rufinus.

Princeps ingenio, fortunae munere princeps
Aetatis, Rufine, tuae, cui prospera, cuique

Tristia mirandis aequabat gloria rebus.
Unus amor cunctis et praesidium trepidorum.
Principibus, quorum viguisti tempore, doctus
Aut calcaria ferre bonis aut frena tyrannis.

270.

L. Aurelii Aviani Symmachi

Valerius Proculus.

Cum primis, quos non oneravit gloria patrum,
Ponemus Proculum vitae morumque decore
Haud umquam indignum magnorum Poplicolarum.
Olli semper amor veri et constantia, simplex
Coelicolum cultus: non illum spernere posses,
Et quamquam reverendus erat, non deinde timendus.

271.

L. Aurelii Aviani Symmachi

Anicius Iulianus.

Cuius opes aut nobilitas aut tanta potestas,
Cedenti cui non praeluxerit Annius unus?
Acer ab ingenio cunctisque adcommodus idem,
Hic et carus erat; conferre, iuvare paratus.
Nam dives, tum celsus honoribus, attamen illis
Grandior aeternam complebat nomine Romam.

272.

L. Aurelii Aviani Symmachi

Petronius Probianus.

Iactet se fortuna aliis, quos iudice nullo
Lucem ad Romuleam sua sola licentia vexit.
Te, Probiane, pudor, te felix gratia, teque
Itala simplicitas morum et sollertia iuvit.
Quocirca adsiduus Augustis notus, et hospes
Praemia magnorum tetulisti dignus honorum.

273.

L. Aurelii Aviani Symmachi

Verinus.

Virtutem, Verine, tuam plus mirer in armis,
Eoos dux Armenios cum caede domares,

An magis eloquium, morum vitaeque leporem,
Et (nisi in officiis, quotiens tibi publica curae)
Quod vitam innocuis tenuisti laetus in arvis?
Nullum ultra est virtutis opus: nam, si esset, haberes.

274.

Sedulii

epigramma de tabula orbis terrarum iussu Theodosii Iunioris Imp. facta.

Hoc opus egregium, quo mundi summa tenetur,
Aequora quo, montes, fluvii, freta, portus et urbes
Signantur, cunctis ut sit cognoscere promptum,
Quidquid ubique latet, clemens genus, inclita proles,
Ac per secla, pius, totus quem vix capit orbis,
Theodosius princeps venerando iussit ab ore
Confici, ter quinis aperit cum fastibus annum.
Supplices hoc famuli, dum scribit pingit et alter,
Mensibus exiguis, veterum monumenta secuti,
In melius reparamus opus culpamque priorem
Tollimus ac totum breviter comprendimus orbem:
Sed tamen hoc tua nos docuit sapientia, princeps.

275.

Augustini.

(Hipponae in mensa hos versus inscripsit.)

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

276.

Augustinus.

Roma labore vigil fregit Carthaginis arces:
Desidia interiit Roma subinde cito.

277.

Rufi Festi Avieni

de cantu Sirenum.

Sirenes varios cantus, Acheloia proles
Et solitae miros ore ciere modos.
Illarum voces, illarum Musa movebat
Omnia, quae thymele, carmina, dulcis habet,
Quod tuba, quod litui, quod cornua rauca queruntur,

Quodque foraminibus tibia mille sonat,
Quodque leves calami, quod suavis cantat aëdon,
Quod lyra, quod citharae, quod moribundus olor.
Illectos nautas dulci modulamine vocis
Mergebant avidae fluctibus Ioniis.
Sanguine Sisyphio generatus, venit Ulixes
Et tutos solita praestitit arte suos.
Illevit cera sociorum callidus aures
Atque suas vinclis praebuit ipse manus.
Transiluit scopulos et inhospita litora classis:
Illae praecipites desiluere freto.
Sic blandas voces nocituraque carmina vicit:
Sic tandem exitio monstra canora dedit.

278.

Rufi Festi Avieni

ad deam Nortiam.

Festus, Musoni suboles prolesque Avieni,
Unde tui latices traxerunt, Caesia, nomen,
Nortia, te veneror, lare cretus Volsiniensi,
Romam habitans, gemino proconsulis auctus honore,
Carmina multa serens, vitam insons, integer aevom,
Coniugio laetus Placidae, numeroque frequenti
Natorum exultans; vivax et spiritus ollis.
Cetera composita fatorum lege trahentur.

279.

Rufus Festus Avienus V. C. Flaviano Myrmecio suo salutem V. C.

Qua venit Ausonias Austro duce Poenus ad oras,
Si iam forte tuus Libyca rate misit agellus
Punica mala tibi, Tyrrhenum vecta per aequor,
Quaeso aliquid nostris gustatibus inde relaxes.
Sic tua cuncta ratis plenis secet aequora velis,
Spumanti dum longa trahit vestigia sulco,
Romuleaeque Phari fauces illaesa relinquat:
Sit licet illa ratis, quam miserit alta Corinthos,
Adriacos surgente noto qua prospicit aestus,
Quamve suis opibus cumularit Hiberia dives,

Solverit aut Libyco quam laetus navita portu.
Sed forsan, quae sint, quae poscam mala, requiras.
Illa precor mittas, spisso quibus arta cohaeret
Granorum fetura situ, castrisque sedentes
Ut quaedam turmae, socio latus agmine quadrant,
Multiplicemque trahunt per mutua vellera pallam,
Unde ligant teneros examina flammea casses.
Tunc, ne pressa gravi sub pondere grana liquescant,
Divisere domos, et pondera partibus aequant.
Haec ut, amice, petam, cogunt fastidia, longis
Nata malis, et quod penitus fellitus, amarans
Ora, sapor nil dulce meo sinit esse palato.
Horum igitur succo forsan fastidia solvens,
Ad solitas revocer mensis redeuntibus escas.
Ne tantum miseri videar possessor agelli,
Ut genus hoc arbos nullo mihi floreat horto:
Nascitur et multis onerat sua brachia pomis,
Sed gravis austerum fert succus ad ora saporem;
Illa autem, Libycas quae se sustollit ad auras,
Mitescit meliore solo, coelique tepentis
Nutrimenta trahens succo se nectaris inplet.

280.

Rufi Festi Avieni.

Rure morans quid agam, respondi pauca, rogatus.
Luce deos oro: famulos post arvaque viso,
Partitusque meis iustos indico labores.
Deinde lego, Phoebumque cio Musamque lacesso.
Hinc oleo corpus fingo, mollique palaestra
Stringo libens. Animo gaudens ac fenore liber,
Prandeo, poto, cano, ludo, lavo, caeno, quiesco.
Dum parvus lychnus modicum consumat olivi,
Haec dat nocturnis nox lucubrata Camenis.

281.

Turcii Rufii Aproniani Asterii

de codice Virgilii a se emendato.

Distincxi emendans, gratum mihi munus amici
  Suscipiens: operi sedulus incubui,

Tempore quo penaces circo subiunximus, atque
Scenam euripo extulimus subitam,
Ut ludos currusque simul variumque ferarum
Certamen iunctim Roma teneret ovans.
Ternum quippe sofos merui, terna agmina vulgi
Per caveas plausus concinuere meos.
In quaestum famae census iactura cucurrit:
Nam laudis fructum talia damna serunt.
Sic tot consumptas servant spectacula gazas,
Festorumque trium permanet una dies
Asteriumque suum vivax transmittit in aevum,
Qui partas trabeis tam bene donat opes.

282.

Mavortii
iudicium Paridis.

Pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum,
Forte recensebat numerum sub tegmine fagi:
Horrescit visu subito, et memorabile numen
Aut videt aut vidisse putat. Quo tenditis, inquit,
Coelicolae magni, pacemne huc fertis an arma?
Ad quem tunc Iuno supplex his vocibus usa est:
O lux Dardaniae, Troianae gloria gentis,
Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans,
Et proprio fuerint distentae lacte capellae
Ubera, nec metas rerum nec tempora pono.
Haec tibi semper erunt, hic inter flumina nota
Sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos.
Praeterea sceptrum dabitur, Troiane, quod optas.
Talibus orabat Iuno. Tritonia Pallas
Orsa loqui, nimbo effulgens et Gorgone saeva:
Disce', puer, virtutem ex me verumque laborem,
Militiam et grave Martis opus: sit pectore in isto,
Vulnera dirigere et calamos armare veneno.
Has inter voces, media inter talia verba
Sic contra est ingressa Venus, numen male amicum,
Nuda genu, nudos cervix cui lactea crines
Corripit in nodum, rosea cervice refulsit

Et vera incessu patuit dea. Ille repente
Obstupuit subitaque animum dulcedine movit;
Et mentem Venus ipsa dedit, decus enitet ore,
Exultatque animis et se cupit ante videri.
Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos,
Sic citiso pastae distendant ubera vaccae,
Formosi pecoris custos formosior ipse.
Adspice nos tantum, Lacedaemoniosque hymenaeos
Coniugio iungam stabili propriamque dicabo
Reginam thalamis Phrygio servire marito.
Ille deae donis ac tanto laetus honore
Ultro animos tollit dictis, ac talia fatur:
Iam iam nulla mora est, neque me sententia vertit,
Do, quodvis licet arma mihi mortemque minentur.
Me tamen urit amor: veniam, quocumque vocaris:
Tu modo promissis maneas. Ea verba locutus
Vendidit hic auro patriam. Dux femina facti.
Nec mora, continuo penetrat Lacedaemona pastor
Ledaeamque Helenam Troianas vexit ad urbes,
Et, si fata deum, si mens non laeva fuisset,
— — — — — — —

283.

Patricii

epithalamium Auspicii et Aellae.

Vere novo florebat humus, satus aethere sudo
Imbre maritatum vegetabat spiritus orbem;
Ipsa quoque, aetheria deducta propagine, flamma
Visceribus suffusa cavis, nova germina largo
Urgebat gremio, reparans elementa calore;
Latonae geminum numen, Cythereïus ignis,
Iupiter ipse parens et Maiae mobile pignus
Temperie unanimi secluso frigore tristi
Saturni veteris mundi per aperta nitebant,
Cum Venus Idaliis comitata sororibus exit,
Thessalicos visura lares, ubi florida Tempe
Perpetuis faciles conservant cultibus hortos.
It Natura comes lactenti foeta papilla,
Unde venit vitale decus: prope Gratia blando

Intuitu invergit florem nascentibus herbis:
Ante deam tenui decurrit veste Voluptas,
Ostentans revocansque nitentia membra tegendo,
Purpureas croceo suras evincta cothurno,
Speque sua maior nullaque imitanda figura:
Blanda manu inplexam tenet hanc, ducitque canendo
Aetherias Siren iterabile carmen ad auras.
Ad iuga blanda sedet, niveas moderata columbas,
Non satianda bonis, Divae soror alma, Cupido:
Aliger obsequio stipat puer; agmen Amorum
Claudit agens choreas pictis exercitus armis.
Adrident late toto revolantia mundo
Sidera, blandito dominam venerata sereno.
Ipsa levi residens curru, mitissima divum,
Ventilat adflatu coelum, Zephyrisque remissis
Mulcet agros, lenique astris adremigat aura.
Protinus ut liquidum Phoebi iubar ore recussit,
Progressamque deam docuere elementa favendo,
Lydia qui cedente reliquerat arva sorore,
Obvia pampineis Liber rapit agmina thyrsis.
Ditia Pactoli superat Peneïus amnis
Munera, clarus aquis nitidum stagnantibus aurum.
Exultant Dryadum faciles deliria Fauni
Et Satyri, sub utroque deo promtissima pubes:
Corniger hos stimulis inplet puer, aethera clangor
Verberat, et crotalis responsant tympana pulsis.
Ecce pater pando recubans Silenus asello,
Cui lacer a summo pendebat cantharus armo;
(Vina per os hirtaeque fluunt compendia barbae)
E numero comitum Veneris vestigat, et olim
Captus amore petit festino Chlorida voto.
Nympha retrocedens, dum spes alit, inque furentem
Blanda micans oculis, refugit pede; libera lusu
Turba favet, totoque fremit Petulantia coetu.
Hic subito volitans sparsas rumore per umbras
Fama movet mentes, incertaque murmura portat,
Orta dehinc largo narratur fabula motu.
Non videt auctorem, sed sentit quisque refertque

Atque audisse putat, nec primus in agmine toto est,
Mane sub Eoo, dum divae castra moventur,
Elapsum pennis et inobservata ferentem
Per liquidas Hymenaeum auras vestigia, Romae
Advertisse pedem, subitoque redire tumultu.
Ipse aderat, pompamque trahens, victosque iugali
Quos inconsulta coniunxerat arte Diona,
Auspicium iuvenem atque aequaevae pectus Aellae.
Illos prima patrum, generosae stirpis alumnos,
Nobilitas tota pridem celebraverat urbe,
Et species morumque opulentia comta nitore;
Nec semel Arcitenens tentarat spicula costis
Indere pectoribus matris molimine magno.
Olli florebant studiis Helicone potito,
Nec chorus Aonidum, nec sanctae Palladis ardor,
Nec pater ipse iugi cuiquam maiore favebat
Ingenio. Par cura animo, labor otia nescit
Inprobus, atque aliis urit praecordia flammis
Gloria, ab excelsa laus intemerabilis arce
Monstrat iter, quo celsa petunt fastigia rerum
Semideae mentes, puro stirps prosata coelo.
At teneros aevi nec adhuc puerile sonantes
A primis fausto sociarunt omine cunis
Solliciti longa de posteritate parentes.
Hinc puer elusa iuga Calliopeïus illis
Nexuerat domina, laetamque ferebat ad aulam
Luctantes rapiens iuvenes, inmane tropaeum.
Indignata tamen risit dea, nec tibi tantum
Saepe licere velis, nimium studiose pudoris,
Maternos nimium, puer, amplexate rigores.
Protinus instaurant pompae genialis honorem,
Deflectuntque viam, pelagoque advertere certant.
Ales at e medio revolans Concordia coetu
Iungere nunc dextras, nunc oscula pangere mandat,
Primaque perpetuis mysteria tradere curis.
Ipsa pharetratos urget dea Pronuba fratres,
Sancta Fides, flectant choreas ad moenia Romae,
Et patrios laeto repetant rumore penates:

Unde ante ora suorum et avitae in sedibus aulae
Testentur fixum foedus thalamumque coronent.

284.

Prisciani
de sideribus coeli.

Ad Boreae partes Arcti vertuntur et Anguis.
Post hos Arctophylax pariterque Corona, genuque
Prolapsus, Lyra, Avis, Cepheus et Cassiepea,
Auriga et Perseus, Deltoton et Andromedae astrum,
Pegasus et Delfin Telumque, Aquila, Anguitenensque.
Signifer inde subest: bis sex hunc sidera complent.
Hinc Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, et Urnam
Qui tenet, et Pisces. Post sunt in partibus Austri
Orion, Procyon, Lepus, ardens Sirius, Argo,
Hydrus, Chiron, Turibulum quoque, Piscis et ingens.
Hinc sequitur Pistrix, simul Eridanique fluenta.
Sed vaga praeterea dicuntur lumina septem,
Luna et Mercurius, Venus ac Sol, Mars quoque fulgens,
Hinc Iovis et sidus super omnia sidera lucens,
Celsior his Saturnus, tardior omnibus astris.

285.

Prisciani
Est et *Non*.

Est et *Non* cuncti monosyllaba nota frequentant.
His demptis nihil est, hominum quo sermo volutet.
Omnia in his, et ab his sunt omnia, sive negoti
Sive oti quidquam est, seu turbae, sive quietis.
Alterutro, pariter nonnumquam, saepe seorsum
Obsistunt studiis, ut mores ingeniumque,
Et facilis vel difficilis contentio nata est.
Si consentitur, mora nulla, intervenit *Est est;*
Sin controversum, dissensio subiiciet *Non.*
Hinc fora dissultant clamoribus, hinc furiosi
Iurgia sunt circi, cuneati hinc laeta theatri
Seditio, et tales agitat quoque curia lites.
Coniugia et nati cum patribus ista quietis
Verba serunt studiis, salva pietate loquentes.

Hinc etiam placitis schola consona disciplinis
Dogmaticas agitat placido certamine lites.
Hinc omnis certat dialectica turba sophorum:
Est lux. Estne dies ergo? Non convenit istuc.
Nam facibus multis aut fulguribus quoties lux
Est nocturna homini, non est lux ista diei.
Est et *non* igitur, quoties lucem esse fatendum est,
Sed non esse diem. Mille hinc certamina surgunt.
Hinc pauci, multi quoque talia commeditantes
Murmure concluso rabiosa silentia rodunt.
Qualis vita hominum, duo quam monosyllaba versant!

286.

Phocae
in Aeneidem Virgilii.

Carmina Virgilius Phrygium prodentia Martem
Secum fatali iusserat igne mori.
Tucca negat, Varius prohibet: superaddito, Caesar,
Nomen. In Aenea non sinis esse nefas!
O quam paene iterum geminasti funere funus,
Troia; bis interitus causa futura tui.

287.

Phocae grammatici
de Arte sua.

Ars mea multorum es, quos saecula prisca tulerunt,
Sed nova te brevitas asserit esse meam.
Omnia cum veterum sint explorata libellis,
Multa loqui breviter sit novitatis opus.
Te relegat iuvenis, quem garrula pagina lassat,
Aut si quem paucis seria nosse iuvat.
Te longinqua petens comitem sibi ferre viator
Ne dubitet: parvo pondere multa vehis.
Te si quis scripsisse volet, non ulla queretur
Damna nec ingrati triste laboris onus.
Est quod quisque petat; numquam censura diserti
Hoc contemnat opus, si modo livor abest.

288.

Phocae grammatici
vita Virgilii.

O vetustatis memoranda custos,
Regios actus simul et fugaces

Temporum cursus docilis referre,
Aurea Clio.
Tu nihil magnum sinis interire,
Nil mori clarum pateris, reservans
Posteris prisci monumenta secti
Condita libris.
Sola fucatis variare dictis
Paginas nescis, sed, aperta quidquid
Veritas prodit, recinis per aevum
Simplice lingua.
Tu senescentes titulos laborum
Flore durantis reparas iuventae,
Militat virtus tibi; te notante
Crimina pallent.
Tu fori turbas strepitusque litis
Effugis dulci moderata cantu;
Nec retardari pateris loquelas
Compede metri.
His fave dictis! Retegenda vita est
Vatis Etrusci, modo qui perenne
Romulae voci decus adrogavit
Carmine sacro.

Maeonii specimen vatis, veneranda Maronem
Mantua Romuleae generavit flumina linguae.
Quis facunda tuos toleraret, Graecia, fastus,
Quis tantum eloquii potuisset ferre tumorem,
Aemula Virgilium tellus nisi Tusca dedisset?
Huic genitor figulus, Maro nomine, cultor agelli,
Ut referunt alii, tenui mercede locatus,
Sed plures figulum. Quis non miracula rerum
Haec stupeat? Dives partus de paupere vena
Enituit, figuli soboles nova carmina finxit.
Mater Polla fuit, Magii non infima proles,
Quem socerum probitas fecit iam clara Maroni.
Haec cum maturo premeretur pondere ventris,
Ut solet, in somnis animus ventura repingens
Anxius et vigili praesumere gaudia cura

Phoebei nemoris ramum fudisse putavit.
O sopor indicium veri! nil certius umquam
Cornea porta tulit. Facta est interprete lauro
Certa parens onerisque sui cognoverat artem.
Consule Pompeio vitalibus editus auris
Et Crasso tetigit terram, quo tempore Chelis
Iam mitis Phaethon post Virginis ora receptus.
Infantem vagisse negant: nam fronte serena
Conspexit mundum, cui commoda tanta ferebat.
Ipse puerperiis adrisit laetior orbis.
Terra ministravit flores et munere verno
Herbida supposuit puero fulmenta virescens.
Praeterea, si vera fides: sed vera probatur,
Lata cohors apium subito per rura iacentis
Labra favis texit dulces fusura loquelas.
Hoc quondam in sacro tantum mirata Platone
Indicium linguae memorat famosa vetustas.
Sed natura parens properans extollere Romam
Et Latio dedit hoc, ne quid concederet uni.
Insuper his genitor, nati dum fata requirit,
Populeam sterili virgam mandavit arenae,
Tempore quae nutrita brevi, dum crescit in omen,
Altior emicuit cunctis, quas auxerat aetas.
Haec propter placuit puerum committere Musis,
Et monstrare viam venturae in secula famae.
Tum Ballista rudem lingua titubante receptum
Instituit primum, quem nox armabat, in umbris
Grassari solitum. Crimen doctrina tegebat;
Mox patefacta viri pressa est audacia saxis.
Incidit titulum iuvenis, quo pignora vatis
Edidit. Auspiciis suffecit poena magistri.
Monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus.
Nocte die tutum carpe, viator, iter.
Nos tamen hoc brevius, si fas simulare Maronem.
Ballistam sua poena tegit: via tuta per auras.
Hic Ballista iacet: certo pede perge viator.
Carcere montoso clausus Ballista tenetur:
Securi fraudis pergite nocte viri.

Quid trepidas tandem gressu pavitante viator?
  Nocturnum furem saxeus imber habet.
Ballistae vitam rapuit lapis: ipse sepulcrum
  Intulit: umbra nocens pendula saxa tremit.
Crimina latronis dignissima poena coercet.
  Duritiam mentis damnat ubique lapis.
Hinc Culicis tenui prolusit funera versu:
Parve culex, pecorum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitae pro munere reddit.
Tum tibi Syronem, Maro, contulit ipsa magistrum
Roma potens proceresque suos tibi iunxit amicos.
Pollio, Maecenas, Varius, Cornelius ardent,
Te sibi quisque rapit per te victurus in aevum.
Musa refer, quae causa fuit componere libros.
Sumserat Augustus rerum moderamina princeps,
Iam necis ultor erat patriae: iam caede priorum
Perfusas acies legitur visura Philippos.
Cassius hic magni vindex et Brutus in armis
Intereunt. Victor nondum contentus opimis
Emeritas belli spoliis ditasse cohortes,
Proscripsit miserae florentia rura Cremonae,
Totaque militibus pretium concessa laborum
Praeda fuit. Violenta manus bacchata per agros.
Non flatus, non tela Iovis, non spumeus amnis,
Non imbres rapidi, quantum manus inpia, vastant.
Mantua tu coniuncta loco, sociata periclis,
Non tamen ob meritum: miseram vicinia fecit.
Iam Maro pulsus erat, sed viribus obvius ibat,
Fretus amicorum clipeo, cum paene nefando
Ense perit. Quid dextra furis? quid viscera Romae
Sacrilego mucrone petis? Tua bella tacebit
Posteritas ipsumque ducem, nisi Mantua dicat.
Non tulit hanc rabiem doctissima turba potentum.
Itur ad auctorem rerum: quid Martius horror
Egerit, ostendunt. Qui tunc miseranda tulisset,
Caesaris huic placido nutu repetuntur agelli.
His auctus meritis cum digna rependere vellet,
Invenit carmen, quo munera vincere posset.

Praedia dat Caesar, quorum brevis usus habendi;
Obtulit hic laudes, quas secula nulla silescant.
Pastores cecinit primos. Hoc carmine consul
Pollio laudatur ter se revocantibus annis
Conposito; post haec ruris praecepta colendi
Quattuor exposuit libris, et commoda terrae
Edocuit geminis anno minus omnia lustris.
Inde cothurnato Teucrorum praelia versu
Et Rutulum tonuit, bissena volumina sacro
Formavit donata duci trieteride quarta.
Sed loca, quae vulgi memoravit tradita fama,
Aequoris et terrae statuit percurrere vates,
Certius ut libris oculo dictante notaret.
Pergitur. Ut Calabros tetigit, livore nocenti
Parcarum vehemens luxavit corpora morbus.
Hic ubi languores et fata minantia sensit,

. . . .

289.

Phocae grammatici

ex vita Virgilii fragmentum.

— — — — si lingua locuta est
Nescio quid fugiente anima, non sponte, sed altis
Expugnata malis odio languoris iniqui:
Infertur Tyriae post vulnera vulnus Elissae,
Sentiet applicitos turbata Sibylla vapores
Eiurata mori, nec cingula reddet Amazon?
Di meliora date ac sensum revocate nocentem.
Pace viri liceat tanti, nec commoda linguae
Divitis intereant, per quam Romana iuventus
Aeternum floret; verum, quod iusserat ille,
Sit vetuisse meum. Nam post sua tempora vitae
Non taceat, imo aeternum resonante Camena
Laudetur, placeat, vivat, relegatur, ametur.

290.

Florentini

carmen in laudem Thrasamundi regis.

Regia festa canam solemnibus annua votis.
Imperiale decus Thrasamundi gloria mundi,

Regnantis Libyae: toto sed clarior orbe,
Sed radiante micans cunctis supereminet astris.
In quo concordant pietas prudentia mores
Virtus forma decus animus sensusque virilis
Invigilans animo, solus super omnia sensus.
Sed quid plura moror? vel quo me ad devia ducam?
Solus habet, toto quidquid praefertur in orbe.
Parthia quod radiat sublimibus ardua gemmis,
Lydia Pactoli rutilas quod sulcat arenas,
Vellera quod Seres tingunt variata colore,
Regnantum meritis pretiosa praemia dantes,
Tegmine quod fulgent admisto murice, vestes,
Africa quod fundit fructus splendentis olivi,
Et si quid tellus gignit laudata per orbem:
In regnis venere tuis, cui maximus auctor
Contulit, et soli tribuit haec cuncta potiri.
Te regnante diu fulgent Carthaginis arces.
Filia quam sequitur Alianas inpare gressu,
Nec merito nec honore minor, cui plurimus ardens
Regnantis increvit amor, quam surgere fecit,
Dilectisque locis claram vitalibus auris,
Quae meruit celsum meritis sufferre regentis.
Hinc freta marmoreo resonant sub gurgite ponti,
Hinc telluris opes viridanti cortice surgunt,
Ut maris et terrae dominus splendore fruatur.
Nam Carthago suam retinet per culmina laudem,
Carthago in regem victrix, Carthago triumphat,
Carthago Asdingis, genitrix Carthago coruscat,
Carthago, excellens Libycas Carthago per oras,
Carthago studiis, Carthago ornata magistris,
Carthago populis pollet, Carthago refulget,
Carthago in domibus, Carthago in moenibus ampla,
Carthago et dulcis, Carthago et nectare suavis,
Carthago flores, Thrasamundi nomine regnas,
Cuius et imperium maneat per saecula felix.
Optamus domino multos celebrare per annos
Annua, dum repetit fulgentia gaudia regni.

291.

Flavii Felicis

De thermis Alianarum.

Hic ubi conspicuis radiant nunc signa metallis,
Et nitidum claro marmore fulget opus,
Arida pulvereo squallebat cespite tellus
Litoreique soli vilis arena fuit.
Pulchra sed inmenso qui duxit culmina coelo,
Ostendens pronis currere saxa iugis,
Publica vox populis Thrasamundus gaudia vovit,
Prospera continuans omnia secla suis.
Paruit imperiis mutato lympha sapore,
Et dulcis fontes proluit unda novos.
Expavit subitas Vulcanus surgere thermas,
Et trepida flammas subdidit ipse manu.

292.

Flavii Felicis.

Nobilis insultat Baiarum fabrica thermis,
Et duplicat radios fontibus aucta dies.
Hoc uno rex fecit opus Thrasamundus in anno,
Inclita dans populis munera temporibus.
Hic senibus florens virtus renovatur anhelis,
Hic fessos artus viva lavacra fovent.
Miscentur pariter sociis incendia lymphis,
Et gelidos imbres proximus ignis habet.
Utilis hic flamma est et nullos pascitur artus
Optaturque magis per nova vota calor.
Longior hic aegros morborum cura relinquit,
Nec lavat in vitreis hic moriturus aquis.

293.

Flavii Felicis.

Regia praeclaras erexit iussio moles,
Sensit et imperium calx lapis unda focus.
Inclusus Vulcanus aquis algentibus hic est,
Et pacem liquidis fontibus ignis habet.
Cum lymphis gelidis constat concordia flammae,
Ac stupet ardentes frigida Nympha lacus.

Uritur hic semper gaudens neque laeditur hospes,
Et vegetat medicus pectora fota vapor.
Maxima sed quisquis patitur fastidia solis,
Aut gravibus madido corpore torpet aquis,
Hic Thrasamundiacis properet se tinguere thermis.
Protinus effugiet tristis uterque labor.

294.

Flavii Felicis.

Publica qui celsis educit moenia tectis,
Hic pia rex populis Thrasamundus vota dicavit.
Per quem cuncta suis consurgunt pulcra ruinis,
Et nova transcendunt priscas fastigia sedes.
Hic quoque post sacram meritis altaribus aedem
Egregiasque aulas, quas grato erexit amore,
Condidit ingentes proprio sub nomine thermas.
Hic bonus irriguis decertat fontibus ignis;
Hic etiam ardentis nemo timet ora camini.
Plurimus hic imber gelidas adcommodat undas;
Hic aestus levis est, hic nullum frigora torrent;
Hic geminata dies per candida marmora fulget.

295.

Flavii Felicis V. C.

Postulatio honoris apud Victorianum V. Inl. et Primiscriniarium.

Aspera dum quaterent humanas praelia mentes,
Aut raperet vastum nigra procella fretum,
Cum dubiis fortuna suis penderet habenis
Torqueretque vagus stolida corda metus:
Anxia Phoebeis sanabant pectora templis,
Et sacros tripodas nosse salubre fuit.
Nunc etiam saevis agitat quos cura periclis,
Atque inopi vexat dura labore fames,
Altera Parnasi currunt ad numina montis
Castalioque lacu viscera maesta fovent.
Te nudi tristesque rogant, tibi flebile plangit
Auxilium poscens paupera turba tuum.
Tu mihi numen eris Phoebeo numine plenus,
Qui potes infirmos morte levare manu;

Quaeque meos domus est proavos miserata patremque,
Haec eadem natis praemia nota ferat.
Erige languentem, morbos depelle meroris,
Et miserum melior factus Apollo iuva.
Non ego litigeros cupio cognoscere fasces,
Nec mihi reddantur iura superba, precor.
Triste forum nolo, vexat quod praemia pacis,
Fraternisque odiis alea caeca subit.
Conflictus audire piget rixasque togarum,
Quas inter fictus concrepat ore furor.
Iustitiam calcat seductus foenore praedae,
Et quas defendit, partibus arma parat.
Nec mihi, qui pereant, ulli poscuntur honores,
Aut avidus pompae maxima lucra peto.
Sit mihi fas audire sacros et cernere cultus,
Ecclesiae spectans dona venire mea.
Sic tibi Phoenicis transcendere congruat annos,
Incolumique aevum coniuge laetus agas.
Sic thalamis prolem socies videasque nepotes
Prudentis gremio ludere semper avi.
Inclita sic celsi provectus fata parentis
Exuperes meritis seclaque longa geras.
Sic priscos vincas atavos clarosque parentes,
Et placido regi nuntius orsa feras.
Adnue poscenti, (miserûm sustolle ruinas)
Clericus ut fiam: dum velis, ipse potes.

Luxorii liber epigrammaton.

296.

De titulo Luxorii cum versibus.

Priscos, Luxori, certum est te vincere vates:
Carmen namque tuum duplex Victoria gestat.

297.

Epitaphium.

Nil mihi mors faciet, pro me monumenta relinquo.
Tu modo vive, liber: nil mihi mors faciet.

298.

Praefatio.

Parvula quod lusit, sensit quod iunior aetas,
Quod sale Pierio garrula lingua sonat:
Hoc opus inclusit. Tu, lector, corde perito
Omnia perpendens, delige, quod placeat.

299.

Metro Phalaecio ad Faustum.

Ausus post veteres tuis, amice,
Etsi iam temere est, placere iussis,
Nostro, Fauste, animo probate compar,
Tantus grammaticae magister artis,
Quos olim puer in foro paravi,
Versus ex variis locis reductos,
Illos scilicet, unde me poetam
(Insulsum, puto, quam magis legendum)
Nostri temporis aestimavit aetas,
In parvum tibi conditos libellum
Transmisi, memori tuo probandos
Primum pectore, deinde, si libebit,
Discretos titulis, quibus tenentur,
Per nostri similes dato sodales.
Nam si doctiloquis nimisque magnis
Haec tu credideris viris legenda,
Culpae nos socios notabit index,
Tam te, talia qui bonis recenses,
Quam me, qui tua duriora iussa
Feci nescius immemor futuri.
Nec me poeniteat iocos secutum,
Quod verbis epigrammaton facetis
Diverso et facili pudore lusit
Frigens ingenium laboris expers.
Causam carminis, unde sit voluptas,
Egit ridiculum sequens poema.

300.

Iambici ad lectorem operis sui.

Priscos cum haberes, quos probares, indices,
Lector, placere qui bonis possent modis,

Nostri libelli cur retexis paginam,
Nugis refertam frivolisque sensibus,
Et quam tenello tiro lusi viscere?
Et forte doctis si illa cara est versibus,
Sona pusilli quae laboris comutae
Nullo decoris ambitus sententia
Hanc iure quaeris et libenter inchoas,
Velut iocosa si theatra pernotes.

301.

Asclepiadei ad librum suum.

Parvus nobilium cum liber ad domos
Pomposique fori scrinia publici,
Cinctus multifido veneris agmine,
Nostri diffugiens pauperiem laris,
Quo dudum modico sordidus angulo
Squalebas tineis iam prope deditus,
Si te despiciet turba legentium
Inter Romulidas et Tyrias manus:
Isto pro exequiis claudere disticho.
Contentos propriis esse decet locis,
Quos laudis facile est invidiam pati.

302.

De eo quod epigrammata parva in hoc libro scripserit.

. . . . . .

Si quis in hoc nostro detrahit ingenio,
Adtendat, modicis concludi mensibus annum,
Et faciles hiemis, veris et esse dies.
Noverit, in brevibus magnum deprendere usum:
Ultra mensuram gratia nulla datur.
Hic mea concinno si pagina displicet actu,
Finito citius carmina clausa silent.
Nam si constaret libris longissima multis,
Fastidita forent plurima vel vitio.

303.

Trochaicum de piscibus, qui ab hominibus cibos capiebant.

Verna clausas inter undas et lacunas regias,
Postulat cibos diurnos ore piscis parvulo,

Nec manum fugit vocatus, nec pupugit regiam.
Roscidus sed amnis errans hinc et inde, marginis
Odit ardui procellas et dolosi gurgitis,
Ac suum quo liber esse transnatat solet mare.
Sic famem gestu loquaci et mitiori vertice
Discit ille quam sit aptum ventris arte vincere.

304.

Archilochium de apro in triclinio nutrito.

Martis aper genitus iugis inesse montium,
Frangere et horrisonum nemus ferocius solens,
Pabula porticibus capit libenter aureis,
Et posito famulas furore temperat minas,
Nec Parios lapides revellit ore spumeo,
Atria nec rapidis decora foedat ungulis,
Sed, domini placidam manum quietus adpetens,
Fit magis, ut Veneris dicatus ille sit sacris.

305.

De auriga Aegyptio, qui semper vincebat.

Quamvis ab Aurora fuerit genetrice creatus
  Memnon, Pelidae corruit ille manu.
At te Nocte satum, ni fallor, matre paravit
  Aeolus, et Zephyri es natus in antra puer,
Nec quisquam, qui te superet, nascetur Achilles,
  Dum Memnon facie es, non tamen et genio.

306.

Sapphicum in grammaticum furiosum.

Carminum interpres meritique vatum,
Cum leves artem pueros docere
Diceris, vel te iuvenes magistrum
Audiant verbis veluti disertum,
Cur in horrendam furiam recedis,
Et manu et telo raperis cruentus?
Non es, in quantum furor hic probatur,
Dignus inter grammaticos vocari,
Sed malos inter sociari Orestas.

307.

Glyconium in advocatum effeminatum.

Exsecti species viri,
Naturae grave dedecus,
Usu femineo Paris,
Foedae cura libidinis,
Cum sis ore facundior,
Cur causas steriles agis,
Aut corrupta negotia
Et perdenda magis locas?
Agnovi, et video; tuo
Ori quid bene credier
Non vis, sed puto podici.

308.

Phalaecium in moechum, qui inebriatus plorabat, cum coitum inplere non posset.

Saepius futuis nimisque semper,
Nec parcis, nisi forte inebriatus.
Effundis lacrimas, quod esse moechus
Multo non valeas mero subactus.
Plora ne futuas peto Lucine
Et semper bibit odiumque plangit
Aut nunquam ut futuas, venena sume.

309.

In spadonem regium, qui mitellam sumebat.

Raro decens capillo
Roseoque crine ephebus,
Spado regius mitellam
Capitis velo capit.
Proprii memor pudoris,
Bene conscius, quid esset,
Posuit cogente nullo,
Fuerat minus quod illi.

310.

Anapaesticum in magum medicum.

Tibi cum non sit diei panis,
Magicas artes inscius inples;

Ire per umbras atque sepulcra
Pectore egeno titubans gestis,
Nec tua Manes carmina sumunt,
Fame dum pulsus Tartara cantu
Omnia turbas, aliquid crederis
Dare quod possit super his Pluton
Pauperibus puto quod petas.
Egeas totum semper in orbem,
Mage, si poscis membra perempta.

311.

In acceptorarium obesum et infelicem.

Pondere vel facto miseras, Martine, fatigas,
Pressura crudelis habes; pinguedine tanta
Ut tu sis, frustra maciem patiuntur iniquam.
Debuerant, fateor, magis has tua pascere membra,
Ut numquam possent ieiuna morte perire.

312.

In vetulam virginem nubentem.

Virgo, quam Phlegethon vocat sororem,
Saturni potior parens senectae,
Quam Nox atque Erebus tulit Chaosque,
Cui rugae totidem graves, quot anni,
Cui vultus Elephas dedit cutemque,
Mater simia quam creavit arvis
Grandaeva in Libycis novo sub orbe,
Olim quae decuit marita Diti
Pro nata Cereris dari per umbras,
Quis te tam petulans suburit ardor,
Nunc cum iam exitium tibi supersit?
An hoc pro titulo cupis sepulcri,
Ut te cognita fama sic loquatur,
Quod stuprata viro est anus nocenti?

313.

In medico-lenonem.

Quod te pallidulum, Marine noster,
Cuncti post totidem dies salutant,

Credebam, medicum velut peritum
Curam febribus et manum pudicam
De factis logicae parare sectae,
Aut de methodicis probare libris.
At tu fornice turpius vacabas
Exercens aliis, quod ipse possis
Lenatis melius tibi puellis
Scortandi solito labore ferre.
Novi, quid libeat tuum, chirurge,
Conspectos animum videre cunnos.
Vis ostendere, te minus virum esse;
Arrectos satis est mares videre.

314.

In diaconum festinantem ad prandium cauponis.

Quid festinus abis gula inpellente, sacerdos?
An tibi pro psalmis pocula corde sedent?
Pulpita templorum, ne pulpita quaere tabernae;
Numina, quo laudes, non phialas reseres.

315.

De turre in viridario posita, ubi se Fridamal aprum pinxit occidere.

Extollit celsas nemoralis Aricia sedes,
Sternit ubi famulas casta Diana feras;
Frondosis Tempe cinguntur Thessala silvis,
Pinguia Benventi lustra Molorchus habet.
Haec vero aetherias surgit quae turris in auras,
Consessum domino deliciosa parans,
Omnibus in medium, lucis ornata refulget,
Obtinuitque novo praemia cuncta loco.
Hinc nemus, hinc fontes, hinc structa cubilia surgunt,
Statque velut propriis ipsa Diana iugis.
Clausa sed in tanto cum sit splendore voluptas,
Artibus ac variis atria pulchra micent,
Admiranda tuae tamen est virtutis imago,
Fridamal, et stratae gloria magna ferae,
Qui solitae accendens mentem virtutis amore
Aptasti digno pingere facta loco.

Hinc spumantis apri iaculo post terga retorto
Frontem et cum geminis naribus ora feris.
Ante ictum subita prostrata est bellua morte,
Cui prius extingui quam cecidisse fuit.
Iussit fata manus, telo nec vulnera sensit
Exerrans anima iam pereunte cruor.

316.

De avibus marinis, quae post volatum domum remeabant.

Felix marinis alitibus, Fridamal,
Felix iuventa, prosperior genio,
Quem sponte poscunt aequoreae volucres,
Nec stagna grato frigida consilio
Pigris strepentes gurgitibus retinent.
Sed quo tuorum temperiem numerum
Monstrent, volatu praememores famulo
Prope relictam non repetunt patriam.

317.

In aurigam senem victum, crimina in populo iactantem.

Te quotiens victum circus, Quiriace, resultat,
Crimine victores polluis et populos.
Tunc visum quereris senio languente perisse,
Castigasque tuae tarda flagella manus.
Sed quod in alterius divulgas crimina nomen,
Cur non illa magis credis inesse tibi?
Es meritis impar, virtute, aetate relictus —
Haec cum habeant alii, crimina vera putas.
Sola tamen falsis surgat tibi poena loquelis,
Ut victus semper nil nisi crimen agas.

318.

In podagrum venationi studentem.

Apros et capreas levesque cervos
Incurvus rapidis equis fatigat,
Tantum nec sequitur capitque quidquam.
Esse inter iuvenes cupit, vocari
Baudus, dum misero gemat dolore,
Et nil praevaleat. Quid ergo gestit?

Mori praecipiti furit caballo,
Cum lecto melius perire posset.

319.

In sacerdotem, quod multas scortos habuit et eas custodiebat.

Zelotypus, plures incurvas clune puellas:
Sed nulla est, quae te sentiat esse virum.
Custodis clausas, tamquam sis omnibus aptus:
Est tamen internus Iupiter ex famulis.
Si nihil ergo vales, vacuo cur arrigis orge,
Et facis ignarus mentis adulterium?

320.

Anacreonticum in medicum inpotentem, qui ter viduam duxit uxorem.

Post tot repleta busta,
Et funerum catervas
Ac dispares maritos,
Rugosa quos peremit
Fatis anus sinistris,
Tu nunc, chirurge, quartus
Coniux vocate plaudis.
Sed vivus es sepultus,
Dum parte, qua decebet,
Nil contines mariti.
Iam nosco, cur videtur
Nupsisse Paula rursus
Nulli? quid ergo fecit?
Mutare mox lugubrem,
Quam sumpserat, cupivit
Uxor nefanda vestem,
Ut quartus atque quintus
Possit venire coniux.

321.

In pantomimam Pygmaeam, quae Andromaches fabulam frequenter saltabat et raptum Helenae.

Andromachem atque Helenam saltat Macedonia semper,
Et quibus excelso corpore forma fuit.

Haec tamen aut brevior Pygmaea virgine surgit,
Ipsius aut quantum pes erat Andromachae.
Sed putat illarum fieri se nomine talem,
Motibus et falsis crescere membra cupit.
Hac spe, crede, tuos incassum decipis artus:
Thersiten potius finge, quod esse soles.

322.

In ebriosum nihil comedentem, sed solum bibentem.

Dum bibis solus, poterant quod omnes,
Saepe, nec totis satiaris horis,
Et tibi munus Cereris resordet,
Ac nihil curas nisi ferre Bachum,
Nerse, iam te non hominem vocabo,
Sed nimis plenam et patulam lagenam.

323.

De Fama picta in stabulo Circi.

Qualem te pictor stabulis formavit equorum,
Talem te nostris blanda referto iugis.
Semper et adsiduo vincendi munera porta
His, quorum limen fortis amica sedes.

324.

Aliter.

Verum, Fama, tibi vultum pictura notavit,
Dum vivos oculos iuncea forma gerit.
Tu quamvis totum velox rapiaris in orbem,
Pulchrior hoc uno limine clausa sedes.

325.

In vicinum invidum.

Zeleris nimium cur mea, Marcie,
Tamquam si pereas, limina, nescio,
Cum sis proximior, una velut domus,
Et nostros paries dimidiet lares.
Sed gratum ferimus; talis es omnibus,
Nec quemquam nisi te vis miser adspici.
Contingat, (quesumus numina) quod cupis,
Te solum ut videas, Marcie, dum bibis.

326.

In gibberosum, qui se generosum iactabat.

Fingis superbum quod tibi patrum genus,
Nunc Iuliorum prole te satum tumens,
Nunc Memmiorum Martiique Romuli,
Prodesse gibbo forte quod putas tuo,
Nil ista falso verba prosunt ambitu.
Tace parentes, ne quietos moveas.
Natura, nobis unde sis natus, docet.

327.

De eo, qui se poetam dicebat, quod in triviis cantaretur et a pueris laudaretur.

Componis fatuis dum pueris melos,
Zenobi, et trivio carmine perstrepis,
Indoctaque malis verba facis locis,
Credis, tete aliquid laudibus indere,
Famamque ad teneros ducere posteros.
Hoc nostrae faciunt semper et alites,
Ni rite incapies sibilatum canunt.

328.

In puellam hermaphroditum.

Monstrum feminei bimembre sexus,
Quam coacta virum facit libido,
Quae gaudes futui furente cunno.
Cum te ceperit inpotens voluptas,
Non das, quod pateris, facisque cunnum.
Illam, qua mulier probaris esse,
Partem cum dederis, puella tunc sis.

329.

Ad eum, qui per diem dormiens nocte vigilabat.

Sternis anhelanti fessus quod corde, Lycaon,
  Exhorrens lucis munera parta dei,
Et tibi vigilias semper nox taetra ministrat,
  Iam scio, te nostro vivere nolle die.
Aut si tale tibi studium natura paravit,
  Vivus ad antipodas sis velut inde redi.

330.

De sarcophago, ubi turpia sculpta fuerant.

Turpia tot tumulo defixit crimina Balbus,
  Post Superos spurco Tartara more premens.
Pro facinus! finita nihil modo vita retraxit,
  Luxuriam ad Manes moecha sepulcra gerunt.

331.

Item unde supra, ubi equi Circi bibebant.

Crevit ad ornatum stabuli Circique decorem
  Purior egregio reddita lympha loco,
Quam cingunt variis insignia clara metallis
  Crispatoque super scinditur unda gelu.
Excipit hanc patuli moles miranda sepulcri,
  Corporibus vivis pocula blanda parans.
Nec clam sarcophagus tristissima funera claudit,
  Sed laetus dulci flumine conplet equos.
Fundit aquas duro signatum marmore flumen,
  Falsa tamen species vera fluenta vomit.
Plaudite vos, Musae, diversaque plaudite signa,
  Quae circum docili continet arte decor.
Et dum palmiferis post praemia tanta quadrigis
  Garrula victores turba resolvit equos,
Praebete innocuos potus potusque salubres,
  Ut domino proprius gaudia Circus agat.

332.

In cinaedum bona sua corruptoribus dantem.

Divitias grandesque epulas et munera multa,
  Quod proavi atque atavi, quodque reliquit avus,
Des licet in cunctos et spargas, Becca, maritos:
  Plus tamen ille capit, cui dare saepe cupis.
Nescio quid miserum est, quod celas, Becca: talento
  Vendere debueras, si bona membra dares.

333.

De eo, qui uxorem prostare faciebat pro filiis habendis.

Stirpe negata patrium nomen
Non pater audis carus adulter.

Coniugis castae viscera damnas,
Pariat spurios ut tibi natos,
Inscios, quo sint semine creti.
Fuerant forsan ista ferenda
Foeda proconi vota parumper
Scire vel ipsa situs umquam
Posset adultus dicere matrem.

334.

De aleatore in pretio lenocinii ludente.

Ludis, nec superas ultor ad aleam,
Nec quidquam in tabula das, nisi virginum
Spondens blanditias et coitus simul.
Hoc cur das aliis, quod poteras tibi?
An tabulae melius praemia grata sunt,
Aut prodest vitium tale quod imperas?
Si vincas, ego te non puto virginem,
In luxum cupere sed in agmine vendere.

335.

In nomen Aegyptii, quo equi Circi infortunium capiebant.

Icarus et Phaëthon Veneto nolente vocaris
Atque agilis, pigro cum pede cuncta premas.
Sed tamen et Phaëthon cecidit super aethera flammis,
Dum cupit insolitis nescius ire plagis.
Tu quoque confractis defectus in aequore pinnis,
Icare, Phoebeo victus ab igne cadis.
Dignis ergo tibi praebentur nomina fatis,
Per te iterum ut pereant, qui periere prius.

336.

De Romulo picto, ubi in muris fratrem occidit.

Disce pium facinus: percusso, Romule, fratre
Sic tibi Roma datur. Huius iam nomine culpat
Nemo te caedis, murorum si decet omen.

337.

De eo, qui amicos ad prandium clamabat, ut plura exposceret xenia.

Gaudeo, quod me nimis ac frequenter

Ambitu pascis, Blumarit, superbo.
Unde sed pascor, mea sunt per omnes
Sparsa convivas bona; nec volebam,
Pasceres quemquam peteresque mecum,
Ne tibi quidquam detur, unde pascas.
Hoc tamen si tu vitio teneris,
Me precor numquam iubeas vocari.

338.

De auriga lato frequenter cadente.

Pascasium aurigam populi fortasse fatentur,
Ast ego non aliud quam turgida membra notabo
Inflatumque caput populis et amica ruinis
Brachia, quem numquam recto moderamine frenant.
Mox cadit et cadit, et rursum cadit, inde resurgit,
Et cadit ut miseris frangantur crura caballis.
Non iste humano dicatur nomine natus,
Hunc potius Gryphum proprium vocat Africa circo.

339.

De laude aurigae Prasini.

Iecto fiant Prasino felix auriga colore,
Priscorum compar, ars quibus ipsa fuit.
Suetus equos regere et metas lustrare quadrigis,
Et quocumque velis ducere frena manu.
Non sic Tantalides humero stat victor eburno,
Una illi palma est, at tibi multa manet.

340.

In eum, qui foedas amabat.

Diligit informes et foedas Myrro puellas,
Quas aliter pulchro viderit ore, timet.
Iudicium quale est oculorum, Myrro, fatere,
Ut tibi non placeat Pontica, sed Garamas!
Iam tamen agnosco, cur tales quaeris amicas:
Pulchra tibi numquam, sed dare foeda potest.

341.

De simiis canum dorso inpositis.

Reddita post longum Tyriis est mira voluptas,
Quem pavet, ut sedeat simia blanda canem.

Quanto magna parant felici tempora regno,
  Discant ut legem pacis habere ferae!

342.

De partu ursae.

Lambere nascentis fertur primordia prolis
  Ursa ferox, placido cum facit ore genus.
Expolit informes labris parientibus artus,
  Et pietas sobolem rursus amore creat.
Attrito truncum formatur corpore pignus,
  Dum sculpendo facit crescere membra faber.
Officium natura suum permisit amanti,
  Formam post uterum lingua ministra parit.

343.

De laude horti Eugeti.

Hortus, quo faciles fluunt Napeae,
Quo ludunt Dryades viretque Chloris,
Quo subit teneras Diana Nymphas,
Quo Venus roseos recondit artus,
Quo fessus teretes Cupido flammas
Suspensis reficit puer pharetris;
Quo se Heliconiades ferunt puellae,
Cui numquam minus est amoena frondis,
Cui semper redolent amoena verni,
Cui fons perspicuis tener fluentis
Muscoso riguus parit meatu,
Quo dulcis avium canor resultans.
Quidquid per varias refertur urbes,
Hoc unus famulans locus ministrat.

344.

De tablista furioso quasi tesseris inperante.

Ludit cum multis Vatanas, sed ludere nescit,
  Et putat, inperio currere puncta suo.
Sed male dum numeros contraria tessera mittit,
  Clamat et irato pallidus ore fremit.
Tum verbis manibusque furens miserandus anhelat,
  De solitis faciens praelia vera iocis.

Effundit tabulam, mensam, subsellia, pyrgum,
Perditaque Harpiacis aera rapit manibus.
Hic si forte unam tabulam non arte, sed errans
Vicerit, aut aliam nil bene dante manu,
Mox inflat venas et pallida guttura tendit,
Plusque furit vincens quam superatus erat.
Non iam huic ludum Sapientum calculus aptet,

. . . . . .

345.

De venatore picto, in manibus oculos habente.

Docta manus saevis quoties se praebuit ursis,
Numquam fallentem tela dedere necem.
Hinc etiam digitis oculos pictura locavit,
Quod visum frontis provida dextra tulit.

316.

Aliter, unde supra.

Venatori oculos manibus pictura locavit,
Et geminum egregia lumen ab arte manet.
Hic quocumque modo venabula fulgida pressit,
Signatum veluti contulit excidium.
Naturae lucem vicerunt fortia facta,
Iam visus proprios coepit habere manus.

347.

In aurigam effeminatum, numquam vincentem.

Praecedis vico, nec tamen praecedis,
Et quam debueras tenere partem,
Hac mollis misero teneris usu.
Umquam vincere possis ut quadrigis,
Corruptor tibi sit retro ponendus.

348.

De paranympho delatore, qui se ad hoc officium omnibus ingerebat.

Hermes cunctorum thalamos et vota pererrat,
Omnibus ac sponsis pronubus esse cupit.
Hunc quisquam si forte velit contemnere dives,
Mox eius famam rodit iniqua ferens.

Nec purum obsequium notis famulatur amicis,
Indicet ut potius, quae videt, ille volens.
Non sua sortitur, te qui facit auspice vota,
Sed tua, cui multum conferet, ut taceas.

349.

De funere mulieris formosae, quae litigiosa fuit.

Gorgoneos vultus habuit Catucia coniux.
Haec dum pulchra foret, iurgia saepe dabat,
Fecerat atque suum semper rixando maritum,
Esset ut insano stultius ore tacens.
Et quoties illam trepido cernebat amore,
Haerebat, tamquam vera Medusa foret.
Defuncta est tandem, haec iurgia ferre per umbras,
Cumque ipsa litem reddere Persephone.

350.

De duobus, qui se compedibus, quibus vincti erant, ceciderunt.

Compedibus nexi quidam duo forte sedebant
Criminis ob causam carceris ante fores.
Hi secum subitae moverunt iurgia rixae;
Ebrietatis opus gessit iniqua fames.
Nec caedem pugnis aut calcibus egit uterque:
Vincla illis telum, vincla fuere manus.
Nemo truces posthac debet pavitare catenas,
Si reus e poenis ingerit arma suis.

351.

De causidico turpi, qui concubam suam Charitem vocabat.

Esset causidici si par facundia nervo,
Inpleret cuncti viscera negotii.
At tamen invigilat causis, quae crimina pandunt,
Dum Veneris famulum iure Priapus agit.

352.

In ministrum regis, qui alienas facultates vi extorquebat.

Bella die noctuque suis facit Eutychus armis,
Divitias cunctis e domibus rapiens.

Huic si forte aliquis nolit dare, sive repugnet,
Vim facit, et clamat regis habenda minis.
Quid gravius hostes furaxve latrunculus inplet,
Talia si dominus atque minister agit?

353.

De eodem aliter.

Cum famulis telisque furens penetralia cuncta
Eutychus irrumpit divitiasque rapit.
Hunc nullus vetat ire parens, non forsan amicus,
Deterior precibus redditus ille manet.
Quae sunt ergo manus aut ferrea tela ferenda,
Quisve aries talem, quodve repellat opus?
Huic si nemo potest ullas opponere vires,
Obvia sint illi fulmina sola dei!

354.

In eum, qui, ut senior dici nollet, multas sibi concubas faciebat, et horrebat senex vocari.

Accusas proprios cur longo ex tempore canos,
Cum sis Phoenicis grandior a senio?
Et quoties tardam quaeris celare senectam,
Pellicibus multis te facis esse virum.
Incassum reparare putas hac fraude iuventam.
Harum luxus agit, sis gravis aut senior.

355.

Item ut supra, quod se mori numquam diceret.

Quantum tres Priami potuissent vivere mundo,
Aut quantum cornix atque elephas superest,
Tantam dum numeres longaeva aetate senectam,
Te numquam firmas Tartara posse pati.
Et credis Lachesim numquam tua rumpere fata,
Aeternoque putas stamine fila trahi.
Quamvis tarda, tibi veniet mors ultima tandem,
Cum magis oblitus coeperis esse tui.
Nam poena est potius, morbis producere vitam.
Quod non semper habet, tristius, esse diu, est.

356.

Epitaphion de filia Oageis infantula.

Heu dolor et magnis semper mors invida fatis,
Quae teneros artus inimico sidere mergit!
Demira hoc tumulo regalis clauditur infans,
Cui vita innocua est quarto dirupta sub anno.
Quam facile obfuscant iucundum tristia lumen!
Nemo rosam albentem, fuerit nisi quae bona, carpit.
Haec parvam aetatem cuncta cum laude ferebat,
Grata nimis specie, verecundo garrula vultu,
Naturae ingenio modicos superaverat annos.
Dulce loquebatur, quidquid praesumpserat ore,
Linguaque diversum fundebat mellea murmur,
Tamquam avium vernare solet per tempora cantus.
Huius puram animam stellantis regia coeli
Possidet, et iustis inter videt esse catervis.
At pater Oageis, Libyam dum protegit armis,
Audivit subito defunctam funere natam.
Nuntius hic gravior cunctis fuit hostibus illi,
Ipsaque sub tali flevit Victoria casu.

357.

De aquis calidis Cernensibus.

Ardua montanos inter splendentia lucos
  Culmina et indigenis nunc metuenda feris,
Qua deserta prius solum nemus antra tenebant,
  Tetraque inaccessam fecerat umbra viam —
Qua vos laude canam quantoque in carmine tollam,
  In quibus extructa est atque locata salus?
Hic etiam ignotas stupet ad praetoria fervor
  Plenior et calidas terra ministrat aquas.
Quis sterilem non credat humum? Fumantia vernant
  Pascua, luxuriat gramine cocta silex.
Innocuos fotus membris parit intima tellus,
  Naturamque pio temperat igne calor,
Et cum sic rigidae cautes fervore liquescant,
  Contemtis audax ignibus herba viret.

358.

De sententiis septem philosophorum.

Solon praecipuus, fertur qui natus Athenis,
Finem prolixae dixit te cernere vitae.
Chilon, quem patria egregium Lacedaemona misit,
Hoc prudenter ait, te ipsum ut cognoscere possis.
De Mityleneis fuerat qui Pittacus oris,
Tu ne quid nimis ut cupias exquirere, dixit.
Thales, ingenio sapiens Milesius acri,
Errorem in terris firmat non coelitus esse.
Inde Prienaea Bias tellure creatus,
Plures esse malos divina voce probavit.
Urbe Periandrus genitus, cui fama, Corintho, est,
Omnia constituas tecum, ut meditando revolvas.
Cleobulus, proprium clamat quem Lydia civem,
Omne, inquit, magnum est, quod mensura optima librat.

359.

De Ianuario mense.

Lucifer annorum et seclis sol nate secundis

. . . . . .

Tu rota certa tui tecum sine fine laboris,
 Itque reditque tibi, quidquid in orbe venit.
Omnia perpetuis praecedis frontibus ora;
 Quae necdum venient, quaeque fuere, vides.

360.

De Olympio, venatore Aegyptio.

Grata voluptatis species et causa favoris,
Fortior innumeris venator, Olympie, palmis,
Tu vero nomen membrorum robore signas;
Alcides collo, scapulis, cervice, lacertis
Admirande, audax, velox, animose, parate;
Nil tibi forma nocet, nigro fucata colore.
Sic ebenum pretiosa sibi natura creavit,
Purpura sic magno depressa in murice fulget,
Sic nigrae violae per mollia gramina vernant,
Sic taetras quaedam commendat gratia gemmas,

Sic placet obscuros elephans inmanis in artus,
Sic turis piperisque Indi nigredo placescit.
Postremum tanto populi pulchrescis amore;
Foedior est quantum pulcher sine viribus alter.

361.

Epitaphium eiusdem Olympii.

Venator iucunde nimis atque artiferarum
Saepe placens, agilis, gratus, fortissimus, audax,
Qui puer, ad iuvenes dum non adiunxeris annos,
Omnia maturo complebas facta labore;
Qui, licet ex propria populis bene laude placeres,
Praestabas aliis, ut tecum vincere possent;
Tantaque mirandae fuerant tibi praemia formae,
Ut te post fatum timeant laudentque sodales.
Heu! nunc tam subito mortis livore peremptum
Iste capit tumulus, quem non Carthaginis arces
Amphitheatrali potuerunt ferre triumpho.
Sed nihil ad Manes hoc funere perdis acerbo:
Vivit fama tui post te longaeva decoris
Atque tuum nomen semper Carthago loquetur.

362.

De Chimaera aenea.

Aeris fulgiduli nitens metallo,
Ignes pertulit, ante quos movebat,
Et facta est melior Chimaera flammis.

363.

De statua Veneris, in cuius capite violae sunt natae.

Cypris, candidulo reddita marmore,
Veram se exanimis corpore praebuit,
Infudit propriis membra coloribus,
Per florem in statuam viveret ut suam.
Nec mendax locus est, qui violas ferat,
Servabit famulas inguinibus rosas.

364.

In caecum, qui pulchras mulieres tactu noscebat.

Lucis egenus, viduae frontis,
Iter amittens, caecus amator

Corpora tactu mollia palpat
Et muliebres iudicat artus,
Nivei cui sit forma decoris:
Credo, quod ille nolit habere
Oculos, per quos cernere posset,
Cui dedit plures docta libido.

365.

In philosophum hirsutum, nocte tantum cum puellis concumbentem.

Hispidus tota facie atque membris,
Crine non tonso, capitis verendi,
Omnibus clares Stoicus magister.
Te viris tantum simulas modestum;
Nec die quaeris coitum patrare,
Ne capi possis, lateasque semper,
Fervidus sed cum petulante lumbo
Nocte formosas subigis puellas.
Incubus fies subito per actus,
Qui Cato dudum fueras per artes!

366.

De catula sua brevissima, ad domini sui nutum currente.

Forma meae catulae brevis est, sed amabilis inde,
  Hanc totam ut possit concava ferre manus.
Ad domini vocem famulans et garrula currit,
  Humanis tamquam motibus exiliens.
Nec monstrosum aliquid membris gerit illa decoris,
  Omnibus exiguo corpore visa placet.
Mollior huic cibus est somnusque in stramine molli,
  Muribus infensa est, saevior atque catis.
Vincit membra imis latratu fortia turba:
  Si natura daret, posset ab arte loqui.

367.

De pardis mansuetis, qui cum canibus venationem faciebant.

Cessit Lyaei sacra fama nominis,
Lynces ab oris qui subegit Indicis;

Curru paventes duxit ille bestias,
Mero gravatas, agminari nescias,
Et quas domarent vincla coetu garrulo.
Sed mira nostri forma constat seculi,
Pardos feroces, saeviores tigribus,
Praedam sagaci nare mites quaerere
Canum inter agmen, et famem doctos pati,
Quidquid capessunt, ore ferre baiulo.
O quod magister terror est mortalium,
Diros ferarum qui retundit impetus,
Morsu repertos ut cibos non adpetant.

368.

In psaltriam foedam.

Cum saltas misero garrula corpore,
Nec cuiquam libido est, horrida, quod facis;
Insanam potius te probo psaltriam,
Quae foedam faciem motibus ingravas.
Et, dum displiceas, quosque feras iocos,
Credis, quod populum cymbala mulceant.
Nemo iudicium tale animi gerit,
Pro te non etiam gaudia deserant.

369.

Item de eadem, quae, ut amaretur, praemia promittebat.

Quid facis, ut pretium poscendo, garrula, ameris?
Te pretium, ne te oderis ipsa simul.
Praemia cur perdis, cur spondes munera tantis?
Accipe tu pretium, ne mihi dona feras.
Non est tam petulans pariterque insanus amator,
Qui te non credat prodigiale malum.
Sed si forte aliquis moechus surrexit ab umbris,
Cui talis placeas, huic tua dona dato.

370.

In ebriosam satis meientem.

Quod bibis et totum demittis ab inguine Bacchum
Pars tibi superior debuit esse femur.

Potaris recto poteris, Fullonia, Baccho,
Si parte horridius inferiore bibas.

371.

In mulierem pulchram castitati studentem.

Pulchrior et nivei cum sit tibi forma coloris,
Cuncta pudicitiae iura tenere cupis.
Mirandum est, quali naturam laude gubernes,
Moribus ut Pallas, corpore Cypris eas.
Te neque coniugii libet excepisse levamen,
Saepius exoptas nolle videre mares.
Haec tamen est animo quamvis exosa voluptas:
Numquid non mulier, cum paris, esse potes?

372.

De eo, qui, cum Burdo diceretur, filiae suae Pasiphaae nomen imposuit.

Disciplinarum esse hominem risusque capacem,
Quod nulli est pecudi, dixit Aristoteles.
Sed cum Burdo homo sit, versum est sophismate verum;
Nam et ridere solet vel ratione viget.
Surrexit duplex nostro sub tempore monstrum,
Quod pater est Burdo, Pasiphaëque redit.

373.

De laude rosae centumfoliae.

Hanc puto de proprio tinxit sol aureus ortu,
Aut unum ex radiis maluit esse suis.
Sed si etiam centum foliis rosa Cypridis extat,
Fluxit in hac omni sanguine tota Venus.
Haec florum sidus, haec Lucifer almus in agris,
Huic odor et color est, dignus honore poli.

374.

De statua Hectoris in Ilio, quae videt Achillem et sudat.

Ilion in medium Pario de marmore facti
Stant contra Phrygius Hector vel Graius Achilles.
Priamidis statuam sed verus sudor inundat,
Et falsum fictus Hector formidat Achillem.

Nescio quid mirum gesserunt Tartara seclo:
Credo quod aut superis animas post funera reddunt,
Aut ars mira potest legem mutare barathri.
Sed si horum nihil est, certus stat marmoris Hector,
Testaturque suam viva formidine mortem.

375.

De muliere Marina vocabulo.

Quidam concubitu futuit fervente Marinam,
Fluctibus in salsis fecit adulterium.
Non hic culpandus, potius sed laude ferendus,
Qui memor est Veneris, quod mare nata foret.

376.

De horto domini Oageis, ubi omnes herbae medicinales plantatae sunt.

Constructas inter moles parietibus altis
Hortus amoenus inest, aptior et domino.
Hic variae frondes vitali semine crescunt,
In quibus est genio praemedicante salus.
Nil Phoebi Asclepique tenet doctrina parandum,
Omnibus hinc morbis cura sequenda placet.
Iam puto, quod coelicola est, ubi numina regnant,
Cum datur his herbis vincere mortis onus.

377.

De pica, quae humanas voces imitabatur.

Pica hominum voces, cuncta atque animalia monstrat,
Et docto ternum perstrepit ore melos.
Nunc nunc oblita est, quidnam prius esset in orbe.
Aut haec Picus erat, aut homo rursus inest.

378.

De rustica in disco facta, quae spinam tollit de planta satyrii.

Cauta nimis spinam satyri pede rustica tollit,
Luminibus certis vulneris alta notans.
Illam pandorii solatur voce Cupido,
Inridens parili teste carere virum.
Nil falsum credas artem lusisse figuris:
Viva minus speciem reddere membra solent.

379.

De colocasia herba in tecto populante.

Nilus quod riguis parit fluentis,
Extendens colocasia eorum
Ramos, per spatium vires amoenum.
Haec nostris laribus creata frondet,
Naturam famulans opaca vertit,
Plus tecto ut vigeat, solet quam horto.

380.

De eo, qui podium amphitheatri saliebat.

Amphitheatralem podium transcendere saltu
Velocem audivi iuvenem, nec credere quivi
Hunc hominem, potius sed avem, si talia gerat.
Sed posui huic, fateor, me Dorica vina daturum,
Conspicere ut possim tanti nova facta laboris.
Adspexi victusque dedi promissa petenti,
Atque meo gravior levis extitit ille periclo.
Non iam mirabar, sumtis te, Daedale, pennis
Isse per aetherios natura errante meatus.
Hunc magis obstupui, coram qui plebe videnti
Corpore, non pennis fastigia summa volavit.

381.

De Diogene picto, cui lascivienti meretrix barbam vellebat et Cupido mingebat in podice eius.

Diogenem meretrix derisum Laida monstrat,
  Barbatamque comam frangit amica Venus,
Nec virtus animi nec castae semita vitae
  Philosophum revocat turpiter esse virum.
Hoc agit infelix, alios quod saepe vocavit,
  Quodque nimis miserum est, mingitur artis opus.

382.

Epithalamium Fridi a Luxorio V. C. spectabili dictum. Cento Virgilianus.

Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustrat,
Extulit os sacrum coelo tenebrasque resolvit.
Laetitia ludisque viae plausuque fremebant.

At Venus, aetherios inter dea candida nimbos,
Aurea subnectens exertae cingula mammae,
Dona ferens pacem aeternam pactosque hymenaeos
Atque omnem ornatum, Capitolia celsa tenebat,
Punica regna videns, Teucros et Agenoris urbem.
Hinc atque hinc glomerantur Oreades et bona Iuno,
Incedunt pariter pariterque ad limina tendunt.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Quo sacrae sedes epulis, atque ordine longo
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Una omnis magna iuvenum stipante caterva
Deveniunt faciemque deae vestemque reponunt.
Dant signum, fulsere ignes et conscius aether
Connubii mediisque parant convivia mensis.
Fit strepitus tectis vocemque per ampla volutant
Atria, ubi adsuetis biforem dat tibia cantum.
At tuba terribilem sonitum procul aere canoro
Increpuit mollitque animos et temperat iras.
It clamor coelo, cithara crinitus Iöpas
Obloquitur numeris septem discrimina vocum
Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.
Nec non et Tyrii per limina nova frequentes
Convenere, thoris iussi discumbere pictis.
Tunc Venus aligerum dictis adfatur Amorem:
Nate, meae vires, mea magna potentia solus,
Huc geminas nunc flecte acies, illam adspice contra,
Quae vocat, insignis facie viridique iuventa,
Iam matura viro, iam plenis nubilis annis,
Cui genus a proavis ingens, clarumque paternae
Nomen inest virtutis, et nota maior imago.
Hoc opus, hic labor est, thalamos ne desere pactos.
Credo equidem, nova mi facies inopinave surgit.
Nonne vides, quantum egregio decus enitet ore?
Os humerosque deo similis, cui lactea colla
Auro innectuntur, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem,
Qualis gemma micat, qualis Nereïa Doto
Et Galatea secant spumantem pectore pontum,

Cura mihi comitumque foret nunc una mearum.
Namque ego nunc ignara huius, quodcumque pericli est,
Cum tacet omnis ager, noctem non amplius unam,
Connubio iungam stabili propriamque dicabo.
Hic Hymenaeus erit monumentum et pignus amoris.
Incipe, si qua animo est virtus, et consere dextram,
Occultum inspires ignem, paribusque rogamus
Auspiciis liceat Frido servare marito,
Cui natam egregio genero dignisque hymenaeis
Dat pater et pacem hanc aeterno foedere iungit.
Paret Amor dictis carae genetricis et alas
Exuit et gressu gaudens sic ore locutus:
Mecum erit iste labor, si quid mea numina possunt.
Cum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
Inmiscentque manus manibus pugnamque lacessunt,
Nusquam abero, solitam flammam (datur hora quieti)
Desuper infundam, et tua si mihi certa voluntas,
Omnia praecepi atque animo mecum ante peregi;
Sentiet: atque animum praesenti pignore firmat.
Illa autem, neque enim fuga iam super ulla pericli est,
Cogitur et supplex animos submittere amori,
Spemque dedit dubiam menti solvitque pudorem.
Illum turbat amor, ramum, qui veste latebat,
Eripit a femine et flagranti fervidus infert.
It cruor inque humeros cervix collapsa recumbit.
His demum exactis geminam dabit Ilia prolem,
Laeta deum partu, centum complexa nepotes.

383.

Luxorii

de balneo Hildrici regis.

Hildrici regis fulget mirabile factum
Arte, opere, ingenio, divitiis, pretio.
Hinc radios sol ipse capit, quos huic dare possit,
Altera marmoribus creditur esse dies.
Hic sine nube solum, nix iuncta et sparsa putatur:
Dum steteris, credas mergere posse pedes.

384.

Versus balneorum.

In parvo magnas fecit manus ardua Baias,
Culmina distendit niveis suspensa columnis,
Curvavit cameris vario pro schemate conchas,
Marmora resplendent solida compage decora,
Unitum mentita decus sarsura magistri.
Murmure raucisono fornacibus aestuat ardor,
In flammis dominantur aquae, furit ignis amoenus.
Stat tutus lautor multo circumdatus igne
Innocuas inter flammas (mirabile dictu!),
Ignibus ut possit fervores vincere solis.
Inde petit latices glaciali fonte fluentes:
Hinc calor, inde nives reparant per membra salutem.
Discurrunt Nymphae, piscinas flumina complent,
Vitrea crispatur labris refluentibus unda.
Haec tibi sunt monumenta, tibi natisque manebunt,
Et decorata manent claros per saecla nepotes.
Tu tamen excelsus per tempora longa fruaris!

385.

Eucheriae poetriae.

Aurea concordi quae fulgent fila metallo
  Setarum cumulis consociare volo.
Sericeum tegmen, gemmantia texta Laconum
  Pellibus hircinis aequiparanda loquar.
Nobilis horribili iungatur purpura burrae,
  Nectatur plumbo fulgida gemma gravi.
Sit captiva sui nunc margarita nitoris
  Et clausa obscuro fulgeat in chalybe.
Leuconico pariter claudatur in aere smaragdus,
  Compar silicibus nunc hiacinthus eat.
Rupibus atque molis similis dicatur ïaspis,
  Eligat infernum iam modo luna chaos.
Nunc etiam urticis mandemus lilia iungi
  Purpureamque rosam dira cicuta premat.
Nunc simul optemus dispectis piscibus ergo
  Delicias magni nullificare freti.

Auratam crassantus amet, saxatilis anguem,
Limacem pariter nunc sibi tructa petat,
Altaque iungatur vili cum vulpe leaena,
Perspicuam lyncem simius accipiat.
Iungatur nunc cerva asino, nunc tigris onagro,
Iungatur fesso concita dama bovi.
Nectareum vitient nunc lasera tetra rosatum,
Mellaque cum fellis sint modo mixta malis,
Gemmantem sociemus aquam luteumque barathrum,
Stercoribus mixtis fons eat inriguus.
Praepes funereo cum vulture ludat hirundo,
Cum bubone gravi nunc philomela sonet.
Tristis perspicua sit cum perdice cavannus,
Iunctaque cum corvo pulchra columba cubet.
Haec monstra incestis mutent sibi tempora fatis:
Rusticus et servus sic petat Eucheriam.

386.

Eugenii

de inventione litterarum.

Möyses primus Hebraeas exaravit litteras.
Abraham Syras et idem repperit Chaldaïcas.
Isis arte non minore protulit Aegyptias.
Mente Phoenices sagaci condiderunt Atticas.
Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata.
Gulfila promsit Getarum, quas videmus, ultimas.

387.

Eugenii

de ambigenis.

Hae sunt ambigenae, quae nuptu dispare constant.
Burdonem sonipes generat commixtus asellae.
Mulus ab Arcadicis et equina matre creatus.
Tityrus ex ovibus oritur hircoque parente.
Musimonem capra ex vervegno semine gignit,
Apris atque sue setosus nascitur ibris.
At lupus et catulae formant coeundo lyciscam.

388.

Sisebuti regis

carmen de eclipsibus Solis et Lunae.

Tu forte in luco lentus vaga carmina gignis,
Argutosque inter latices et musica flabra
Pierio liquidam perfundis nectare mentem:
At nos congeries obnubit turbida rerum,
Ferrataeque premunt milleno milite curae.
Legicrepi tundunt, latrant fora, classica turbant,
Et trans Oceanum vehimur, portusque nivosos
Cum teneat Vasco, nec parcat Cantaber horrens.
En quibus indicas, ut crinem frondea Phoebi
Succingant, hederaeve comas augustius umbrent.
En quos flammantem iubeas volitare per aethram.
Quin mage pernices aquilas vis pigra elephantum
Praecurret volucremque pigens testudo molossum,
Quam nos rorifluam sectemur carmine lunam.
Sed tamen, incurvus, per pondera terrea nitens,
Dicam, cur fesso livescat circulus orbe,
Purpureumque iubar nivei cur tabeat oris.
Non illam, ut populi credunt, nigrantibus antris
Infernas ululans mulier praedira sub umbras
Detrahit altivago e speculo, nec carmine victa
Vel rore Stygias saniem despumat in herbas,
Vincibilemque petit clangorem (quippe per aethram,
Qua citimus limes dispescit turbida puris,
Inviolata meat), sed, vasto corpore tellus,
Quae medium tenet ima polum, dum lumina fratris
Detinet umbriferis metis, tum sidere casso
Pallescit, teres umbra rotae dum transeat axem
Aggerei velox tumuli, speculoque rotanti
Fraternas reparet per coelum libera flammas.
Sed quia mira putas, cur, cum vis maxima solis
Bis novies maior clueat quam terreus orbis,
Non circumcingat terrestres lumine metas,
Sume ratum rationis opus. Namque adspice Phoebum,
Quam sublimis eat convexa per aurea mundi,
Quamque humilem terram collustret curribus altis.

Hic ingens utcumque libet vel desuper ignes
Sparserit, obliquo vel cum radiaverit axe,
In terram radii franguntur. Cetera solis
Lumina, qua maior iaculis radiantibus exit,
Nil obstante globo tendunt per inania vasta,
Donec Pyramidis peragat victa umbra cacumen.
Per quam cum Phoebe gelidos agit uda iugales,
Infima vicinis nonnumquam decolor umbris
Fratre caret, vacuoque exanguis deficit ore.
Cur autem sola spolietur lumine luna,
Nil vero mirum est, quippe illam lucis egentem
Lux aliena fovet, quam cum pars proxima metae
Invidet, expectat radios male caerula fratris.
At chorus astrorum reliquus non tangitur umbris,
Et proprium cunctis iubar est, nec sole rubescunt.
Sed sudum semper mittunt a corpore solem
Porro ultra solem rapitur cum vertice coeli.
Iam cur semenstri non semper palleat orbe,
Inflexi praestant obliquo tramite cursus.
Namque vagans errore rato cum devia tortos
Colligit anfractus, metam sol eminus exit,
Intorquetque peplum noctis radiatque sororem.
Haec eadem ratio est, subitis cur frangitur umbris
Augusti solis rutilum iubar, indiga lucis
Quando inter terram et solem rota corporis almae
Luna meat, fratrem rectis obiectibus arcens.

389.

Bedae

compositio horologii.

Quos cursus solis iungant sua tempora menses,
Carmine nunc, lector, paucis, adverte, docebo.
Ianua nunc anni est Ianus finisque December:
Hos menses paribus solis rotat orbita punctis.
Quae volvit Februum, undecimum regit ipsa Novembrem.
Martius Octobrem spatio connectit eodem.
Tum, Septembre, tibi in sphaeram concurrit Aprilis.
Augustum Maius centro prospectat ab ipso.

Iunia Quintilem scandens trahit orbita mensem.
Quas oras sibi coniungant in fronte, videto,
Lector, et in cunctis aequo observare memento.
Mense omni prima undecimae coniungitur horae:
Hinc umbris decimam nectit cursuque secunda.
Tertia mox nonam punctis complectitur isdem.
Octavae pariter praecedens quarta cohaeret.
Quintam subsequitur numero post septima iusto.
Sola suas tantum mensuras sexta retentat.
Omnibus has, lector, coniungens mensibus horas,
Quos superant spatio umbrarum cedantve, videto.
Hoc tamen in primis noscens retineto, quod orbis
Diversae partes varias forment quoque metas.
Nam quae vicino torrentur sole sub Austrum,
Ut mage luce nitent, minimas sic gignere possunt
Umbras. Quae Boreae frigentque iacentque sub axe,
Nocte magis longa tenebrisque premuntur opacis.
Quae mediis ab utroque absistunt partibus axe,
Inter utrumque etiam lucem moderantur et umbras.
Ergo age, si subiecta legentem pagina, lector,
Te movet, hanc illa regione probabis ab ipso
Danubio, Hesperiae primos qua vergit ad ortus,
Lugdunique urbe et Rhodani distincta fluentis
Respicit Oceani interfusos orbe Britannos.
Hoc quoque te iuste horarum mensura monebit,
Umbrarum motus primis ne forte Kalendis
Ponere et ad finem velis perducere mensis.
Nam pridie umbrarum fuerit quae meta priorum,
Sub noctem nequit in vanos transire recursus,
A medio in medium sensim sed crescere mensem
Deminuive umbras vera ratione docemur,
A medio in medium signorum ut volvitur ortus.
Horarum iam nunc texemus in ordine metas,
Linea, quae Iani prima est pariterque Decembris,
Tricenis pedibus binisque exporrigit umbram,
Undenisque sequens pedibus. Mox umbra recisis
Tantum bis denis unoque extenta patescit.
Umbris ipsa decem figit simul atque novenos.

Rursus et hinc geminis sole excrescente fugatis,
Septem quarta pedes retinet mensura decemque.
Hac etiam binis umbra fugiente recisis
Ter quinis quintam pedibus sua linea tendit,
Centrum tuncque brevem iam sole regente duobus,
Abscisis ternos denos sibi sexta retentat.
Cedendi hunc morem numeri servabis ubique.
Qui Februum mensura tenet sociatque Novembrem
Ter denis pedibus supremas colligit umbras.
Moxque novem constant pedibus denisque sequentes,
Linea tum septem atque decem sibi tertia tendit.
Quarta pedes pariter ter quinos colligit umbra.
Hinc pedibus ternis ac denis quinta patescit,
Scandentemque rotam undenis mox sexta coercet.
Cursibus Octobrem sibimet quìs Martius aequat,
Octo pedes prima et bis denos linea figit.
Denos et septem complet statuitque secunda,
Tertia quindenis Phoebo ascendente tenetur,
Quarta decem excedens pedibus fugit agnita ternis;
Mox etiam quinta undenis spatiata recedit,
Sexta novem pedibus pandit sua lumina. Deinde
Quae tibi, September, florentem nectit Aprilem,
Bis denis umbra et senis docet orbita primam
In pedibus sub quindenis fugitque secundam.
Ternis ac denis cursum quoque tertia frenat.
Undenis crescens pedibus tum quarta recedit,
Quinta novem pedibus cursum clauditque patentem,
Septenisque suos componit sexta meatus.
Augustum et Maium iungit quae linea primum,
Bis denis umbrae pedibus meat usque quaternis,
Cum denis ternos excrescit moxque secunda,
Undenis clarum concludit tertia cursum,
Quarta patet pedibus coelo tepefacta novenis.
Septem quinta tenet propriis finita sub umbris,
Sextaque tum quinis ferventi cessat in orbe.
Horarum sibi Quintilem quìs Iunius aequat,
Bis denis prima in pedibus patet atque duobus,
Undenisque means ostenditur inde secunda,

Tertia moxque pedes explet compresa novenos,
Aestivo septem mox tendit quarta calore,
Quintaque tum pedibus conscendit linea quinis,
Hinc centro torrens ternos sibi sexta retentat.

390.
Bedae
de anno.

Bis sena mensum vertigine volvitur annus,
Septimanis decies quinis simul atque duobus,
Tercentum bisque tricenis quinque diebus.
Qui ternis gaudet divisus stare columnis,
Scilicet Idibus et Nonis simul atque Kalendis.
Nam quadris constat Nonis concurrere menses
Omnes excepto Marte et Maio, sequitur quos
Iulius, Octimber; senis soli hi moderantur:
Septenis patet hos pariterque flagrare Kalendis,
Octonisque simul pares sunt Idibus omnes.
Ianus et Augustus semper mensisque December
Volvuntur denis tantum nonisque Kalendis.
At contra currunt bis nonis rite quaternis
Iulius, Aprilis, September et ipse November.
Sedenis Februus cito solus ab omnibus errat.
Bis senis sic namque rotatur mensibus annus,
Per Nonas, Idus decurrens atque Kalendas.

391.
Bedae
contentio veris et hiemis in laudem cuculi.

Conveniunt subito cuncti de montibus altis
Pastores pecudum vernali luce sub umbra
Arborea, pariter laetas celebrare Camenas.
Adfuit et iuvenis Daphnis seniorque Palaemon,
Omnes hi cuculo laudes cantare parati.
Ver quoque florigero succinctus stemmate venit;
Frigida venit hiems rigidis hirsuta capillis.
His certamen erat cuculi de carmine grande.
Ver prior adlusit ternos modulamine versus:
Opto, meus veniat cuculus, carissimus ales.
Omnibus iste solet fieri gratissimus hospes

In tectis, modulans rutilo bona carmina rostro.
Tum glacialis Hiems respondit voce severa:
Non veniat cuculus, nigris sed dormiat antris.
Iste famem secum semper portare suëscit.

Ver.

Opto, meus veniat cuculus cum germine laeto,
Frigora depellat, Phoebo comes almus in aevum,
Phoebus amat cuculum crescentem luce serena.

Hiems.

Non veniat cuculus, generat quia forte labores,
Praelia congeminat, requiem disiungit amatam,
Omnia disturbat, pelagi terraeque laborant.

Ver.

Quid tu, tarda Hiems, cuculo convicia cantas?
Qui torpore gravis, tenebrosis tectus in antris,
Post epulas Veneris, post stulti pocula Bacchi.

Hiems.

Sunt mihi divitiae, sunt et convivia laeta,
Est requies dulcis, calidus est ignis in aede.
Haec cuculus nescit, sed perfidus ille laborat.

Ver.

Ore refert flores cuculus, et mella ministrat,
Aedificatque domos, placidas et navigat undas,
Et generat soboles, laetos et vestiet agros.

Hiems.

Haec inimica mihi sunt, quae tibi laeta videntur.
Sed placet optatas gazas numerare per arcas,
Et gaudere cibis simul et requiescere semper.

Ver.

Quis tibi, tarda Hiems, semper dormire parata,
Divitias cumulat, gazas vel congregat ullas,
Si ver aut aestas ante tibi nulla laborat?

Hiems.

Vera refers: illi, quoniam mihi multa laborant,
Sunt etiam servi nostra ditione subacti,
Iam mihi servantes domino, quaecumque laborant.

Ver.

Non illis dominus, sed pauper inopsque superbis,
Nec te iam poteris per te tu pascere tantum,
Ni tibi, qui veniet, cuculus alimonia praestet.
Tum respondit ovans sublimi e sede Palaemon,
Et Daphnis pariter, pastorum et turba piorum:
Desine plura, Hiems, rerum tu prodigus, atrox:
Et veniat cuculus, pastorum dulcis amicus.
Collibus in nostris erumpant germina laeta,
Pascua sint pecori, requies et dulcis in arvis,
Et virides rami praestent umbracula fessis,
Uberibus plenis veniantque ad mulctra capellae,
Et volucres varia Phoebum sub voce salutent.
Quapropter citius cuculus nunc ecce venito,
Tu iam dulcis amor, cunctis gratissimus hospes,
Omnia te expectant, pelagus tellusque polusque.
Salve, dulce decus, cuculus, per secula salve!

392.

Iulii Sperati

elegia de Philomela.

Sum noctis socia, sum cantus dulcis amica:
  Nomen ab ambiguo sic philomela gero.
Traducit philomela insomnem carmine noctem,
  Nos dormire facit, se vigilare docet.
Dic, philomela, velis cur noctem vincere cantu?
  Ovis ne noceat vis inimica meis.
Dic age, num cantu poteris depellere pestem?
  Ut possim aut nequeam, me vigilare iuvat.
Vox, philomela, tua cantus ediscere cogit,
  Inde tui laudem rustica lingua canit.
Vox, philomela, tua citharas in carmine vincit,
  Et superat miris musica flabra modis.
Vox, philomela, tua curarum semina pellit,
  Et recreat blandis anxia corda sonis.
Florea rura colis, herboso cespite gaudes,
  Frondibus arboreis pignora multa foves.
Cantibus ecce tuis recrepant arbusta canoris,

Consonat ipsa suis frondea silva comis.
Iudice me cycnus et garrula cedat hirundo,
Cedat et illustri psittacus ore tibi.
Nulla tuos umquam cantus imitabitur ales:
Murmure namque tuo dulcia mella fluunt.
Dic ergo tremulos lingua vibrante susurros,
Et suavi liquidum gutture pange melos.
Porrige dulcisonas adtentis auribus escas.
Nolo tacere velis, nolo tacere velis!

393.

Theodulfi

De milite, qui perditum equum ingenio reperit.

Saepe dat ingenium, quod vis conferre negabat,
Compos et arte est, qui viribus inpos erat.
Ereptum furto castrensi in turbine quidam
Accipe, qua miles arte recepit equum.
Orbus equo fit praeco cietque ad compita voce:
Quisquis habet nostrum, reddere certet equum;
Sin alias, tanta faciam ratione coactus,
Quod noster Roma fecit in urbe parens.
Res movet haec omnes et equum fur sivit abire,
Dum sua vel populi damna pavenda timet.
Hunc herus ut reperit, gaudet potiturque reperto,
Gratanturque illi, queis metus ante fuit.
Inde rogant, quid equo fuerat acturus ademto,
Vel quid in urbe suus egerit ante pater.
Sellam, ait, adiunctis collo revehendo lupatis,
Sarcinulisque aliis ibat onustus inops;
Nil, quod pungat, habens, calcaria calce reportans,
Olim eques, inde redit ad sua tecta pedes.
Hunc imitatus ego fecissem talia tristis,
Ni foret iste mihi, crede, repertus equus.

394.

Gerberti

in Boethium.

Roma potens dum iura suo declarat in orbe,
Tu, pater et patriae lumen, Severine Boëthi,
Consulis officio rerum disponis habenas,

Infundis lumen studiis et cedere nescis
Graecorum ingeniis. Sed mens divina coercet
Imperium mundi. Gladio bacchante Gothorum
Libertas Romana perit: tu consul et exul
Insignes titulos praeclara morte relinquis.
Nunc decus imperii summa qui prorogat arte,
Tertius Otto sua dignum te iudicat aula
Aeternumque tui statuit monumenta laboris,
Et bene promeritum meritis exornat honestis.

395.

Hildeberti

de urbis Romae ruina.

Par tibi, Roma, nihil, cum sis prope tota ruina.
Quam magni fueris integra, fracta doces.
Longa tuos fastus aetas destruxit et arces,
Caesaris et Superûm templa palude iacent.
Ille labor, labor ille ruit, quem dirus Araxes
Et stantem tremuit, et cecidisse dolet;
Quem gladii regum, quem provida iura senatus,
Quem Superi rerum constituere caput;
Quem magis optavit cum crimine solus habere
Caesar, quam socius et pius esse socer;
Qui, crescens studiis tribus, hostes, crimen, amicos
Vi domuit, secuit legibus, emit ope.
In quem, dum fieret, vigilavit cura Deorum:
Iuvit opus pietas hospitis, unda locum.
Materiem, fabros, expensas axis uterque
Misit, se muris obtulit ipse locus.
Expendere duces thesauros, fata favorem,
Artifices studium, totus et orbis opem.
Proh dolor! urbs cecidit, cuius dum specto ruinas,
Penso statum, solitus dicere, Roma fuit.
Urbs cecidit, de qua si dignum dicere quidquam
Moliar, hoc potero dicere, Roma fuit.
Non tamen annorum series, non flamma, nec ensis
Aeternum potuere hoc abolere decus.
Cura hominum potuit tantam componere Romam,

Quantam non potuit solvere cura deûm.
Confer opes marmorque novum Superûmque favorem,
Artificum vigilent in nova facta manus:
Non tamen aut fieri par stanti machina muro,
Aut instaurari sola ruina potest.
Tantum restat adhuc, tantum ruit, ut neque stans pars
Aequari possit, diruta nec refici.
Hic Superûm formas Superi mirantur et ipsi,
Et cupiunt fictis vultibus esse pares.
Non potuit natura Deos hoc ore creare,
Quo miranda Deûm signa creavit homo.
Vultus adest his numinibus, potiusque coluntur
Artificum studio quam deitate sua.
Urbs felix, si vel dominis urbs illa careret,
Vel dominis esset turpe, carere fide.

396.

Alani

de temperantia.

Ne te gulosae Scylla voraginis
Mergat profunda nocte libidinum,
Praebe palato frena modestiae.
Libes modeste Bacchica pocula,
Frangat Lyaei limpha superbiam,
Vini furorem flumina temperent.
Plebeia, simplex, rara comestio
Carnis superbae murmura conterat:
Lentus Cupido sic aget otia.
Frenentur in te frena cupidinis.
Largire visus pessula ianuis,
Frenans ocellos, ne nimis inprobos
Venenet extra luminis impetus.
Si quos habendi fervor inebriat,
Exire cogant mente pecuniam.
Custos honoris, divitis usibus
Si tempus adsit, si locus exigat,
Surgat sepultae massa pecuniae,
Nummos crumenae funditus evomant.

Ille vel orator vel civis maximus, idem
  Clarus erat factis, clarior eloquio.
Ac, ne quid fortuna viro nocuisse putetur,
  Vivus in aeternum docta per ora volat.

401.

Asclepiadius.

Marcus eram Cicero toto notissimus orbe,
  Cuius reliquias occulit urna brevis.
Dextera me patriae nuper civilis ademit,
  Eripui patriam qui prius exitio.
Si quis in hoc saxo Tulli legis advena nomen,
  Ne dedigneris dicere, Marce vale.

402.

Eusthenius.

Tullius Arpinas ex ordine natus equestri,
  Sed virtute sua consul in urbe fuit.
Quem Catilina malus coniuratique nocentes
  Senserunt vigilem civibus esse suis.
Hunc tamen (o pietas!) tres occidere tyranni;
  At Lamia ille pio supposuit tumulo.

403.

Pompeianus.

Qui tenet eloquii fastigia summa latini,
  Qui consul patriam caedibus eripuit,
Quique trium saevo vitam dedit ense virorum,
  Tullius est, et in hac ipse sepultus humo.
Si brevitas vitae pensatur laude perenni,
  Quam mors eripuit, gloria restituit.

404.

Maximianus.

Tullius hic situs est, venerabile nomen in aevum,
  Clarus honore simul, clarus et ingenio.
Quem scelerata neci crudeliter arma dedere,
  Quod patriae vindex ille fidelis erat,
Sed nihil infanda profecit caede tyrannus.
  Ingenium vivit, corpus inane perit.

405.

Vitalis.

Romani princeps populi, decus ordinis ampli,
Maximus orator, civis et egregius,
Coniuratorum vindex hostisque malorum,
Proscriptus periit a tribus ille viris.
Qui caesus graviter, qui detruncatus acerbe
Hoc Lamiae debet, quod iacet in tumulo.

406.

Vomanus.

Doctrinae antistes, rerum mirabilis auctor,
Tullius, existens nobilis ex humili,
Cui dedit excellens ars oratoria nomen,
Virtute ingenii venit in astra sui.
Sed fortuna nocens miserando funere raptum
Carpsit, et hoc voluit membra iacere solo.

407.

Asmenus.

Eloquio princeps, magnis memorabilis actis,
Tullius indigna caede peremptus obit:
Sed terras omnes inplevit nomine claro,
Ingenium caeso corpore morte caret.
Vivit et ingenti pollet cum laude per orbem,
Cuius in hoc tumulo membra sepulta iacent.

408.

Basilius.

Inclytus hic Cicero est Lamiae pietate sepultus,
Quem fortuna neci tradidit inmeritae,
Maximus eloquio, civis bonus, urbis amator,
Perniciesque malis perfugiumque bonis.
Qui sexaginta conpletis ac tribus annis
Servitio oppressam destituit patriam.

XII. Scholasticorum Poetarum argumenta in Virgilii Aeneidem.

409.

Liber primus.

V o m a n u s.

Aeolus inmittit ventos Iunone precante
Troianosque vagos Libycas expellit in oras.
Solatur Venerem dictis pater ipse dolentem,
Aeneam recipit pulchra Carthagine Dido,
Cui Venus Ascanii sub imagine mittit Amorem.

410.

Liber secundus.

E u f o r b u s.

Cogitur Aeneas bellorum exponere casus
Graiorumque dolos et equum fraudemque Sinonis,
Excisamque urbem Priamique miserrima fata,
Utque patrem inpositum forti cervice per ignes
Extulerit, caramque amiserit ipse Creusam.

411.

Liber tertius.

I u l i a n u s.

Post casum Troiae fabricata classe superstes
Vela dat Aeneas, urbemque in litore Thracum,
Mox aliam pulsus Cretaeis condidit oris.
Cedit et hinc Helenumque videt praeceptaque discit,
Aetneum Cyclopa fugit sepelitque parentem.

412.

Liber quartus.

H i l a s i u s.

Ardet amore gravi Dido, soror Annaque suadet
Nubere. Iunguntur nimbo cogente sub antro.
Incusat precibus patrem contemtus Iarbas.
Navigat Aeneas iussu Iovis: illa, dolore
Inpatiens et amore, necem sibi protinus infert.

413.
Liber quintus.

Palladius.

In Siculas iterum terras fortuna reducit
Aenean, tumuloque patris persolvit honorem.
Tum cogit naves incendere Troadas Iris.
Troes ibi linquunt socios: Venus anxia placat
Neptunum. Somnus Palinurum mergit in undis.

414.
Liber sextus.

Asclepiadius.

Sacratam Phoebo Cumarum fertur in urbem
Rex Phrygius, vatisque petit responsa Sibyllae.
Misenum sepelit, post haec adit infera regna;
Congressusque patri discit genus omne suorum,
Quoque modo casus valeat superare futuros.

415.
Liber septimus.

Eusthenius.

Tandem deveniunt Laurentia Troes in arva,
Et pace accepta laeti nova moenia condunt.
Nocte satam Iuno Furiam evocat: illa Latinos
Inter et Aeneadas bellum serit et ciet arma.
Protinus auxiliis terra instruit Itala Turnum.

416.
Liber octavus.

Pompeianus.

Vidit ut Aeneas summa vi bella parari,
Arcadas Evandrumque senem sibi foedere iungit,
Dardanioque duci sociatur Hetruria tota.
Arma petit genitrix, dat Mulciber, in clipeoque
Res pingit Latias et fortia facta nepotum.

417.
Liber nonus.

Maximianus.

Ad Turnum propere Iunonia mittitur Iris
Instigatque animos. Acies movet ille Phrygasque

Obsidet. In Nymphas versa est Aeneïa classis.
Euryalus Nisusque luunt nece praelia noctis.
Vi Turnus potitur castris: vi pellitur inde.

418.

Liber decimus.

Vitalis.

Placat et uxoris dictis et iurgia natae
Iupiter. Auxiliis instructus Troïus heros
Advenit. Occurrunt Rutuli atque in littore pugnant.
Occidit a Turno Pallas, victorque superbus
Aeneae eripitur. Mezentius interit acer.

419.

Liber undecimus.

Basilius.

Occisis proprium pars utraque reddit honorem.
Supplicibus Calydone satus negat arma Latinis.
Cum Drance alterno iurgat certamine Turnus.
Aeneas equitem praemittit, et obvia virgo
Excipit. Extincta Rutuli dant terga Camilla.

420.

Liber duodecimus.

Asmenus.

Troianis Rutulisque placet coniungere foedus.
Id Rutuli rumpunt. Nato Venus alma medetur
Dictamno, Rutulique luunt periuria victi.
Cogitur Aeneae Dauni concurrere proles.
Pallantea necem misero dant cingula Turno.

XII. Scholasticorum Poetarum epitaphia

P. Virgilii Maronis.

421.

Vitalis.

Prima mihi Musa est sub fagi Tityrus umbra.
  Ad mea navus humum iussa colonus arat,
Praeliaque expertos cecini Troiana Latinos,
  Fertque meos cineres inclyta Parthenope.

422.

Basilius.

Hoc iacet in tumulo vates imitator Homeri,
Qui canit Ausonio carmine primus oves.
Ad cultos hinc transit agros, Aeneidos autem
Non emendatum morte reliquit opus.

423.

Asmenus.

Bucolica Ausonio primus qui carmine feci,
Mox praecepta dedi versibus agricolae.
Idem cum Phrygibus Rutulorum bella peregi.
Hunc mihi defuncto fata dedere locum.

424.

Vomanus.

Tityre, te Latio cecinit mea fistula versu,
Praeceptisque meis rusticus arva colit.
At, ne Musa carens vitiis Aeneidos esset,
Invida me celeri fata tulere nece.

425.

Euphorbus.

Romuleum Sicula qui fingit carmen avena,
Ruricolasque docet, qua ratione serant,
Quique Latinorum memorat fera bella Phrygasque,
Hic cubat, hic meruit perpetuam requiem.

426.

Iulianus.

Qui pastorali peragravit Maenala Musa,
Ruraque et Aeneae concinit arma Maro,
Ille, decem lustris geminos postquam addidit annos,
Concessit fatis et situs hoc tumulo est.

427.

Hilasius.

Haec tibi, Virgilius, domus est aeterna sepulto,
Qui mortis tenebras effugis ingenio.
Maenalium carmen qui profers ore Latino,
Et cultus segetum bellaque saeva ducum.

428.
Palladius.

Primus ego Ausonio pastorum carmina versu
Composui, et quo sint rura colenda modo:
Post, quibus Aeneas Rutulos superaverit armis.
Vatis reliquias haec pia terra fovet.

429.
Asclepiadius.

Sicanius vates silvis, Ascraeus in arvis,
Maeonius bellis ipse poeta fui.
Mantua se vita praeclari iactat alumni,
Parthenope famam morte Maronis habet.

430.
Eusthenius.

Quisquis es, extremi titulum lege carminis, hospes,
Hac ego Virgilius sum tumulatus humo,
Qui pecudum pastus, qui cultus fertilis agri,
Mox Anchisiadae bella ducis cecini.

431.
Pompeianus.

Virgilius mihi nomen erat, quem Mantua felix
Edidit. Hic cineres vatis et ossa iacent.
Cuius in aeternum pastoria fistula vivet,
Rustica mox, eadem Martia Calliope.

432.
Maximianus.

Carmine bucolico nitui, cultoribus agri
Iura dedi, cecini bella Latina simul.
Iamque ad lustra decem Titan accesserat alter,
Cum tibi me rapuit, Mantua, Parthenope.

XII. Scholasticorum Poetarum epitaphia
P. Virgilii Maronis.

433.
Asclepiadius.

Tityron ac segetes cecini Maro et arma virumque.
Mantua me genuit, Parthenope sepelit.

434.

Eusthenius.

Virgilius iacet hic, qui pascua versibus edit
Et ruris cultus et Phrygis arma viri.

435.

Pompeianus.

Qui pecudes, qui rura canit, qui praelia vates,
In Calabris moriens hac requiescit humo.

436.

Maximianus.

Carminibus pecudes et rus et bella canendo
Nomen inextinctum Virgilius merui.

437.

Vitalis.

Mantua mi patria est, nomen Maro: carmina silvae
Ruraque cum bellis, Parthenope tumulus.

438.

Basilius.

Qui silvas et agros et praelia versibus ornat,
Mole sub hac situs est, ecce poeta Maro.

439.

Asmenus.

Pastorum vates ego sum, cui rura ducesque
Carmina sunt. Hic me pressit acerba quies.

440.

Vomanus.

A silvis ad agros, ab agris ad praelia venit
Musa Maroneo nobilis ingenio.

441.

Euphorbus.

Bucolica expressi et ruris praecepta colendi,
Mox cecini pugnas. Mortuus hic habito.

442.

Iulianus.

Hic data Virgilio requies, qui carmine dulci
Et Pana et segetes et fera bella canit.

443.

Hilasius.

Pastores cecini, docui qui cultus in agris,
Praelia descripsi. Contegor hoc tumulo.

444.

Palladius.

Conditus hic ego sum, cuius modo rustica Musa
Per silvas, per rus venit ad arma virum.

XII. Scholasticorum Poetarum carmina de ratione tabulae.

Versus senis verbis et litteris.

445.

Palladius.

Sperne lucrum: versat mentes vesana libido.

446.

Asclepiadius.

Fraude carete graves, ignari cedite doctis.

447.

Eusthenius.

Lusuri nummos animos quoque ponere debent.

448.

Pompeianus.

Irasci victos minime placet, optime frater.

449.

Maximianus.

Ludite securi, quibus aes est semper in arca.

450.

Vitalis.

Si quis habens nummos venies, exibis inanis.

451.

Basilius.

Lusori cupido semper gravis exitus instat.

452.

Asmenus.

Sancta probis pax est: irasci desine victus.

453.

Vomanus.

Nullus ubique potest felici ludere dextra.

454.

Euphorbus.

Irrito Furias: ego sum tribus addita quarta.

455.

Iulianus.

Flecte truces animos, ut vere ludere possis.

456.

Hilasius.

Ponite mature bellum, precor, iraque cesset.

Veterum XII. Poetarum Scholasticorum epigrammata de ortu solis.

457.

Asmenus.

Aurora Oceanum croceo velamine fulgens
 Liquerat, et biiugis vecta rubebat equis.
Luce polum nitida perfudit candidus orbis,
 Et clarum emicuit sole oriente iubar.

458.

Vomanus.

Roscida puniceo Pallantias exit amictu,
 Astrigerum inficiens luce rubente polum.
Sol insigne caput radiorum ardente corona
 Promit, ab aequoreis Tethyos ortus aquis.

459.

Euphorbus.

Extulit Oceano caput aureus igniferum sol,
  Fugerunt toto protinus astra polo.
Concessere deo tenebrae, rebusque colores
  Lux iterum cunctis reddidit alma suos.

460.

Iulianus.

Tithoni coniux roseo sublime rubore
  Infecit coelum lutea sidereum,
Cum sol igniferos currus e gurgite magno
  Sustulit, et claris astra fugavit equis.

461.

Hilasius.

Nox abit, astrifero velamine cincta micanti,
  Et redigit stellas exoriturque dies.
Emicat Oceano Phoebi rota clara relicto,
  Illustratque nitens lumine cuncta suo.

462.

Palladius.

Lutea fulgebat roseis Aurora capillis,
  Et matutino rore madebat humus,
Tethyos undivagae cum prosilit aequore Titan,
  Flammiferos vultus ore micante gerens.

463.

Asclepiadius.

Exoritur Phoebus perfundens luce nitente
  Et maria et terras stelliferumque polum.
Astraque cesserunt fulgentia crinibus aureis,
  Et nox sidereas occulit atra faces.

464.

Eusthenius.

Sol oriens, currusque suos e gurgite tollens
  Oceano claro reddidit orbe diem,
Flammiferumque iubar terraeque poloque reduxit,
  Et pepulit radiis astra repente suis.

465.

Pompeianus.

Memnonis ut genitrix infecerat humida coelum,
Et roseis manibus sidera dispulerat,
Phoebus Atlanteis e fluctibus aureus orbem
Sustulit igniferum, luxque diesque redit.

466.

Maximianus.

Praevia flammiferi currus Aurora rubebat,
Extuleratque alto gurgite Phoebus equos.
Noctivagosque simul radiis flagrantibus ignes
Depulerat coelo reddideratque diem.

467.

Vitalis.

Vix Aurora suo rubefecerat aethera curru
Summaque canebat roribus herba novis,
Prosilit e mediis candens rota Tethyos undis
Et vaga cesserunt sidera solis equis.

468.

Basilius.

Surgit ab Oceano Tithoni fulgida coniux,
Et veste ab rosea subrubet ipse polus,
Cum Phoebus radiis rutilum cingentibus orbem
Depellit tenebras noxque peracta fuit.

XII. Scholasticorum Poetarum

Iris.

469.

Maximianus.

Thaumantis proles varianti veste refulgens,
Multicolor picto per nubila devolat arcu
Iris, et insigni decorat curvamine coelum.

470.

Vitalis.

Cum sol ardentis radios in nubila iecit,
Cumque colorifico nimbos fulgore replevit,
Adparet variis distincta coloribus Iris.

471.
Basilius.

Clara sub aetheriis fulget Thaumantia proles
Nubibus, ut radiis pluvium sol adtigit imbrem,
Et picturato coelum velamine cingit.

472.
Asmenus.

Discolor aetheriis apparet nubibus Iris,
Postquam flammiferi rapuerunt lumina solis,
Et coelum variis miranda coloribus ornat.

473.
Vomanus.

Imbriferas nubes radiis ubi contigerit sol,
Luce sub adversa varios iacit unda colores.
Dicitur haec Iris picto spectabilis arcu.

474.
Euphorbus.

Cum tetigit nubes radiis fulgentibus atras
Phoebus, et adverso lumen resplenduit imbri,
Tunc Iris vario circumdat nubila cinctu.

475.
Iulianus.

Mirifico nubes ambit Thaumantias arcu:
Quas cum ex adverso tetigit rota fulgida solis,
Tum iacit insignes per nubila densa colores.

476.
Hilasius.

Nuntia Iunonis, vario decorata colore,
Aethera nubiferum complectitur orbe decoro,
Cum Phoebus radios in nubem iacit aquosam.

477.
Palladius.

Nubila cum Phoebus perfudit lumine claro,
Tum fit, ut humor aquae suffulgeat, atque colores
Sub varia specie iaciat mirabilis arcus.

478.

Asclepiadius.

Cum radiis imbres et aquarum pendulus humor
Tangitur, existit, quam Graecia nominat, Iris,
Multorum insignis vario splendore colorum.

479.

Eusthenius.

Iris habet varios subiecta luce colores,
Quam sol imbrifera fulgens de nube creavit,
Cum pepulit radiis obstantia nubila claris.

480.

Pompeianus.

Luce repentina cum sol inplevit aquosas
Adversus nubes, effulget protinus Iris,
Picta veste decens et multicoloribus alis.

XII. Scholasticorum Poetarum carmina de signis coelestibus.

481.

Iulianus.

Primus adest Aries Taurusque insignibus auro
Cornibus, et Fratres et Cancer aquatile signum,
Tum Leo terribilis Nemeaeus et innuba virgo.
Libra subit, caudaque animal quod dirigit ictum;
Armatusque arcu Chiron et corniger Hircus,
Fusor aquae simul et fulgenti lumine Pisces.

482.

Hilasius.

Proditor est Helles et proditor Europaeus,
Et Gemini iuvenes et pressus ab Hercule Cancer,
Horrendusque Leo sequitur cum Virgine sancta,
Libraque lance pari et violentus acumine caudae.
Inde sagittiferi facies senis et Capricornus,
Et qui portat aquam puer urniger, et duo Pisces.

483.
Palladius.

Signorum princeps Aries et Taurus et una
Tyndaridae iuvenes et fervida brachia Cancri,
Herculeusque Leo, Nemeae pavor, almaque Virgo.
Libra iugo aequali pendens et Scorpion acer,
Centaurusque senex Chiron et cornua Capri,
Et Iuvenis gestator aquae Piscesque supremi.

484.
Asclepiadius.

Laniger astrorum ductor, Taurusque secundus,
Tum sidus Geminum et Cancri gemmantis imago.
Truxque Leo et Virgo, quae spicea munera gestat,
Et Libram, quam Caesar habet, Chelaeque minaces,
Atque arcu pollens et salsi gurgitis Hircus,
Urnaque nimbiferi Piscesque novissima forma.

485.
Eusthenius.

Dux Aries et frons Tauri metuenda minacis
Et Ledae soboles et Cancri torridus ignis,
Terribilisque Leo, species quoque Virginis almae,
Momentumque sequens caudaque timendus adunca,
Hinc tendens arcum, liquidi Caper aequoris inde,
Troiadesque puer geminique sub aethere Pisces.

486.
Maximianus.

Nubigenae iuvenis vector, Taurique trucis frons,
Et proles duplex Iovis et Nepa torrida flammis.
Aestifer inde Leo iusta cum Virgine fulgens,
Quam sequitur Libra et violenta cuspide saevus.
Semivir Arcitenens subit et Capricornus aquosus,
Et cui nomen aquae faciunt, Piscesque gemelli.

487.
Vitalis.

Corniger in primis Aries et corniger alter
Taurus, item Gemini, sequitur quos Cancer adustus,

Terribilisque ferae species et iusta puella.
Libra simul, nigrumque gerens in acumine virus.
Centaurusque biformis adest, pelagique Capella,
Atque amnem fundens, et Pisces sidus aquosum.

488.

Basilius.

Cornigeri ductor gregis, Europae quoque vector,
Et duo Tyndaridae, tum Cancer sole perustus
Herculeaque manu pressus Leo et optima Virgo.
Hinc Trutinae species venit armatusque veneno
Scorpius atque Sagittifer aequoreique Capri frons,
Quique urnam gerit, et Pisces duo signa sub uno.

489.

Asmenus.

Principium signis ovium sator, inde Iuvencus,
Progenies duplex, et aquarum Cancer alumnus.
Pressa sub Herculeis manibus fera iustaque Virgo.
Libra subest, caudaque ferens letale venenum.
Tum geminus Chiron et Corniger aequoris alti,
Dilectusque Iovi puer, et duo sidera Pisces.

490.

Vomanus.

Dux gregis et placidum pandens subit aethera Taurus,
Germanique pares, et Cancro iam comes aestus,
Atque Leo primus labor Herculis et pia Virgo.
Libra comes sequitur minitans et Scorpius ictu.
Et qui tela gerit Centaurus et aequoris Hircus,
Deucalionis aquae et Pisces postrema figura.

491.

Euphorbus.

Velleris aurati fulget pecus aureaque Io,
Zethus et Amphion Cancrique figura calentis.
Insequitur Leo saevus et almae Virginis astrum.
Hinc aequale iugum caudaque venenifer unca,
Centaurusque minax arcu et Neptunia proles.
Quique refundit aquas et Pisces ultimus ordo.

492.

Pompeianus

Deest.

XII. *Scholasticorum Poetarum*

Descriptio quatuor tempestatum anni

ex themate Ovidiano in lib. II. Met. 27 sqq.

Verque novum stabat cinctum florente corona.
Stabat nuda aestas et spicea serta gerebat.
Stabat et autumnus calcatis sordidus uvis,
Et glacialis hiems canos hirsuta capillos.

493.

Basilius.

Vere sinum tellus aperit floresque ministrat.
Tempore solis ager messes fert pinguis opimas.
Foecundos, autumne, lacus de vitibus inples.
Vis hiemis glacie currentes alligat undas.

494.

Asmenus.

Frigoribus pulsis nitidum ver aethera mulcet.
Scindit agros aestas Phoebeis ignibus ardens.
Autumno dat hiems mistum vicina teporem:
Labentes haec durat aquas et flumina nectit.

495.

Vomanus.

Ver pingit vario gemmantia prata colore.
Ignea vestit agros culmis Cerealibus aestas.
Vitibus autumnus turgentes detrahit uvas.
Frigidus hiberna est gravidus nive nubilus aether.

496.

Euphorbus.

Vere Venus gaudet florentibus aurea sertis.
Flava Ceres aestatis habet sua tempore regna.
Uvifero autumno summa est tibi, Bacche, potestas.
Imperium saevis hiberno frigore ventis.

497.
Iulianus.

Vere gravis fundit tellus cum floribus herbas.
Frugiferas arvis fert aestas torrida messes.
Pomifer autumnus tenero dat palmite fructum.
Mox humus hibernis albescit operta pruinis.

498.
Hilasius.

Vere novis laeta decorantur floribus arva,
Et riget aestivis hirsutus campus aristis.
Labra per autumnum musto spumantia fervent,
Et ponunt frondes hiemali frigore silvae.

499.
Palladius.

Ver placidum vario nectit de flore corollas.
Spicea serta ligat calidissima solibus aestas,
Temporaque autumni cingunt tua, Bacche, racemi.
Tristis hiems montes niveo velamine vestit.

500.
Asclepiadius.

Ver agros nitidum gemmis stellantibus ornat,
Et fervens aestas pinguissima frugibus arva.
Mox autumnali redolet vindemia foetu.
Fronde nemus male nudat hiems amnesque rigescunt.

501.
Eusthenius.

Purpureos flores humus affert vere comanti,
Et Cereris donis horrescunt arva per aestum.
Bacche, tuo tempus fluit autumnale liquore.
Obtegitur tellus per frigora veste nivali.

502.
Pompeianus.

Vere tepet picto Zephyris spirantibus aer.
Decrescunt celeres aestivis ignibus amnes.
Temperies, autumne, fluit tua nectare dulci,
Perque hiemem lentus coelo nivis advolat imber.

503.

Maximianus.

Veris honos tepidi flores, vere omnia rident.
Arva sub aestivis undant horrentia flabris.
Vite coronatas autumnus degravat ulmos.
Decutit ipse rigor silvis hiemalis honorem.

504.

Vitalis.

Flore solum vario depingit odoriferum ver,
Falciferamque deam messes remorantur in aestu.
Dat musto gravidas autumnus pomifer uvas.
Sithonia glacialis hiems nive cana senescit.

XII. Scholasticorum Poetarum amnis glacie concretus.

505.

Pompeianus.

Qua ratis egit iter, iuncto bove plaustra trahuntur,
  Postquam tristis hiems frigore iunxit aquas.

506.

Maximianus.

Sustinet unda rotam, patulae modo pervia puppi,
  Et concreta gelu marmoris instar habet.

507.

Vitalis.

Quas, modo plaustra premunt undas, ratis ante secabat,
  Postquam brumali deriguere gelu.

508.

Basilius.

Unda rotam patitur, celerem modo passa carinam,
  In glaciem solidam versus ut amnis abit.

509.

Asmenus.

Quae solita est ferre unda rates, fit pervia plaustris,
Ut stetit in glaciem marmore versa novo.

510.
Vomanus.

Semita fit plaustro, qua puppis adunca cucurrit,
Postquam frigoribus bruma coegit aquas.

511.
Eusthenius.

Orbita signat iter, modo qua cavus alveus ibat,
Strinxit aquas tenues ut glacialis hiems.

512.
Hilasius.

Amnis, iter plaustro qui dat, dedit ante carinae.
Duruit ut ventis unda, fit apta rotis.

513.
Palladius.

Plaustra boves ducunt, qua remis acta carina est,
Postquam deriguit crassus in amne liquor.

514.
Asclepiadius.

Unda, capax ratium, plaustris iter algida praebet,
Frigoribus saevis ut stetit amnis iners.

515.
Euphorbus.

Plaustra viam carpunt, qua puppes ire solebant,
Frigidus ut Boreas obstupefecit aquas.

516.
Iulianus.

Qua puppes ibant, hac ducunt plaustra iuvenci,
Pigrior ut cano constitit unda gelu.

XII. Scholasticorum Poetarum imago in unda.

517.
Hilasius.

Redditur effigies liquida spectantis in unda,
Qualis in adverso speculorum cernitur orbe.

518.
Pompeianus.
Formas pura refert oculis spectantibus unda,
Obiecto quales speculi fulgore videntur.

519.
Maximianus.
Fontis aquae reddunt simulacra imitantia verum,
Qualia leve refert speculi, cum cernimus, aequor.

520.
Vitalis.
Exprimit oppositas inmobilis unda figuras,
Levati quales speculi nitor ipse remittit.

521.
Basilius.
Adparet mendax illimi fonte figura,
Qualem reiectat speculi nitidissimus orbis.

522.
Asclepiadius.
Unda quieta refert alto de gurgite formas,
Ac veluti speculum nitido splendore coruscat.

523.
Euphorbus.
Forma repercussus liquidarum fingit aquarum,
Qualis purifico speculorum ex orbe relucet.

524.
Vomanus.
Spectantis faciem mundissimus adsimilat fons,
Sicut in opposito speculi solet aequore cerni.

525.
Iulianus.
Fontibus in liquidis simplex geminatur imago,
Ut solet a speculo facies splendente referri.

526.

Palladius.

Effigies liquido respondet ab aequore fontis,
Qualis et a speculo simulatrix umbra resultat.

527.

Eusthenius.

Effingit species purissimus humor aquarum,
Plana velut speculi vivas imitantia formas.

528.

Asmenus.

Fonte repulsatur depicta tuentis imago,
Ceu levi in speculo solet adparere figura.

529.

Hilasii

De imagine Virgilii.

Subduxit morti vivax pictura Maronem,
Et quem Parca tulit, reddit imago virum.

530.

Hilasii

item.

Lucis damna nihil tanto nocuere poetae,
Quem praesentat honos carminis et plutei.

531.

Asmeni

De die natali.

Clarus inoffenso procedat lumine Titan,
Laetificusque dies eat omnibus aethere puro;
Vosque simul iuvenes animis et voce faventes
Concelebrate diem votis felicibus almum,
Prosper ut is semper redeat, vatique quotannis
Asmenidae referant alacres sua munera nati.

532.

Asmeni

versiculi super XII. Aeneidos libros.

Primus habet, Libycam veniunt ut Troes in urbem.
Edocet excidium Troiae cladem que secundus.

Tertius a Troia vectos canit aequore Teucros.
Quartus item miserae duo vulnera narrat Elisae.
Manibus ad tumulum quinto celebrantur honores.
Aeneam memorat visentem Tartara sextus.
In Phrygas Italiam bello iam septimus armat.
Dat simul Aeneae socios octavus et arma.
Daunius expugnat nono nova moenia Troiae.
Exponit decimus Thuscorum in littore pugnas.
Undecimo Rutuli superantur morte Camillae.
Ultimus imponit bello Turni nece finem.

533.

Vomani

de laudibus Hortuli.

Adeste Musae, maximi proles Iovis,
Laudes feracis praedicemus hortuli.
Hortus salubres corpori praebet cibos
Variosque fructus saepe cultori refert,
Olus suäve, multiplex herbae genus,
Uvas nitentes atque fetus arborum.
Non deſit hortis et voluptas maxima
Multisque mixta commodis iucunditas.
Aquae strepentis vitreus lambit liquor,
Sulcoque ductus irrigat rivus sata,
Flores nitescunt discolore germine
Pinguntque terram gemmeis honoribus.
Apes susurro murmurant gratae levi,
Cum summa florum vel novos rores legunt.
Fecunda vitis coniuges ulmos gravat,
Textasve inumbrat pampinis arundines;
Opaca praebent arbores umbracula
Prohibentque densis fervidum solem comis.
Aves canoros garrulae fundunt sonos
Et semper auras cantibus mulcent suis.
Oblectat hortus, avocat, pascit, tenet,
Animoque maesto demit angores graves,
Membris vigorem reddit et visum capit,
Refert labori pleniorem gratiam,
Tribuit colenti multiforme gaudium.

534.

Vomani

de livore.

Livor, tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas
Et totum bibit artubus cruorem.
Quo quisquis furit invidetque forti,
Ut debet, sibi poena semper ipse est.
Testatur gemitu graves dolores,
Suspirat, fremit incutitque dentes,
Sudat frigidus, intuens, quod odit.
Effundit mala lingua virus atrum,
Pallor terribilis genas colorat,
Infelix macies renudat ossa.
Non lux, non cibus est suävis illi,
Nec potus iuvat aut sapor Lyaei,
Nec si pocula Iupiter propinet,
Aut haec porrigat et ministret Hebe,
Aut tradat Catamitus ipse nectar.
Non somnum capit aut quiescit umquam,
Torquet viscera carnifex cruentus.
Vesanos tacite movet furores,
Intentans animo faces Erinnys
Letalis, Tityique vultur intus,
Qui semper lacerat comestque mentem.
Vivit pectore sub dolente vulnus,
Quod Chironia nec manus levarit,
Nec Phoebus sobolesve clara Phoebi.

535.

Vitalis

de libidine et vino.

Nec Veneris nec tu vini capiaris amore:
  Uno namque modo vina Venusque nocent.
Ut Venus enervat vires, sic copia vini,
  Et tentat gressus debilitatque pedes.
Multos caecus amor cogit secreta fateri,
  Arcanum demens detegit ebrietas.

Bellum saepe ciet ferus exitiale Cupido,
Saepe manus itidem Bacchus ad arma movet.
Perdidit horrendo Troiam Venus inproba bello,
Et Lapithas bello perdis, Iacche, gravi.
Denique cum mentes hominum furiavit uterque,
Et pudor et probitas et metus omnis abest.
Compedibus Venerem, vinclis constringe Lyaeum,
Ne te muneribus laedat uterque suis.
Vina sitim sedent, natis Venus alma creandis
Serviat: hos fines transiluisse nocet.

Auctores incertae aetatis.

536.
Regiani
de Baiis.

Ante bonam Venerem gelidae per littora Baiae.
Illa natare lacus cum lampade iussit Amorem.
Dum natat, algentes cecidit scintilla per undas.
Hinc vapor ussit aquas: quicumque natavit, amavit.

537.
Regiani
de thermis.

Quis deus has incendit aquas? quis fontibus ignes
Miscuit et madidas fecit discurrere flammas?
In regnis, Neptune, tuis Vulcanus anhelat.

538.
Regiani
de luco amoeno.

Bellipotens Mavors, Veneri gratissime, furtum
Hic securus ama: locus hic amplexibus aptus.
Vulcanus prohibetur aquis, sol pellitur umbra.

539.
Ponnani
de pictura Cleopatrae morientis.

Picta fuit quondam Pharii regina Canopi,
Artifici formata manu: nam vivere serpens
Creditur, et morsa gaudens dare fata papilla.
O quam vivit opus, quam paene figura dolorem
Sentit, et ex ipso moritur pictura veneno!

540.

Caelii Firmiani Symposii

de fortuna.

O fortuna potens, at nimium levis,
Tantum iuris atrox quae tibi vindicas,
Evertisque bonos, erigis inprobos,
Nec servare potes muneribus fidem.
Fortuna inmeritos auget honoribus,
Fortuna innocuos cladibus adficit,
Iustos illa viros pauperie gravat,
Indignos eadem divitiis beat.
Haec aufert iuvenes ac retinet senes,
Iniusto arbitrio tempora dividens.
Quod dignis adimit, transit ad inpios,
Nec discrimen habet, rectave iudicat
Inconstans, fragilis, perfida, lubrica;
Nec quos clarificat, perpetuo fovet,
Nec quos deseruit, perpetuo premit.

541.

Lindini

de aetate.

Vitam vivere si cupis beatam
Et votis Lachesis dabit senectam,
Annos ludere te decem decebit,
Viginti studiis dabis severis,
Triginta pete litium tribunal,
Quadraginta stilo polita dicas,
Quinquaginta velim diserta scribas,
Sexaginta tuo satis fruaris,
Septuaginta velis venire mortem,
Octoginta senes caveto morbos,
Nonaginta time labante sensu,
Centum nec puer unus adloquatur.

542.

Sulpicii Luperci Servasti iunioris

de vetustate.

Omne, quod natura parens creavit,
Quamlibet firmum videas, labascit

Tempore, ac longo fragile ac caducum
Solvitur usu.
Amnis insueta solet ire valle
Mutat et rectos via certa cursus,
Rupta cum cedit male pertinaci
Ripa fluento.
Decidens scabrum cavat unda tofum,
Ferreus vomis tenuatur agris,
Splendet adtrito digitos honorans
Annulus auro.

543.

Sulpicii Luperci Servasti Iunioris
de cupiditate.

Heu misera in nimios hominum petulantia census!
Caecus inutilium quo ruit ardor opum,
Auri dira fames et non expleta libido
Ferali pretio vendat ut omne nefas?
Sic latebras Eriphyla viri patefecit, ubi aurum
Accepit turpis materiam sceleris.
Sic quondam Acrisiae in gremium per claustra puellae
Corruptore auro fluxit adulterium.
O quam mendose votum insaturabile habendi
Inbuit infami pectora nostra malo!
Quamlibet inmenso dives vigil incubet auro,
Aestuat augendae dira cupido rei.
Heu mala paupertas numquam locupletis avari!
Dum struere inmodice, quod tenet, optat, eget.
Quis metus hic legum quaeve est reverentia veri,
Crescenti nummo si mage cura subest?
Cognatorum animas promptum est patrumque cruorem
Fundier: adfectus vincit avara fames.
Divitis est, semper fragiles male quaerere gazas;
Nulla huic in lucro cura pudoris erit.
Istud templorum damno exitioque requirit;
Hoc coelo iubeas ut petat, inde petet.
Mirum, ni pulchras artes Romana iuventus
Discat et egregio sudet in eloquio,
Ut post iurisonae famosa stipendia linguae

Barbaricae ingeniis anteferantur opes.
Atqui sunt, quos propter honestum rumpere foedus
Audeat illicite pallida avaritia;
Romani sermonis egens ridendaque verba
Frangit ad horrificos turbida lingua sonos.
Sed tamen ex cultu adpetitur spes grata nepotum,
Saltem istud nostri forsan honoris habent.
Ambusti torris species exesaque saeclo
Abduntur priscis corpora de tumulis.
Perplexi crines, frons inproba, tempora pressa,
Extantes malae deficiente gena,
Simataeque iacent pando sinuamine nares,
Territat os nudum caesaque labra tument.
Defossum in ventrem propulso pondere tergum
Frangitur et vacuo crure tument genua.
Discolor in manibus species, ac turpius illud,
Quod cutis obscure pallet in invidiam.

544.
C. Aurelii Romuli
in A. Gellii Noctes Atticas.

Cecropias noctes, doctorum exempla virorum,
Donat habere mihi nobilis Eustochius.
Vivat, et aeternum laetus bona tempora ducat,
Qui sic dilecto tanta docenda dedit.

545.
Tucciani
de amatoriis cantilenis.

Cantica gignit amor, et amorem cantica gignunt.
Cantandum est, ut ametur, et ut cantetur, amandum.

546.
Tucciani.

Pallas tota Iovis patrio de vertice nata
In coelum cecidit . . .

547.
Etemundis.

Mens, ubi amaris, ama: rarum est, agnoscere amicum.
Rarum invenire est. Mens, ubi amaris, ama.

548.

Vincentii Phaedra.

Victe pudor, compone preces, secreta duorum
Tertius ignoret. Sit tantum litera testis,
Inmensum locutura nefas. Metus unicus urget,
Ne speret iuvenis, lacrimas finxisse novercam.
Hinc tamen incipiam. Coeli regnator amavit,
Et thalamos tenet una soror, nec crimine dignum est,
Quod mundus cum lege facit. Telluris alumnus
Unus in orbe fuit; nulla est cognatio plebis.
Venimus ex uno mixti patre, matre, sorore,
Ne metuas facinus; non vult hoc scire Cupido.
Pignus habet tabulas, rea sum semper, rea sola.
Sed si virgineum suffundunt ora ruborem,
Vel negature veni, liceat sperare, rogantem
Et fastus tolerare tuos; sequar ora superbi,
Oscula suspensis defigam singula plantis;
Me cruciet captivus amor, nemus omne resultet
Hippolytum, secumque ferat vox ultima nomen.
Testor amoris onus Venerisque insignia nostrae,
Dum volo, dum nolo, dum vincor, scribo, repugno,
Suspensos collo laqueos rogatura resolvi.

549.

Coronati Viri Clarissimi.

Thema. Incipit locus Virgilianus:
Vivo equidem vitamque extrema per omnia duco.

Aspera diverso laxatur vita dolore,
Et morti vicinus eo, vivitque dolori
Aegra salus, nostras cruciant dum flamina mentes,
Vitae flatus abit. Quantus post Pergama casus!
Vidit enim praeclara manus, quos saepe dolores
Pertulit, atque iterum quas sensit Troia ruinas.
Plus cecidit post fata Phrygum, nunc ipsa cremata est
In natis incensa suis, recidivaque morti
Iuncta est, et caesum meruit miseranda maritum.
Traditur infestis semper nova nupta procellis,
Et flammas habet ipsa suas, taedasque ministrat

Sola sibi, non lucis eget, non ignibus umquam,
De facibus micat ipsa suis, lumenque nigellum
Possidet infelix semper. Quas aequoris iras,
Quas coeli terraeque lues miserabile vulgus
Pertulit errantes saevis Tritonis in undis.
Atque domus mihi pontus erat Phrygiique penates,
Et quasi iam pirata fui, lacrimisque profusis
Inter aquas siccabat homo, nostroque profecto
Fluctibus addebant, fluctus crescebat in astris,
Et mihi naufragium nostri fecere liquores.
Iam mulier sibi nauta fuit, iam virginis astrum
Vidit virgo potens, fortes torquere rudentes,
Et remis aptare manus, curaque vigente
Nocte vigil fuerat; non norat femina somnum,
Sideribus iam docta poli. Labor ipse magistram
Fecerat astrorum, norat venientia fata;
Non ver tranquillum fuerat, non mollior aestas
Sideribus, tempus requiem non denique norat.

550.

Coronati V. C.

De esiciata gallina.

Mortua fit praedo, pullorum turgida membris,
Ex aliis crescit, nec sese repperit in se.

551.

Coronati

De ovata.

Medeam fertur natos Progmemque necasse.
En natis atavisque simul vel caede suorum
Crescit plus moriens. Sumsit de prole tumorem!

552.

Donati

De ovata.

Ovorum copiosa phalanx in ventre tumentis
Conditur et membris crescit gallina repletis.
Mortua concepit, quantum nec viva creavit.

553.

Laeti Aviani

in opus Martiani Capellae de Nuptiis Mercurii.

Qui dubias artes per mystica dicta subibis,
Mercurii doctos volvere disce toros.
Ille brevi ductu scandet sublime cathedram,
Qui lichnos discet, docte Capella, tuos.
Caniciem auctoris auget gravitasque magistri.
Qui discet libris, hinc cito proficiet.

554.

Caesaris

de libris Lucani.

Mantua, da veniam fama sacrata perenni:
Sit fas, Thessaliam post Simoenta legi.

555.

Petri Referendarii.

Qualiter intacta processit Virgine partus,
Utque pati voluit Natus, perquirere noli.
Haec nulli tractare licet, sed credere tantum.

Felices illos, qui te genuere, parentes,
Felicem solem, qui te videt omnibus horis,
Felicem terram, quam tu pede candida calcas.
Felices fasciae cingentes corpus amatae,
Felicesque toros, quis Dulcis nuda recumbis.
Ut visco capiuntur aves, ut retibus apri,
Sic ego nunc Dulcis diro sum captus amore.
Vidi, nec tetigi: video, nec tangere possum.
Totus in igne fui, non sum consumtus, et arsi.
Post mille amplexus, post dulcia savia penem
Confiniis laterum retortum suscipe, posco.
Viribus ut propriis mollem tu reddas, ab alvo
Inque alvum sumtura iterum, quem tempore certo,
Aetas si superet, tertio supplere conabor.
Nec volo plus cupias: nam me si cogis, iniquum est,
Ut tu victorem superes noctesque futurae
Incipiunt demere numerumque spondeo ternum.

556.

Claudii de luna.

Luna decus mundi, magni pars maxima coeli,
Luna iugum Solis, splendor, vas, ignis et humor.
Luna parens mensum, numerus a Sole renascens,
Ast biiugo stellante polo sub Sole gubernas.
Te redeunte dies fraternas colligit horas.
Te pater Oceanus renovato respicit axe.
Te spirant terrae, tu vinclis Tartara cingis.
Tu sistro renovas brumam, tu cymbala quassas.
Iris, Luna, Choris, coelestis Iuno, Cybele,
Alternis tu nomen agis sub mense diebus,
Et rursus renovas alterni lumina mensis.
Tunc minor es, cum plena venis; tunc plena resurgens,
Cum minor es; crescis semper, cum deficis orbe.
Huc ades et nostris precibus dea blandior esto,
Luciferisque iugis concordes siste iucie as,
Et volvat fortuna rotam, quae prospera currunt.

557.

Modesti

Lucretia.

Roma, tibi ambiguum mea mors sine teste dedisset,
  Esset utrum ut corpus, sic scelerata anima.
Proin animam testor scelus haud tetigisse, sed ecce,
  Ut solum foedum est corpus, ita id fodio,
Quo cruor inflictam labem lavet, et per aperta
  Pectora ab invisa sit fuga sede animae.

558.

Valeriani

de Cicerone.

Par scelus admisit Phariis Antonius armis:
  Abscindit vultus ensis uterque sacros.
Illud, laurigeros ageres cum laeta triumphos,
  Hoc tibi, Roma, caput, cum loquereris, erat.
Quid prosunt sacrae praecisa silentia linguae?
  Incipiunt omnes pro Cicerone loqui.

559.

Reposiani

Concubitus Martis et Veneris.

Discite securos non umquam credere amores.
Ipsa Venus, cui flamma potens, cui militat ardor,
Quae tuto posset custode Cupidine amare,
Quae docet et fraudes et amorum furta tuetur,
Nec sibi securas valuit praebere latebras.
Inprobe dure puer, crudelis crimine matris,
Pompam ducis, Amor nullo satiate triumpho.
Quod conversa Iovis laetaris fulmina semper,
Ut mage flammantes possis laudare sagittas.
Iunge, puer, teretes Veneris Martisque catenas;
Gestet amans Mavors titulos, et vincula portet
Captivus, quem bella timent; utque ipse veharis,
Iam roseis fera colla iugis submittat amator.
Post vulnus, post bella potens Gradivus anhelat
In castris modo tiro tuis, semperque timendus
Te timet, et sequitur, qua ducunt vincla mariti.
Ite, precor, Musae, dum Mars, dum blanda Cythere
Imis ducta trahunt suspiria crebra medullis,
Dumque intermixti captatur spiritus oris,
Carmine doctiloquo Vulcani vincla parate,
Quae Martem nectant, Veneris nec brachia laedant,
Inter divitias roseo prope livida serto.
Namque ferunt Paphien, Vulcani et Martis amorem,
Inter adulterium vel iusti iura mariti
Indice sub Phoebo captam gessisse catenas.
Illa manu duros nexus tulit, illa mariti
Ferrea vincla sui. Quae vis fuit ista doloris!
An fortem faciebat Amor? Quid, saeve, laboras?
Cur nodos Veneris Cyclopia flamma paravit?
De roseis connecte manus, Vulcane, catenis,
Nec tu deinde liges, sed blandus vincla Cupido.
Ne palmas duro nodus modo vulnere laedat.
  Lucus erat Marti gratus, post vulnera Adonis
Pictus amore deae. Si Phoebi lumina desint,
Tutus adulterio, dignus quem Cypris amaret,
Quem Byblos coleret, dignus quem Gratia servet.

Vilia non illo surgebant gramina luco,
Pingunt purpureos candentia lilia flores,
Ornat terra nemus; nunc locos vitis inumbrat,
Nunc laurus, nunc myrtus; habent sua munera lauri.
Namque hic per frondes redolentia lilia pendent,
Hic rosa cum violis, hic omnis gratia florum,
Hic inter violas coma mollis laeta hyacinthi.
Dignus amore locus, cui tot sunt munera rerum,
Non tamen in lucis aurum, non purpura fulget.
Flos lectus, flos vincla toris, substramina flores,
Deliciis Veneris dives natura laborat.
Texerat hic liquidos fontes non vilis arundo,
Sed qua saeva puer componat tela Cupido.
Hunc solum Paphie puto lucum fecit amori,
Hic Martem expectare solet. Quid Gratia cessit,
Quid Charites? quo, saeve puer, non licia nectis?
Tu lectum consterne rosis, tu serta parato
Et roseis crinem nodis subnecte decenter.
Haec modo purpureum decerpens pollice florem,
Cum diligatum suspiria ducat odorem,
Ast tibi blanda manus . . . sub pectore condat.
Tunc ne purpurei laedat te spina roseti,
Destrictis teneras foliis constringe papillas,
Sic decet in Veneris luco gaudere puellas.
Ut tamen inlaesos Paphiae servetis amores,
Vincula sic mixtis caute constringite ramis,
Ne diffusa ferat per frondes lumina Titan.
His igitur lucis Paphie, dum praelia Mavors
Horrida, dum populos diro terrore fatigat,
Ludebat teneris Bybli permixta puellis.
Nunc varios cantu divum referebat amores,
Inque modum vocis nunc motus forte decentes
Corpore laeta dabat, nunc miscens denique plantas,
Nunc alterna movens suspenso pollice crura
Molliter inflexo subnitens poplite sidit.
Saepe comam pulchro collectam flore ligabat,
Ornans ambrosios divino pectine crines.
Dum ludos sic blanda Venus, dum gaudia miscet,

Et dum suspenso solatia quaerit amori,
Dum flet, quod sero veniat sibi grata voluptas,
Ecce furens, post bella, deus, post praelia, victor
Victus amore redit. Cur gestas ferrea tela?
Ne metuat Cypris, comtum decet ire rosetis.
Ah quotiens Paphie vultum mentita furentis
Lumine converso serum incusavit amantem!
Verbera saepe dolens mentita est dulcia serto
Aut, ut forte magis succenso Marte placeret,
Admovit teneris suspendens oscula labris,
Nec totum effundens medio blanditur amore.
Decidit aut posita est devictis lancea palmis,
Et dum forte cadit, myrto retinente pependit.
Ensem tolle, puer; galeam tu, Gratia, solve,
Haec laxet nodos, haec vincula ferrea rumpat,
Solvite Bybliades praeduri pectora Martis
Loricaeque moras, vos scuta et tela tenete.
Nunc violas tractare decet, laetare, Cupido,
Terribilem Divum tuo solo numine victum.
Pro telis flores, pro scutis myrtea serta,
Et rosa forte nocet gladius quem iura tremiscunt.
Iverat ad lectum Mavors, et pondere duro
Floribus incumbens totum turbarat honorem.
Ibat pulchra Venus vix presso pollice cauta
Florea ne teneras violarent spicula plantas,
Et nunc innectens, ne rumpant vincula, crinem,
Nunc vestes fluitare sinens, vix laxa retentat,
Cum nec tota latet nec tota enudat amorem.
Ille inter flores furti velamine tectus
Spectat hians Venerem totusque ardore tremiscit.
Incubuit lectis Paphie. Proh, sancte Cupido,
Quam blandas voces, quae tunc ibi murmura fundunt!
Oscula permixtis quae tunc fixere labellis!
Quam bene consertis haeserunt artibus artus!
Stringebat Paphiae Mavors tunc pectora dextra,
Et, collo innexam ne laedant pondera laevam,
Lilia cum roseis supponit candida sertis.
Saepe levi cruris tactu permovit amantem

In flammas, quas Diva movet; iam languida fessos
Forte quies Martis tandem compresserat artus.
Non tamen omnis amor, non omnis pectore cessit
Flamma dei, trahit in medio suspiria somno,
Et Venerem totis pulmonibus ardor anhelat.
Ipsa Venus tunc tunc calidis suspensa venenis
Uritur ardescens, nec somnia parta quiete.
O quam blanda quies, o quam bene presserat artus
Nudos forte sopor! Niveis suffulta lacertis
Colla nitent, pectus gemino quasi sidere turget.
Non omnis resupina iacet, sed corpore flexo
Molliter, et laterum qua se confinia iungunt,
Martem respiciens deponit lumina somno,
Sed gratiosa, decens. Pro lucis forte Cupido
Martis tela regens, quae postquam singula vidit,
Loricam, clipeum, gladium galeaeque minaces
Cristas flore ligat, tunc hastae pondera tentat,
Miraturque suis tantum licuisse sagittis.

Iam medium Phoebus radiis possederat orbem,
Iam tumidis calidus spatiis libraverat horas,
Flammantes retinebat equos. Proh conscia facti
Invida lux! Veneris qui nunc produntur amores
Lumine, Phoebe, tuo! Stant capti iudice tanto
Mars, Amor et Paphie, ramisque inserta tremiscunt
Lumina, nec crimen possunt te teste negare.
Viderat effusis Gradivum Phoebus habenis
In gremio Paphiae spirantem incendia amoris.
O rerum male tuta fides, o gaudia et ipsis
Vix secura deis! quis non, cum Cypris amaret,
Praeside sub tanto tutum speraret amorem?
Criminis exemplum si iam de numine habemus,
Quid speret mortalis amor? qua voce ferenda,
Quod numen poscat, quo sit securus, adulter?
Cypris amat, nec tuta tamen; compressit habenas
Phoebus, et ad lucos tantum, puto, lumina vertit,
Et sic pauca refert: Sparge nunc tela, Cupido,
Nunc nunc, diva Venus, natis divumve sagittis
Da mihi solamen, sub te securus amavi.

Fabula, non crimen nostri dicuntur amores.
Haec ait, et dictis Vulcanum instigat amaris:
Dic, ubi sit Cytherea decens, secure marite,
Te expectat lacrimans, castum tibi servat amorem:
Quaere simul Martem, cui tu modo tela parasti,
Vel si forte tuae Veneris fera crimina nescis —
Dixit, et infuso radiabat lumine lucus,
Inque fidem sceleris totos dimiserat ignes.
Haeserat ignipotens stupefactus crimine tanto,
Iam quasi torpescens vix sufficit ira dolori,
Ore fremit moestoque modo gemit ultima pulsans
Ilia, et indignans suspiria pressa fatigat.
Antra furens Aetnaea petit; vix iusserat, omnes
Incubuere manus, multum dolor addidit arti.
Quam cito cuncta gerunt ars, numen, flamma, maritus,
Ira, dolor! nam vix causam tunc forte iubendo
Dixerat, et vindex coniux iam vincla ferebat.
Venerat ad lucos non ipsi visus Amori,
Non Chariti: totas arti mandaverat iras.
Vincula tunc manibus suspenso molliter ictu
Inligat et teneris connectit brachia palmis.
Excutitur somno Mavors et pulchra Cythere.
Posset Gradivus validos disrumpere nexus,
Sed retinebat Amor, Veneris ne brachia laedant.
Tunc tu sub galea, tunc inter tela iacebas,
Saeve Cupido, timens; stat Mavors lumine torvo
Atque indignatur, quod sit deprensus adulter.
At Paphie conversa dolet non crimina facti,
Sed, quae sit vindicta sibi, tum singula volvens
Cogitat, et poenam sentit, si Phoebus amaret;
Iamque dolos properans, decorabat cornua tauri,
Pasiphaae crimen, mixtique cupidinis iram.

Carmina, quorum auctores ignoti sunt.
Liber primus.

560.

Mars gravis armorum, Pluto moderator Averni est;
Neptunus maris imperio dominatur; in astris
Imperium Iovis est; regnat vacuo aëre Iuno;
Et Venus in terris et ubique Cupidine cincta.

561.

Iupiter astra, fretum Neptunus, Tartara Pluto
Regna paterna tenent; tres tria, quisque suum.

562.
De Iove in pluteo.

Flexilis obliquo sinuatur circulus orbe
Inclusumque gerit machina sacra Iovem.
Vana sub adspectum duxit mendacia pictor:
Orbis rectorem quis probat orbe tegi?

563.
C. Iul. Rufus Poenino V. S. L. M.

At tua templa lybans vota suscepta peregi.
Accepta ut tibi sint, nomen adoro tuum;
Impensis non magna quidem, te longe precamur
Maiorem saculo nostrum animum accipias.

564.
De Ganymede.

Captus amante puer, aquila moderante, pependit.
Infamavit aquas captus amante puer.

565.
De Iove in cycnum converso.

Cycneas genitor gestans post fulmina pennas,
Dulcia diffundit carmina virginibus;
Quem retinens Leda, prenso cum gaudet olore,
Amissa agnovit virginitate Iovem.

566.

De Cycno et Leda.

Carmine dulcis olor dum virginis otia mulcet,
Texit furta Iovis carmine dulcis olor.

567.

De ovo Ledae.

Ledaei partus ovo monstrantur aperto,
In cycnum verso a Iove quos tenuit.
Una tribus genetrix, sed sors diversa creatis;
Sidera pars faciet, pars fera bella Phrygum.

568.

De Europa a Iove rapta.

Terga bovis credens Europa adscendit alumni
Inseditque Iovi non revisura patrem.
Fraude suos genitor celat vel complet amores:
Nam deus in tauri corpore praedo latet.

569.

Aliter.

Europam, taurum mentitus, Iupiter aufert,
Virgineos ardens pandere fraude sinus.
Humani tandem venia donentur amores,
Si tibi, summe deûm, dulcia furta placent.

570.

Neptuno.

Tu, Neptune pater, cui tempora cana crepanti
Cincta salo resonant, magnus cui perpete mento
Profluit Oceanus, et flumina crinibus errant.

571.

De Neptuno marmoreo, ex cuius tridente saliebat aqua.

Quam melior, Neptune, tuo sors ista tridenti est!
Post pelagus dulces hic tibi dantur aquae.

572.

Mercurio.

Sum deus, alatis qui cruribus aethera carpo,
Quem peperit summo lucida Maia Iovi.

573.

In Bacchum.

Huc ades Lyaee, Bassareu, bicornis
Nycteli, bimater, crine nitidus, apte
Luteis corymbis hederate coronis,
Hasta viridi armate, placidus ades ad aras.
Bacche, Bacche, Bacche, placidus percipe munus!

574.

Laus Liberi.

Lenis vitisator, proles Semeleia, Bacche!
[Thyrsitenens, bimater, trieterice, Nysie, Liber,
Flos Ariadnaee, coriatice, laete Thyoneu.]
Da reditum nobis: sic totis dulcia verbis
Mella fluant, totis spumet vindemia labris!

575.

Europa a Iove rapta.

Vulneris inpatiens hominum rerumque repertor,
Et faciem tauro propior descendit ad undas.
Europam nivei solatur amore iuvenci.
Dulcibus illa quidem inlecebris in litore sicco
Luserat, insignis facie, candore nivali.
Saucius at quadrupes saltus ingressus apertos
Forte fuit iuxta, superi regnator Olympi;
Obtulerat qui se ignotum venientibus ultro
Virginibus Tyriis aurata fronte iuvencum:
At circum late comites per litora passim
Diffugiunt, visu exsangues, taurumque relinquunt.
Sola (novum dictu!) contra stetit ora iuvenci
Ante Iovem: nam te voluit rex magnus Olympi.
Hunc Phoenissa tenet vasta se mole moventem
Purpureosque iacit flores omnemque pererrat.
Ille autem spissa iacuit revolutus arena.
Inponit regina manum, patiensque pericli
Mollibus intexens ornabat cornua sertis;
Hunc ubi contiguum summo tenus adtigit ore
Et superincumbens sertis et fronde coronat,
Iam iam nulla mora est. Animum labefactus amore

Accepit venientem ac mollibus extulit undis.
Illi (sensit enim tuus, o clarissime, frater)
Subsidunt undae, straverunt aequora venti.
Nunc pelagi nymphae crinem de more tenentem
Suspensum et pariter comitique onerique timentem.
Egregia interea summa sublimis ab unda
Prona petit maria et pelago decurrit aperto:
Tunc laeva taurum cornu tenet inscia culpae
Obliquatque sinus in ventum auramque patentes:
Ille, manum patiens, vero properabat amore.
Et, ductus cornu, rex omnipotentis Olympi
Insuetum per iter tacitis subremigat undis,
Perfidus, alta petens, abducta virgine praedo.

576.

De vinalibus.

Non tibi vina placent, o insanabilis hospes,
Nec mens est Thebana tibi, licet aggere celso
Dircaeae rupis dicas fluxisse parentes
Vertice de Nisae. Per rura et nostra Lyaeus
Transiit inplevitque vias nigrantibus uvis.
Musta sibi poscit Pater, et non tempore ab illo
Desierunt haec sacra coli, vatumque sonoro
Carmine Mincius et tremuit circumsita ripa
Fluminis Etrusci, quem non aequabit Orontes.

577.

De Apolline.

Gratia magna tibi, Paean, qui pectora comples.
  Lector, si faveas, gratia magna tibi.

578.

Hercules invicte, Cautus hoc tuo donum *libens*
Numini sancto dicavit praetor urbis *Annius*.
Cum pia solemne mente rite fecisset *tuum*,
Tradidisti, quod Potitis Evandreo *saeculo*,
Administrandum. Quotannis hic ades votis *favens*.

579.

Limen ad hoc, populi, persolvite vota Tonanti.

580.

Herculis elogium.

Transivi intrepidus per mille pericula victor.
Non acies ferri, non clausis moenia portis
Conatus tenuere meos. Domat omnia virtus.

581.

Hercules et Antaeus.

o o o

Litus arenosum Libyae coelestis origo.
Alcides aderat, terrae omnipotentis alumnum
Caede nova quaerens et ineluctabile fatum.
Protinus Antaeum, vasta se mole moventem,
Occupat; ille, suae contra non inmemor artis,
Concidit atque novae rediere in praelia vires.
Adrepta tellure semel vim crescere victis,
Non tulit Alcides et terra sublevat ipsum.
Namque manus inter conantem et plurima frustra
Corripit in nodum, nisuque inmotus eodem
Auxilium solitum eripuit, corpusque per ingens
Non iam mater alit Tellus viresque ministrat.
Verum ubi nulla datur dextra adtrectare potestas,
Illum exspirantem, magnum Iovis incrementum,
Excutit effunditque solo. Ruit ille volutus
Ad terram, non sponte fluens, vitaque recessit.

582.

Veneri.

Haec tibi, diva Venus, deponit munera Sylla,
Ut somno monitus Martis armatus in armis
Pugnantem atque acies armatas inter agentem.

583.

Prima Cleonaei tolerata aerumna Leonis,
Proxima Lernaeam ferro et face contudit hydram,
Mox Erymantheum vis tertia perculit aprum,
Aeripedis quarto tulit aurea cornua cervi,
Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto,
Threiciam sexto spoliavit Amazona baltheo.

Septima in Augeae stabulis inpensa laboris.
Octava expulso numeratur adorea tauro,
In Diomedeis victoria nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam,
Undecimum mala Hesperidum destricta triumphum.
Cerberus extremi suprema est meta laboris.

584.

De Libero patre.

Orgia lassato quotiens solvuntur Iaccho,
  Hic deus uda mero ponere membra solet.

585.

Laus Martis.

Mars pater armorum, fortissime belligerantum,
Esto volens, mitis, facilis deus, esto benignus.
Sic tibi post pugnas et pastos sanguine campos
Amplexus tribuat, vincli secura, Cythere!
Tu crista galeaque rubes, tu, pulcher in aere,
Incutis e vultu radiantia lumina: ferro
Te thorax galeaque tegunt, non quo tibi terror
Hostilis subeat, sed quod decor exit ab armis.
Tu cum pulsati clypei concusseris orbem,
Immugit mundus, tellus tremit, aequora cedunt.
Da nobis reditum, patriam repetamus ovantes.
Sic tibi lascivae celebrentur in urbe Kalendae.

586.

Super statuam Veneris.

Sol calet igne meo. Flagrat Neptunus in undis.
Pensa dedi Alcidae. Bacchum servire coegi,
Quamvis Liber erat. Feci mugire Tonantem.
[Quamvis Liber erat.] Martem sine Marte subegi.

587.

De sigillo Cupidinis aquas fundentis.

Igne salutifero Veneris puer omnia flammans,
  Pro facibus propriis arte ministrat aquas.

588.

Cupido amans.

Quis me fervor agit? nova sunt suspiria menti.
Anne aliquis deus est nostro vehementior arcu?
Quem mihi germanum fato fraudante creavit
Diva parens? *satis* an *mea* spicula fusa per orbem
Vexavere polum, laesusque in tempore mundus
Invenit poenam? Sed si mea vulnera novi,
Hic meus est ignis, meus est, qui parcere nescit.
In furias ignesque trahor, licet orbe superno,
Iupiter, ex altis undis, Neptune, tegaris,
Abdita Poenarum et te cingant Tartara, Pluton.
Inpositum rumpemus onus, volitabo per axem
Mundigerum coelique plagas pontique procellas
Umbriferumque Chaos, pateant adamantina regna,
Torva venenatis cedat Bellona flagellis.
Poenam mundus amet, stupeat vis maior. Anhelat
In se saevus amor, fraudemque in vulnere quaerit.

589.

In imaginem Daphnes.

Intonsi sum cura dei Peneïa virgo,
  Perpetuae pulchro frondis honore virens.
Quisquis amas Phoebum, laurum cole; quicquid amatae
  Deditur, acceptum gratus amator habet.

590.

Pani et Apollini.

Pan, tibi, Phoebe, tibi, lenimen dulce laborum,
  Otia dum terimus, carmina mille damus.

591.

Sanco Fidio Semopatri.

De decuma victor tibei Lucius Mumius donum.
Moribus antiqueis hoc pro usura dare sese,
Visum animo suo. Perfecit tua pace, rogans te,
Cogendo dissolvendo ut felicia faxseis.
Perficias decumam, ut faciat verae rationis.
Proque hoc atque alieis donis des digna merenti.

592.

Hercules.

Alcmenae Iovis et magni fortissima proles
Tricosus subito post mea fata vocor.

593.

Herculi.

Alcide, sacri generis decus, hoc tibi praetor
Et Iovis antistes dedico perpetuus.

594.

Deo Herculi invicto.

Te precor, Alcide, sacris invicte periclis,
Rite tuis laetus dona ferens meritis.
Haec tibi dona potest tenuis perferre Camena;
Nam grates dignas qui pote perficere!
Sume lubens simulacra, tuis quae munera Cilo
Aris Urbanus dedicat ipse sacris.

595.

Argive victor, Hercules, donum hoc tibi
Urbanus praetor Veldumnianus Iunius.

596.

Hercules et Iuno.

Viribus Herculeis dum noxia facta requirit,
Iuno dedit laudem viribus Herculeis.
Herculeis viribus laudem dedit Iuno, requirit
Facta noxia dum Herculeis viribus.

597.

Hercules et Philotes.

Alcides, hominum victor domitorque ferarum,
Philotetis amicus ades: tu illi amor aeque es!

598.

Duodecim labores Herculis.

Compressit Nemeae primum virtute leonem,
Extincta est anguis, quae pullulat, Hydra secundo,
Tertius enectus sus est Erymanthius ingens,
Cornibus auratis cervum necat ordine quarto,

Deiicit horrisono quinto Stymphalidas arcu,
Abstulit Hippolytae sexto sua cingula victae,
Septimus Augeae stabulum labor egerit undis,
Octavo domuit magno luctamine Taurum,
Tum Diomedis equos nono cum rege peremit,
Geryonem decimo triplici cum corpore vicit,
Undecimo abstractus vidit nova Cerberus astra,
Postremo Hesperidum victor tulit aurea mala.

599.

Castor et Pollux.

Ordine mortis eunt alternae munera vitae,
Inque diem fratres ordine mortis eunt.

600.

Litoribus vestris quoniam certamina laetum
Exhibuisse iuvat, Castor venerandeque Pollux,
Munere pro tanto faciem certaminis ipsam,
Magna Iovis proles, vestra pro sede locavi,
Urbanis Tatius gaudens me fascibus auctum,
Neptunoque patri ludos fecisse Sabinos.

601.

Esse putas marmor; latet hic cum Castore Pollux.
Munus olorino de Iove Leda dedit.

602.

Silvano.

Silvane, sacra semicluse fraxino,
Et huius alti summe custos hortuli,
Tibi hasce grates dedicamus maximas,
Quod nos per arva perque montis Alpicos,
Tuique luci suaveolentis hospites,
Dum ius guberno remque fungor Caesarum,
Tuo favore prosperanti sospitas.
Tu me meosque reduces Romam sistito,
Daque, Itala rura te colamus praeside.
Ego iam dicabo mille magnas arbores.

T. Pomponi Victoris Proc. August.

603.

Quo curru quaeque dea vehatur.

Matronam magni vehit ardens pavo Tonantis,
Ad Veneris currum iuncta columba cycno est.
Pallada bubo vehit, sed eam rota nulla figurat,
Anguibus alma Ceres Persephoneque venit.
Delia cum Luna est gemina provecta iuvenca,
Venatrix cervas virgo Diana tenet.

604.

M. D. M. Idaeae et Attidi Menotyranno.

Nobilis in causis, fama celsusque Sabinus
Hic pater Invicti mystica victor habet.
Sermo duos — — — reservans
Consimiles aufert — — —
— — — — —
— — — — —
Et veneranda movet Cybeles triodeïa signa,
Augentur meritis symbola tauroboli.

Ruf. Caeoni. Cae. Sabini f. V. C. P. M. Hierof. D. Hecat. Aug. Atus. Pub. p. r. Q., pater sacrorum Invict. Mithrae, Taurobolinus M. D. M. Id. et Attidis Menotyranni aram IIII. id. Mart. Gratiano V. et Merobaude coss. dedicavit.

Antiqua generose domo, cui regia Vestae
Pontifici felix sacrato militat igne,
Idem augur, triplicis cultor venerande Dianae,
Persidicique Mithrae antistes Babylonie templi,
Taurobolique simul magni dux mystice sacri.

605.

Quis tibi, taurobolus, vestem mutare suäsit,
Inflatus dives subito mendicus ut esses,
Obsitus et pannis modicis, tepefactus . .
Sub terra missus, pollutus sanguine tauri,
Sordidus, infectus, vestes servare cruentas,
Vivere cum speras mundus viginti per annos.

606.

Egregios proceres currum servare Cybebae,
Quem traheret conducta manus Megalensibus actis,
Arboris excisae truncum portare per urbem,
Attin castratum subito praedicere, Solem.

607.

Dignis digna loca picturis condecoravit,
Reginae Iunoni' Supremi coniugi' templum,
Marcus Ludius Elotas Aetolia oriundus,
Quem nunc et post semper ob artem hanc Ardea laudat.

608.

Dianae.

Munere te hoc dono, Latonia, sancta virago.
Cornigeram cepei, virtute et laude potitus,
Exuvieisque eius te ipsam templumque decoro.

609.

Veneri et Charitibus.

Coelum, terra, mare et deûm remota
Mens vostro colitur favente ductu.
Nostris ergo, deae, favete votis.

610.

Silenus.

Bella manu pacemque gero, mox, praescius aevi
Te duce venturi, fatorum arcana recludam.

611.

In statuam quamdam Veneris.

In gremio Veneris quoddam genus herba virescit:
Sensit dura silex, quo luco exaestuet ignis.

612.

Venus.

Uritur igne suo fumantibus Aetna cavernis.
Pendet amore Venus uritur igne suo.

613.

De Adone et Venere.

Pingitur ora Venus, ne vel contemnat Adonis
Aut neget; omnipotens pingitur ora Venus.

614.

Vulnera saevus aper laesae spectanda Dianae,
Flenda dedit Veneri vulnera saevus aper.

615.

De templo Veneris, quod ad muros exstruendos dirutum est.

Caeduntur rastris veteris miracula templi,
Inque usum belli tecta sacrata ruunt.
Nam qua deiectis volvuntur saxa catervis,
Haec sunt murorum mox relocanda minis.
Dilati Mavors compendia cepit Amoris,
Per muros quaerit iam sua templa Venus.

616.

Musae.

Clio saecla retro memorat sermone soluto.
Euterpae geminis loquitur cava tibia ventis.
Voce Thalia cluens soccis dea comica gaudet.
Melpomene reboans tragicis fervescit iambis.
Aurea Terpsichorae totam lyra personat aethram.
Fila premens digitis, Erato modulamina fingit.
Flectitur in faciles variosque Polymnia motus.
Uranie numeris scrutatur sidera mundi.
Calliope doctis dat laurea serta poetis.

617.

Musarum inventa.

Carmina Calliope libris heroica mandat.
Clio gesta canens transactis tempora reddit.
Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urget.
Melpomene tragico proclamat moesta boatu.
Terpsichore affectus citharis movet, imperat, auget.
Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, vultu.
Signat cuncta manu loquiturque Polymnia gestu.
Uranie coeli motus scrutatur et astra,
Comica lascivo gaudet sermone Thalia.
Mentis Apollineae vis has movet undique Musas,
In medio residens complectitur omnia Phoebus.

618.

Aliter.

Clio gesta canens transactis tempora reddit,
Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urguet,
Comica lascivo gaudet sermone Thalia,
Melpomene tragico proclamat moesta boatu,
Terpsichore affectus citharis movet, imperat, auget,
Plectra gerens Erato saltat pede, casmine, vultu,
Uranie poli motus scrutatur et astra,
Carmina Calliope libris heroica mandat,
Signat cuncta manu, loquiturque Polymnia gestu.
Mentis Apollineae vis has movet undique Musas,
In medio residens complectitur omnia Phoebus.

619.

Aliter.

Clio gesta canens transactis tempora reddit,
Melpomene tragico proclamat maesta boatu,
Signat cuncta manu loquiturque Polymnia gestu,
Doctiloquos calamos Euterpe flatibus urget,
Terpsichore affectum citharis movet, imperat, urget,
Uranie caeli motus scrutatur et astra,
Comica lascivo gaudet sermone Thalia,
Plectra gerens Erato saltat pede carmine ducto,
Carmina Calliope libris heroica mandat.

620.

Ite igitur, Camenae,
Fonticolae puellae,
Quae canitis sub antris
Mellifluos sonores;
Quae lavitis capillum
Purpureum Hippocrenae
Fonte; ubi fusus olim
Spumea lavit almus
Ora iubis aquosis
Pegasus, in nitentem
Pervolaturus aethram.

621.

De Luna et Musis.

Phoeba sedens gremio quem fert germana reclinem,
Languidulos pueri respiciens oculos?
Vos, Heliconiadae, lentum submittite carmen.
Carmine somnus adest, carmine somnus abest.

622.

T. Caesii Taurini Votum Fortunae.

Tu, quae Tarpeio coleris vicina Tonanti,
Votorum vindex semper, Fortuna, meorum,
Accipe, quae pietas ponit tibi dona merenti
Effigiem nostri conservatura parentis;
Cuius ne taceat memorandum littera nomen,
Caesius hic idemque Titus Primusque vocatur.
Qui largae Cereris messes fructusque renatos
Digerit in pretium, cui constat fama fidesque
Et, qui divitias vincit, pudor; ire per illos
Consuetus portus cura studioque laboris,
Litora qui praestant fessis tutissima nautis.
Notus in urbe sacra, notus quoque finibus illis,
Quos Umber sulcare solet, quos Tuscus arator.
Omnibus hic annis votorum more suorum
Centenas adicit numero crescente coronas,
Fortunae simulacra colens et Apollinis aras
Arkanumque Iovem, quorum consentit in illo
Maiestas, longae promittens tempora vitae.
Accipe posteritas, quod per tua saecula narres.
Taurinus, cari iussus pietate parentis,
Hoc posuit donum, quod nec sententia mortis,
Vincere nec poterit fatorum summa potestas,
Sed populi salvo semper rumore manebit.

623.

Huius Nympha loci, sacri custodia fontis,
Dormio, dum blandae sentio murmur aquae.
Parce meum, quisquis tangis cava marmora, somnum
Rumpere: sive bibas sive lavere, tace.

624.

Sextus Pompeius I. cognomine Pandus,
Quoius et hoc abavis contigit esse solum,
Aediculam hanc Nymphis posui, quia saepius usus
Hoc sum fonte senex tam bene quam iuvenis.

625.

Undis Cyaneis donum placabile fecit
Gonducius blandas per aquas aram venerandam.
Hinc oritur pergitque fluens, deinde occidit in se,
Ripas mox viridis renovantibus inclita Nymphis
Numina fontigero grates ex undique solvens
Sospes cum comite praestat renovante liquore.

626.

Galatea.

Diffugiens pontum silvas Galatea peragrat,
Custodem ut pecorum cernere possit Acin.
Nam teneros gressus infigit sentibus, ardens
Nec tamen alta pedum vulnera sentit amor.
Ipsa Cupidineae cedunt elementa pharetrae,
Cuius et in mediis flamma suburit aquis.

627.

De Galatea in vase.

Fulget et in patena ludit pulcherrima Nais,
Prandentum inflammans ora decore suo.
Congrua non tardus diffundat iura minister,
Ut lateat positis tecta libido cibis.

628.

Magnae Matri.

Sum vagus adsidue, toto circumferor orbe,
Nec me diversi cohibet distantia mundi
Alterius titulo subdere vota reum.
Veri certa fides, Tiburni vexit in arcem
Et iam
Quare o diva parens
Ausonia in terra . . . . .

629.

(Ad Varadinum in Thermis.)

. . bi marmoreo caesam de monte Dian . .
Regina undarum nympha decus nemo . .
. io damnasti perfecta quem prece Bassus
Moenite propter moenia Germisarae.

630.

De Galatea in vase.

Ludere sueta vadis privato Nympha natatu
Exornat mensas, membra venusta movens.
Comptas nolo dapes, vacuum mihi pone boletar.
Quod placet, adspiciam; renuo, quod saturat.

631.

Aliter.

In medio generata salo, nunc arte magistra
Perveni ad mensam: hic quoque nuda nato.
Si prandere cupis, differ spectare figuram,
Ne tibi ieiunus lumina tendat amor.
Quae sim ne dubites, ludens sine nomine lympha·
Quod Galatea vocer, lactea massa probat.

632.

Thetis.

Pande manum genetrix, totus tingatur Achilles:
Tu facies natum mortis habere locum.

633.

Achilles.

Credita virgo parem blande decepit, Achilles,
Inplevitque etiam credita virgo parem.

634.

De tractu Hectoris.

Funere turbat equos necdum satiatus Achilles,
Hector et exanimis funere turbat equos.

635.

In Achillem.

Inprobe distractor pretium si poscere nosses,
Non traheres, quod funus erat . . . . .

636.

De Dolone et Achille.

Praemia magna Dolon, currum dum poscit Achillis,
Perdidit ipse cadens, munera magna Dolon.

637.

De tumulo Achillis.

Iurgia conflat amor, ut blandius urat amantes;
Ad tumulum fidei iurgia conflat amor.

638.

Epitaphium Achillis.

Hectoris Aeacides domitor clam, incautus, inermis,
Occubui, Paridis traiectus arundine plantas.

639.

Pyrrhus.

Placat busta patris iugulata virgine Pyrrhus
Dilectasque litat manibus inferias.
Sors nova Nymphigenae votum post fata meretur.
Quam pepigit thalamis, hanc habet in tumulis.

640.

De Troia et Hectore.

O Asiae flos, Troia potens, o gloria! Quo nunc
In cineres collapsa iaces? Ubi regia proles
Ex Hecuba Priami, veniens a semine divûm?
O Hector, quondam Troum fortissime, frustra
Coniugis in facie defectorumque parentum
Hostiles proprio foedasti sanguine currus.
Hanc adeo patriae cladem tua, perfide pastor,
Navibus invexit dìs execrata voluptas!

641.

De Memnone.

Filius Aurorae, Phoebi nascentis alumnus,
Producit gentis millia tetra suae.
Succurrens fessis fausto non omine Teucris,
Pergit Pelidae protinus ense mori.
Iam nunc monstratur, maneat qui Pergama casus,
Cum nigrum Priamus suscipit auxilium.

642.

Aeneas.

Cum patrem et patrios ferret cervice penates,
Atque adeo ingentis fata noverca Asiae,
Romanosque deos Europaeosque triumphos,
Totius et mundi exsuviis spolia
Tros Anchisiades: poterat periisse per ignes
Aemoniâ ut virtus tracta erat ante rotâ.
At cum flamma furens tetigit senis ora parentis,
Dissiluit, nullis noxia turbinibus.
Fata operi restent, pietas si sola favebit.
Invictum in mediis ignibus obsequium est.

643.

De Glauco.

Squammeus anguis erat, qui reddidit aethera Glauco.
Qui tulit Archemorum, squammeus anguis erat.

644.

Laocoon.

Laucontem gemini distendunt nexibus angues,
Cumque suis genitis sors habet una patrem.
Quod tamen iligni violarit terga caballi,
Hinc tolerasse ferunt saeva venena virum.
Quid sperare datur superum iam numine laeso,
Cum sic irasci ligneus audet equus?

645.

De Ateste.

Vicerat Euganeos Henetorum ductor, Ateste,
Cui rex Antenor Dardana tela dedit,
Et profugus nostram fundavit moenibus urbem:
Mox obit, et magnum parva sepulcra tegunt.

646.

Pallas.

Quae dedit, ipsa tulit virtus Pallanta dolendum;
Prima dies bello quae dedit, ipsa tulit.

647.

De Turno et Pallante.

Turnus honore ruit fusi Pallantis in hostem,
Pallantis fusi Turnus honore ruit.

648.

De equis Diomedis.

Vim Diomedis equi monstrabant hospite caeso,
Hospite fregerunt vim Diomedis equi.

649.

Euryalus.

Unicus Euryalus meruit solatia matris,
Ereptus matri est unicus Euryalus.

650.

Nisus et Euryalus.

Nomen amicitiae magna pietate colendum est,
Maxima pars vitae est nomen amicitiae.

651.

De iudicio Paridis.

Iudicium Paridis provexit coniuge Troiam,
Delevit Troiam iudicium Paridis.

652.

De eodem.

Connubii bellique deas superavit amorum,
Cum pastor pulchram iudicat esse Cyprin.
Verticis et thalami pignus sublime Tonantis
Exuperat Paridis laude probata Venus.
Extat causa mali, malum cessisse Dionae,
Cum ruerent Graia Pergama pulsa manu.
Dat Veneri malum formae pro munere pastor,
Cum Iunone dolens victa Minerva redit.

653.

Bellerophon.

Bellerophon superans incendia dira Chimerae:
Victor Gorgoneo nubila tangit equo.

654.

Philoctetes.

Prodentem ducibus Tirynthia tela Pelasgis,
Laesa Philoctetam vulnere planta domat.
Docta manus vivos duxit de marmore sensus.
Sentit adhuc poenam tristis et in lapide.

655.

Argonautae.

Thessalici proceres iunctis virtutibus Argo
Magnificam aedificant fatiloquamque ratem.
Hac ope ventorum, Iunone et Pallade faustis,
Auratum referunt trans freta longa pecus.
Omnis in hac picta est virtutis imagine forma.
Hanc labor acer opus grande parare iubet.
Cumque opus effectum est, ventis piger indiget usus;
Hi tibi Fortunae dant rapiuntque rotam.
Iuno notat nummos, sapientia Pallade constat;
His ducibus tandem gloria parta venit.
Niteris incassum, nec te aurea praeda sequetur,
Hic nisi te ternus dux super astra vehat.
Quid facias igitur? Fortunae gloria servit,
Divitiis servit, servit et ipsa libris.
Ora igitur divos, ut sis felixque bonusque,
Ut doctus. Musas irrequietus ama.

656.

De Iasone et Medea.

Coniugis arte decus patriae reduxit Iason,
Amisit patriae coniugis arte decus.

657.

De Medea cum filiis suis.

Opprimit insontes infidi causa parentis,
Iasonis et nati crimina morte luunt.
Sed quamvis mater, vivo viduata marito,
Coniugis in poenam pignora cara metat,
Sacra tamen pietas insanae mitigat ausus.
Hinc furiata premit, hinc miserata levat.

658.

De Creonte et Medea.

Mens tibi dira, Creon, vel cum Medea fugatur;
  Vel cum busta negas, mens tibi dira, Creon.

659.

De Iocasta et Oedipo.

Dirum Iocasta nefas, vel cum venit effera coniux;
  Vel cum fit mater, dirum Iocasta nefas.

660.

Chiron.

Stat duplex nullo completus corpore Chiron.

661.

De Oreste et Clytemnestra.

Pro pietate nefas matris purgavit Orestes:
  Incurrit magnum pro pietate nefas.

662.

Theseus.

Thesea magnanimum non cepit ianua Ditis,
  Decepit coniux Thesea magnanimum.

663.

De Pentheo et Agave.

Fert miseranda caput, domino quod monstret, Agave;
  Solum, quod doleat, fert miseranda, caput.

664.

Fratres Thebani.

Quos paribus nutrix eadem pavisse papillis,
Pectore quos uno genitrix gestasse probatur,
Dissidiis indiscissis in mutua saepe
Vulnera, non una perituri clade ruerunt.
Quos post longaevos discordia deserit annos,
Aut post commissas iunxerunt foedera dextras,
Constantis dederunt documenta frequenter amoris:
Thebanum nullo linquit discrimine Tydeus,
Tydea nullo umquam Polynices Marte relinquit.

665.

Marsyas.

Aërio victus dependet Marsya ramo
Nativusque probat pectora tensa rubor.
Docta manus varios lapidem limavit in artus.
Arboris atque hominis fulgor ab artifici est.

666.

Narcissus.

Dum putat esse parem vitreis Narcissus in undis,
Solus amore perit, dum putat esse parem.

667.

Ardet amore sui flagrans Narcissus in undis,
Cum modo perspicua se speculatur aqua.

668.

Suspirat propriae Narcissus gaudia formae,
Quem scrutata suis vultibus unda domat.

669.

Narcissus.

Candida per silvam primaevo flore iuventus
Adsidue veniebat; ibi haec coelestia dona
Et fontes sacros insigni laude ferebat
Insignis facie, longumque bibebat amorem,
Intentos volvens oculos securus Amorum.
Dum stupet atque animum pictura pascit inani,
Expleri mentem nequit ardescitque tuendo
Egregium forma iuvenem, quem Nympha crearat,
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.
His amor unus erat; dorso dum pendet iniquo,
Oblitusve sui est, et membra decora iuventae
Miratur rerumque ignarus imagine gaudet.
Ilicet ignis edax secreti ad fluminis undas
Ipsius in vultu vana spe lusit amantem,
Et praeceps animi collo dare brachia circum
Ter conatus erat, nec, quid speraret, habebat.

670.

Pyramus et Thisbe.

Quos habet unus amor, quos perdidit ensis et unus,
Una habet extinctos marmoris urna duos.
Sponte manu miseri simul occubuistis amantes,
Causa fuit dirae vitta cruenta necis.
Sed quae purpureo madefacta est sanguine radix,
Nunc atra, quae dudum candida, mora dabat.

671.

De eisdem.

Pallia nota fovet lacrimis decepta Themisto,
Pyramus heu! lacrimis pallia nota fovet.

672.

Hylas.

Raptus aquator Hylas, Nympharum gaudia crescunt,
Herculis ira tumet, raptus aquator Hylas.

673.

De Hero et Leandro.

Fecit amore viam iuvenis crudele per aequor,
Praedurae morti fecit amore viam.

674.

Hippolytus et Phaedra.

Vincere falsa pudor poterat: sed castus et insons
Erubuit Phaedrae vincere falsa pudor.

675.

Hyacinthus.

Discrimen vitae, ludit dum forte Hyacinthus,
Incurrit, disco tempora fissa gerens.
Non potuit Phoebus fato subducere amatum,
Sed cruor extincti florea rura replet.

676.

Hyacinthus.

Dispersit remeans ludentis tempora discus
Et dira pulcher morte Hyacinthus obit,
Gratia magna tamen solatur morte perempti:
Semper Apollineus flore resurgit amor.

677.

Hyacinthus.

Sanguine flos genitus fraudem testatur Ulixis,
Servat herile decus sanguine flos genitus.

678.

Myrrha.

Cerne Arabem Myrrham temerati a crimine lecti
Patria praecipiti linquere regna fuga.
Pone sequens genitor vi vindicis inminet ensis,
Et premit incestae iam pede poena pedem,
Donec mutatâ in fruticem porrecta figurâ est.
Sic quoque non certo lympha liquore fugit.

679.

Hesione.

Laomedon genuit, rapuit Tirynthius heros;
Mi soboles Aiax ex Telamone satus.

680.

De Calypsone et Didone.

Inputat aegra thoris vim proh deserta Calypso:
Vim Dido infensis inputat aegra thoris.

681.

Daphne.

Frondibus et membris servavit dextera sollers,
Congruus ut sculptis posset inesse color.
Dant mirum iunctae ars et pictura decorem,
Ostendit varius cum duo signa lapis.

682.

De Deidamia.

Deïdamia virum qua coepit nocte mereri,
Perdidit hac dulcem Deïdamia virum.

683.

De Hecuba.

Prole, viro regnoque carens Priameïa coniunx
Dura sorte venit sub iuga nunc Ithaci.

Quae cupiens tantos lacrimis aequare dolores
Perpetuo planctu transit in ora canis.
Quid valeat, variis monstrat fortuna figuris.
Post regnum in vico saucia latrat anus.

684.

De Lemniadibus.

Funera Lemniadum nescit veneranda Thoantis,
Sola tamen sensit funera Lemniadum.

685.

De Pelope.

Fervidus axe Pelops condemnat iura tyranni.
Fata ligat soceri fervidus axe Pelops.

686.

De Caphareo monte.

Reliquias Danaum dira premit arte Caphareus,
Albula Tuscus amat reliquias Danaum.

687.

De Procne et Philomela.

Da sensus mihi, Phoebe, precor: nam poena puellae
Non habet exemplum. Tristis post funera linguae
Sanguis inest, pingitque cruor tormenta pudoris.

688.

Item.

Sanguine muta probat facinus Philomela sorori,
Vimque vice linguae sanguine muta probat.

689.

Procne et Philomela.

Adspice, ut insignis vacua atria lustrat hirundo,
Vere novo moestis late loca questibus inplet.
Foetum infelicem moerens Philomela sub umbra
Adsiduo resonat cantu miserabile carmen.
Causa mali tanti coniunx thalamique cruenti,
Virginis os, notumque, furens quid femina possit.
Hic crudelis amor, crudelis tu quoque mater,
Infelix puer atque odium crudele tyranni.

Progeniem parvam curaeque iraeque coquebant,
Threicio regi cum iam securus amorum
Coniugis infandae inter deserta ferarum
Fas omne abrumpit, pariterque loquentis ab ore
Occidit exanimis vox ipsa et frigida lingua.
Haud inpune quidem dementia cepit amantem.
Pectore in adverso saevi monumenta doloris.
Fertque refertque soror crimenque et facta tyranni.
Sanguis ait solitae postquam data copia fandi.
Vulnera siccabat circum praecordia sanguis.
Accipe, ait, vocem et saevo sic pectore fatur:
Heu miserande puer, nunc te fata inpia tangunt,
Regales inter mensas genitoris et ora
Polluit ore dapes, quidquid solamen humandi est.
Dum genitor nati morsu depascitur artus,
Et soror et coniunx petierunt aethera pennis.

690.
De Pallante.

Filius Evandri, Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, mole sua iacet hic.

691.
De Aegypto et Danao.

Perfida nox Danai dirarum caede sororum,
Mitis Hypermnestrae, perfida nox Danai.

692.
De Bellerophonte, Pegaso et Chimaera.

Vectum Pegaseo volucri pendente caballo
Compita senserunt Bellerophonta deûm.
Cuius iter vacuos et calcans ungula ventos

— — — —

693.

Est via, quae populum ducit Iunonis ad aedem,
Fons ubi nativis aëra pulsat aquis:
Quisquis ad hanc pergis, Periandri transage thermas,
Antra, domos, curvis parva theatra locis,
Et ripas Athesis Phrygiique palatia Iani,

Regia septa, lares, atria, templa, forum.
Inde celer subeas magni delubra Tonantis,
Qua fert sublimes Martia porta gradus.
Hic et Ateste iacet, qui post Antenora nomen
Laudibus et titulis tollit in astra suum.
Transtulit huc Henetos, Patavinam condidit urbem,
Cuius et ossa ducis nunc brevis urna tegit.

694.

Antenoris epitaphium.

Inclitus Antenor patriam vox nisa quietem
Transtulit huc Henetum Dardanidumque fugas.
Expulit Euganeos, Patavinam condidit urbem,
Quem tenet hic humili marmore caesa domus.

695.

Verba Achillis in Parthenone, dum tubam Diomedis audisset.

Vana velut cautae surgens formido parenti
Femineos iuvenem iussit me sumere cultus,
Et celare virum falso per tegmina sexu,
Unde ego lanificas tentavi inglorius artes,
Virgineisque toris carpenda ad vellera inhaesi.
Nunc autem proprium servans natura vigorem
Conpellit fluxos humeris depellere amictus,
Dum nos bella vocant rauco clangore tubarum.
Mens quatitur saevusque fovet praecordia Mavors.
Rumpe moras omnes, fervens in praelia virtus,
Nec fuerit latuisse meum. Si classica temno,
Dilexi latebras, neque ulla est culpa parentis.
Nam cum respicio, quo sim de semine cretus,
Semiferique animis recolo praecepta magistri,
Nec puerum decuit muliebri pectora peplo
Induere et teneram gressu simulare puellam.
Nunc igitur crescens annis sapientior aetas
Devovit Marti, tenuit quae, corda, Cupido,
Belligerumque deum cum mens tum membra sequuntur;
Stamina linquentes currant ad spicula palmae,
Terrificumque caput praefixa casside mitram

Pellat, et in gracili decorentur tempora ferro,
Arma tegant nostrum potius quam suppara corpus.
A telis ad tela decet transire iuventam
Atque hostes gladio quam lanas fundere fuso.
Tenuia loricae cedant multicia forti,
Splendeat et raptus proiecto pectine mucro,
Contemtis radiis onerentur brachia pilis,
Clausa diu thalamo reddamus pectora campo.
Praesumit certam virtus sibi conscia palmam,
Ac dubios gaudet perferre interrita casus.
Nil metuat, qui magna cupit, constantia mentis
Fata domat, nec iam potis est fortuna nocere
Securo mortis, cui non sunt bella timori.
Fortibus una viris parilisque per omnia sors est,
Aut palmae aut leti pugnando adquirere laudem.
Cernere iam videor, quanta mercede cruoris
Constabit raptus Paridi crimenque iacenti,
Obvia cristatus cum sparserit agmina vertex,
Et solo adspectu claudentur Pergama nostro,
Cum novus effusos bellator fudero Teucros,
Multa trahet Xanthi Troiana cadavera gurges,
Maioremque feret caesorum sanguine cursum.
Sed mihi quis referat: „Cum te praesaga creatrix
Subducens fatis alieni schemate sexus
Ad Lycomedeos fecit transire penates,
Depositumque suum maluit committere blandis
Virginibus, ne te rapiat sic Martius ardor,
Orbatam ut crucies non viso pignore matrem:
Vadis in arma ferox, thalamum natumque relinquens,
Nec venit in mentem, quantum mereatur amorem,
Quae te prima virum conlato pectore fecit.
Is ad bella libens, ubi quaeritur alea mortis,
Nec spondet certam tristis Bellona salutem;
Sed Danais comitem esse placet sociumque pericli
Pro famae titulis meliori adiungere causae.
Scilicet ut coniunx viduo reddatur Atridae,
Procumbat vilis Teucrorum victima Achilles!“ —
Aufer, iners monitor, turpis fomenta medelae,

Meque sine proprio sectari praelia sensu.
Non ita me genitor praeclarus nomine Peleus
Aut dilecta Iovi fudit Thetis alma sub auras,
Degener ut lateam primaevo flore iuventae,
Maior et ignavo tantum mihi torpeat aetas,
Abstrudamque toris iam debita pectora castris,
Cum manus Argivûm victricia ludat in arma.
Denique cum promptum ruat in certamina vulgus,
Solus ego in cunctis infami carcere clausus
Subducar pugnae? quanto tolerabo pudore
Me non ferre pedem, quo fert Thersites, in omni
Parte miser, forma brevior, menteque fugaci.
Absit ab ingenio et viribus Aeacidarum,
Ut vitem pro laude mori metuamque supremum,
Quem das, Parca, diem: mihi nam lux amplior illa est,
Quae virtute cluit, quae nescit claustra sepulcri.
Namque hominis semper meritorum lege perenni,
Quam breviat fatum, propagat gloria vitam.
Ergo animus fidens in Dardana saeviat arma,
Nec mihi iam gemini dilectus pignoris obstet;
Deidamiam Pyrrhumque meos nunc Scyros habebit,
Visuros nostrum reditum celeremque triumphum.
Me pudor hortatur rapere in certamina gressus.
Ferre potes quaecumque, labans successibus aetas,
Exegi, observans matris praecepta verendae.
Induxi molles habitus velut edita virgo,
Lusimus et, tactis modulantes carmina chordis.
Virtuti adsurgat, fuerat quaecumque voluptas.
Succedat ferrum citharae: quod nutrit amores,
Depensum est Veneri. Reddamus cetera Marti!

Liber secundus.

696.

De Nino.

Ninus ab Assyriis sum primus regibus ausus,
Non modo finitimos populos regesque potentes
Imperio pressisse meo, sed viribus omnem
Paene Asiam domui, terraeque marique timendus.

697.

In Alexandrum Magnum.

Mille post annos quater atque centum
Graeciae vindex capit arma, mundi
Et superborum gravis arma regum
Diripit audax.
Ille non magno genitore magnus
Indiae reges Mediaeque, Parthos,
Bactra cum Poro Ecbatanosque parvo
Milite vicit.
Vincere ingentes animis et ausis,
Non docens gentes numero et metallo,
Vi celer, virtute valens, profundo
Pectore doctus.
Hoc magister te docuit ministrum,
Nam volens parere, regit deinde,
Poenitet tempus abiisse tantum
Absque Camena.
Scribit in pectus bona dicta rector,
Praecipit doctor pietate tota.
Sic Alexander simul et magister
Omnia vincunt.
Ast ubi totum tenuit sub uno
Orbem habens sceptro, sibi victus ipse
Corruit. Vicit Babylon triumpho
Te muliebri.
Sic Clitum ad Bacchi necat *udus* aram,
Sic deum temnit iuvenis protervus.
Ut duos et iam decem habens reliquit
Sceptra per annos.
Ter decem vixit iuvenis per annos
Additis tantum tribus aut duobus.
Vivus, exarsit; moriens, flagravit
Orbis in illo.
Non satis mundus fuit unus illi,
Nec satis quisquam fuit unus illi;
Maximus princeps sine fine: Baccho
Finis in ipso est!

698.

Cyrus.

Quantum fata valent atque inmutabilis ordo
Astrorum, docui Cyrus. Quem nulla domare
Vis potuit, non Astyages Babylonve superba,
Massagetis eadem me fata dedere tremendis.

699.

De Tomyri.

Quantum ego claruerim Mavortis in agmine, Cyrus
Ipse ferus novit. Qui, dum mea regna profanus
Spargapise insidiis rapto popularier audet,
Quam Tomyris turbata valet, cognovit in utre.

700.

Semiramis.

Ne stola te dubium teneat cultusque venusti
Corporis ambiguus, sum clara Semiramis, alto
Non minor ipsa viro, belli pacisque probatis
Artibus insignis; nato miserabilis uno.

701.

Alexander Magnus.

Magnus Alexander, bellisque horrendus et armis,
Qui terrore mei trepidantem nominis orbem
Usque sub Eoum parvo cum milite Gangen
Undique concussi, nulli sum laude secundus.

702.

Alexander Magnus.

Sufficit huic tumulus, cui non suffecerat orbis:
  Res brevis huic ampla est, cui fuit ampla brevis.

703.

Alexander Magnus.

Quisquis adhuc nondum fortunae mobile regnum,
  Nec sortem varias credis habere vices,
Adspice Alexandri positum memorabile corpus:
  Abscondit tantum putris arena virum.

704.

Myrina.

Inter Amazonidas, quas insula celsa Tritonis,
Hespera, progenuit, qui me nescire Myrinam
Dixerit, ignarum sese fateatur oportet
Eximiae laudis. Libyamque Asiamque subegi.

705.

Penthesilea.

Graiugenas acies superans passimque fugatas
Penthesilea premens, ulcisci nobilis umbram
Hectoris ipsa mei potui, ni dirus Achillis
Ille Neoptolemus me clam misisset ad Orcum.

706.

De Perdicca.

Eximius Perdicca fuit, qui corpore eburno
Fulgebat roseisque genis, cui lumina blandas
Fundebant flammas, crocei per colla capilli
Pendebant variosque dabant sibi saepe colores.
Fulvus poples erat, nitidus pes; omnia rident,
Quidquid habet iuvenis; solus vincebat Adonem.

707.

Miltiades.

Qui Persas bello vicit Marathonis in arvis,
  Civibus ingratis et patria interiit.
Πάντες, Μιλτιάδη, τὰ σ' ἀρήϊα ἔργα ἴσασιν·
  Πέρσαι καὶ Μαραθὼν σῆς ἀρετῆς τέμενος.

708.

Stesichorus.

Ops ego Stesichori Aetnaeis hic ossibus ossa
  Clausa tego vatis, cetera mundus habet.

709.

Sappho.

Tantum ego carminibus superavi Sappho puellas,
  Maeonides quantum vicerat ante viros.

710.

Reges Romani.

Romulus adgreditur regnum, qui condidit urbem;
Prima Remus quoniam moenia transit, obit.
Et Numa divinis inplevit cultibus urbem.
Tullius inventis fascibus arma ciet.
Ancus Aventinum montem superaddidit urbi.
Prisce, triumphali primus honore tumes.
Tullius invenit censum, Vulcania proles.
Tarquinius Sexti crimine pulsus abit.

711.

Romulus.

Hic, nova qui celsae fundavit moenia Troiae,
Urbem Romanam proprio de nomine dixit.
Infantem gelidi proiectum ad Tibridis undas
Uberibus foecunda piis Laurentia pavit.
Ausus finitimas praedari fraude Sabinas,
Fortem fortis humi prostravit Acrona duello.

712.

Scaevola.

Lictorem pro rege necans nunc Mucius ultro
Sacrifico propriam concremat igne manum.
Miratur Porsenna virum, poenamque relaxans
Maxima cum obsessis foedera victor init.
Plus flammis patriae confert, quam voverat armis,
Una domans bellum funere dextra suo.

713.

M. Furius Camillus.

Qui fuit en! patriae quondam spes ampla ruentis,
Hic Senonum propria domuit virtute furores,
Vicit et, opposito quos clausit Marte, Faliscos
Brachia fallaci religando in terga magistro.
Quidquid ubique truces bello valuere decenni,
Inclita, Veientes, accessit pompa triumpho.

714.

T. Manlius Torquatus.

Inclita Torquatae dedit hic cognomina genti.
Vir ferus, ante acies prostrati guttura Galli
Perfodiens gladio poscentis voce duellum,
Abstulit aurati pretiosa monilia torquis,
Consulis et Decii bello collega Latino
Victoris nati maculavit caede secures.

715.

P. Decius.

Hic est, qui vitam patriae devovit amatae.
Dum furor oppositos agitaret ad arma Latinos,
Scaevaque crudelem cecinissent classica pugnam,
Inter tela aciesque virûm cuneosque pedestres,
Candida sacrata religatus tempora vitta,
Ante aciem moriens hostilibus occidit armis.

716.

M'. Curius Dentatus.

Quid iuvat imperio populos rexisse potenti,
Fulvaque Mygdoniis ornasse palatia gemmis?
Quamquam civis inops, toto notissimus orbe
Hic fuit, egregio domuit qui Marte Sabinos.
Fregerit ipse licet ingentis robora Pyrrhi,
Pauperiem lato Samnitum praetulit auro.

717.

Lucius Quintius Cincinnatus.

Cui dedit hirsutus nomen venerabile cirrus,
Quintius hic ille est, rigidis animosus in armis.
Is quoque, dum curis sudans penderet aratro,
Ante boves meritum meruit dictator honorem.
Consulis obsessi partes defendit inertes,
Inde triumphalem conscendit agricola currum.

718.

Gaius Fabricius Luscinus.

Contentus modico tectique habitator egeni
Hic erat, et renuit devicti munera Pyrrhi,

Sprevit et oblatos, Samnitum munera, servos,
Respuit inmensi locupletia ponderis aera,
Horruit infamem scelerata fraude ministrum,
Pocula pollicitum regi miscere veneno.

719.

Q. Fabius Maximus.

[Vir fuit iste ferox, qui torvus fronte verenda]
Vir fuit egregius, belli praeclarus et armis.
Captivos modici, quamquam pauperrimus, agri
Exemit pretio Poenorum in vincula missos.
Is quoque cunctando nisi Punica fregerit arma,
Nulla foret Latiis Romana potentia terris.

720.

Nero Claudius.

Armorum virtute potens Nero Claudius hic est.
Coniunctus Livio Picentis ad arva Metauri
Prostravit Libycas memorando Marte cohortes.
Fortunate tui iuvenis metuende furoris,
Ausus es ignari iacere ad tentoria fratris
Cervicem Libyci media inter tela tyranni!

721.

M. Marcellus.

Tu primus Libycum Nolae sub moenibus hostem,
Insidiis periture suis Marcelle, fugasti,
Cumque Syracusii quondam raperetur honoris
Pompa tibi, Albano gessisti in monte triumphum.
Praedonum deprensa manu venerandaque multis
Luctibus heu! patrio caruerunt ossa sepulcro.

722.

Scipio.

Ille ego sum, patriam Poeno qui Marte cadentem
Sustinui, rapuique feris ex hostibus urbes
Spanas, Hannonisque acies magnumque Syphacem
Perdomui et fractum totiens armisque repulsum
Hannibalem, victorque ferox mihi regna subegi
Punica et excelsas altae Carthaginis arces.

723.

Scipio Africanus.

Luxuriantem animo Poenum ferroque ruentem
Urbis in excidium vix puber ad arma vocatis
Patribus edocui certa superarier arte
Posse olim. Invictae per nos Chartaginis arce
Insolitum subiere iugum. Victoria nostra est
Hanno et Iberus atrox coniunctique arma Syphacis.
Maxima cunctarum victoria victa voluptas!

724.

Scipio Africanus.

Devicto Hannibale et capta Carthagine et aucto
Imperio hoc cineres marmore tectus habes,
Cui non Europa, non obstitit Africa quondam,
Respice, res hominum quam brevis urna premit!

725.

Cn. Cornelius Cn. F. Scipio Hispanus.

Virtutes generis mieis moribus accumulavi.
Progeniem genui. Facta patris petiei.
Maiorum optenui laudem. ut sibe me esse creatum
Laetentur. Stirpem nobilitavit honor.

726.

Asdrubal.

Asdrubal hic situs est. Hic Africa tota triumphos,
Et spes Carthago condidit alta suas.
Mars gemit ad tumulum; tumulo decorata superbo
Italia extincti suspicit ossa ducis.
Tu quoque, Roma, doles; nam, dum cadit aemula virtus,
In te converti, quae geris, arma vides.

727.

Gaius Marius.

Et genus et nomen merui virtute feroci,
Rusticus Arpinas bellorum maximus auctor.
Effera post Numidae quam fregimus arma Iugurthae,
Cimbrica praeclaros geminavit pompa triumphos.
Exegi civile nefas civilibus armis,
Et me Sullani fregerunt arma furoris.

728.

Iugurtha.

Fratris caede madens, Numidarum rector iniquus,
Hostis item Romae, pulsus ab arce ruit.

729.

M. Cassius Scaeva.

Igne calens belli mediaque in caede cruentus,
Pompeiana phalanx patulis exire ruinis
Dum furit, et properat claustrorum frangere turres,
Scaeva ego Caesarei defendi culmina valli.
Dum timet Oceanus praeclari Caesaris arma,
Textum pampineae gessi sublime coronae.

730.

Gneius Pompeius.

Arma tuli quondam toto victricia mundo,
Qui pelago Cilicas et Pontica regna subegi.
Vis mea, quos profugas commoverat exul ad arma,
Bellorum virtute truces prostravit Iberos.
At me post soceri civilia bella cruenti
Dextera Septimii Phariis laceravit in undis.

731.

In Pompeios.

Iunxit magnorum casus fortuna virorum.
Hic parvo, nullo conditus ille loco est.
Ite, novas toto terras conquirite mundo;
Nempe manet magnos parvula terra duces.

732.

Epitaphium Pompeiorum.

Magne, premis Libyam: fortes, tua pignora, nati
Europam atque Asiam. Nomina quanta iacent!

733.

Item.

Quam late vestros duxit Fortuna triumphos,
Tam late sparsit funera, Magne, tua.

734.
Item.

Pompeius totum victor lustraverat orbem;
At rursus toto victor in orbe iacet.

735.
Item.

Membra pater Libyco posuit male tecta sepulcro;
Filius Hispana est vix adopertus humo;
Sexte, Asiam sortite tenes. Divisa ruina est;
Uno non potuit tanta iacere solo.

736.
Item.

Aut Asia aut Europa tegit aut Africa Magnum.
Quanta domus, toto quae iacet orbe, ruit!

737.
Item.

Maxima civilis belli iactura sub ipso est.
Quantus quam parvo vix tegeris tumulo!

738.
Item.

Alter Niliaco tumulo iacet, alter Ibero,
Tertius Eois partibus occubuit.
Omnis habet Magnos mundi plaga. Dis ita visum est.
Partem quisque suam nunc quoque victus habet.

739.
Item.

Patria, diverso terrarum litore Magnos
Spectas conpositos heu! sine nominibus,
Europaque Asiaque simul Libyaque sepultos.
Victores victa sic potiuntur humo.

740.
Item.

Diversis iuvenes Asia atque Europa sepulcris
Distinet. Infida, Magne, iaces Libya.

Distribuit Magnos mundo fortuna sepultos,
Ne sine Pompeio terra sit ulla suo.

741.

De sacris evocantibus manes Pompei.

Fata per humanas solitus praenoscere fibras,
Inpius infanda religione Sapor
Pectoris ingenui salientia viscera flammis
Inposuit. Magico carmine rupit humum,
Ausus ab Elysiis Pompeium ducere campis.
Pro pudor, hoc sacrum Magnus ut adspiceret!
Stulte, quid infernis Pompeium quaeris in umbris?
Non potuit terris spiritus ille premi.

742.

Pompeius et Cato.

Litore diverso Libyae clarissima longe
Nomina vix ullo condita sunt tumulo,
Magnus et humano maior Cato. Quam procul a te
Adspicis heu! cineres, Roma, iacere tuos!

743.

C. Crispus Sallustius.

. . . .
Et verba antiqui multum furate Catonis
Crispe, Iugurthinae conditor historiae.

744.

Cato.

Invictum victis in partibus, omnia Caesar
Vincere qui potuit, te, Cato, non potuit.

745.

Item.

Ictu non potuit primo Cato solvere vitam,
Defecit tanto vulnere victa manus.
Altius inseruit digitos: qua spiritus ingens
Exiret, magnum dextera fecit iter.
Opposuit Fortuna moram, involvitque Catonis,
Scires ut ferro plus valuisse, manum.

746.

Item.

Iussa manus sacri pectus violare Catonis,
Haesit et inceptum victa reliquit opus.
Ille ait infesto contra sua vulnera vultu:
Estne aliquid, magnus quod Cato non potuit?
Dextera quid dubitas? Durum est, iugulasse Catonem?
Sed modo liber erit; iam, puto, non dubitas.
Fas non est, vivo quemquam servire Catone,
Nedum ipsum: vincit nunc Cato, si moritur.

747.

Item.

Cerne hic ora sacri semper veneranda Catonis.
Libertate potens animoque invictus et armis,
Avius incerto peragravit tramite Syrtes.
Libertatis enim dulcedine captus avitae,
Ne sua servitio premerentur colla tyranni,
Fortia crudeli penetravit pectora ferro.

748.

Item.

Ne mirere sacri deformia busta Catonis:
Visuntur magni parva sepulcra Iovis.

749.

C. Iulius Caesar.

Sum genus Aeneadum, Gaius, cognomine Caesar
Iulius, Assyrium Cyrum Macetûmque ferocem
Qui iuvenem probitate animi, qui corporis acer
Viribus exuperans fueram, pater urbis et orbis.

750.

Item.

Ille hic magnanimus, qui claris arduus actis
Non timuit generum nec inertia signa senatus.
Ne sibi Gallorum raperetur pompa triumphi,
Intulit invitus per civica viscera ferrum.
Vis invicta viri reparata classe Britannos
Vicit, et hostiles Rheni compescuit undas.

751.

Item.

Caesar, ad imperium civili sanguine partum
Venisti, famulasque manus fortuna tetendit.
Ipsa tibi cessit tellus, et iussibus aequor
Paruit omne tuis. Verum invidiosa potestas
Et suspectus honos adimunt civilibus armis
Imperium vitamque tibi formidine regni.

752.

Item.

Germanos domui Caesar Gallosque potentes,
  Cesserunt signis omnia regna meis.
Et generum vici natosque ferumque Catonem,
  Imperioque fuit subdita Roma meo.
In tantis opibus me fors inimica peremit,
  Omnis et inmiti gloria sorte ruit.

753.

Item.

En adsum Caesar. Quis me praestantior armis?
Quis prior eloquio? Quis me clementior alter
Egregia pietate fuit? Quoscumque subegi,
Hos vici pietate magis quam fortis in armis.
Plus mecum fortuna fuit, plus omnibus uni
Quam mihi dii dederant. Gestis belloque refulsi,
Germanos domui populos Gallosque potentes
Atque tripartitum tenui sub fascibus orbem.
Deleri haud potuit virtus, non inclyta fama,
Haud paricida meum potuit restinguere nomen.
Qua rapitur Titan curru, qua vergitur axis,
Hac Zephyrus nostros referet per saecla triumphos.

754.

Octavianus Augustus.

In Macetûm campis ultus iam Caesaris umbras
Sum patris, Augustus belloque armisque superbus.
Iamque meos sensit fugiens Antonius enses.
Quantum ingens orbis, quantum Iovis alta potestas,

Tantus in orbe fui: terras pontumque subegi.
Vix coelum Superis et sidera summa reliqui.

755.
Item.

Quae mihi sancta, dabit grandes expromere laudes
Musa tuas: iam pauca canam. Tu Caesaris alti
Ultus es indignam memorando nomine mortem,
Actiaco et Pharias superasti in gurgite classes,
Tranquillumque tuis faciens virtutibus orbem
Clausisti reserata diu sua limina Iano.

756.
Item.

Solus habes, aquila corvos laniante, triumvir
Imperium, victusque tuis Antonius armis
Leucadio et regina freto; Ianumque bifrontem
Clausisti. Ac toto cum feceris otia mundo,
Teque audes conferre deo, te Livia sortis
Dicitur humanae tandem monuisse veneno.

757.
Item.

Iuppiter in coelis, Caesar regit omnia terris.

758.
Caesar Germanicus.

Parce, hospes, tumulo! Caesar Germanicus hic sum;
  Saepe etiam ignotis ipse dedi requiem.
Quod si quem tumuli nihil huius gratia tangit,
  Admoneat, patria fraude quod hic iaceo.
Sed iaceo, quamvis non vitae, at plenus honoris,
  Hoc uno ingratus, quod genui, patriae.
Testata est mores lacrimis plebesque patresque:
  Haec sunt sinceri iudicia ingenii.

759.
Tiberius.

Claudius egregie vixit privatus et insons
Imperiis, Auguste, tuis, simulataque virtus
. . . . . .

760.

Caligula.

In castris natus, patriis nutritus in armis,
Iam designati principis omen erat.

761.

Claudius Drusus Nero.

— ad divortia Rheni
Pervasi hostiles depopulatus agros.
Dum tibi, Roma, decus aeternaque sudo tropaea,
Ister pacatis lenior ibat aquis.

762.

In Claudii Caesaris victoriam Britannicam.

Ausoniis numquam tellus violata triumphis
Icta tuo, Caesar, fulmine procubuit,
Oceanusque tuas ultra se respicit aras.
Qui finis mundo est, non erat imperio.

763.

Victa prius nullo, iamiam spectata, triumpho,
Inlibata tuos gens iacet in titulos.
Fabula visa diu medioque recondita ponto,
Libera victori quam cito colla dedit!
Eufrates ortus, Rhenus recluserat Arctos,
Oceanus medium venit in imperium.

764.

Libera non hostem, non passa Britannia regem
Externum, nostro quae procul orbe iacet,
Felix adversis et sorte oppressa secunda,
Communis nobis et tibi, Caesar, erit.

765.

Ultima cingebat Tibris tua, Romule, regna;
Hic tibi finis erat, religiose Numa,
Et tua, Dive, tuum sacrata potentia coelo
Extremum citra constitit Oceanum.
At nunc Oceanus geminos interluit orbes.
Pars est imperii, terminus ante fuit.

766.

Mars pater! et, nostrae gentis tutela, Quirine!
Et magno positus, Caesar uterque, polo!
Cernitis ignotos Latia sub lege Britannos;
Sol citra nostrum flectitur imperium.
Ultima cesserunt adaperto claustra profundo,
Et iam Romano cingimur Oceano.

767.

Opponis frustra rapidum, Germania, Rhenum.
Eufrates prodest nil tibi, Parthe fugax.
Oceanus iam terga dedit, nec pervius ulli
Caesareos fasces imperiumque tulit.

768.

Illa procul nostro semota exclusaque coelo
Adluitur nostra victa Britannis aqua.

769.

Semota et vasto disiuncta Britannia ponto,
Cunctaque inaccessis horrida litoribus,
Quam pater invictis Nereus vallaverat undis,
Quam fallax aestu circuit Oceanus,
Brumalem sortita polum, qua frigida semper
Praefulget stellis Arctos inocciduis,
Conspectu devicta tuo, Germanice Caesar,
Subdidit insueto colla premenda iugo.
Adspice, confundat populos ut pervia tellus.
Coniunctum est, quod adhuc orbis et Urbis erat.

770.

Vespasianus et Titus.

I nunc et rebus fidas, Romane, secundis,
Cuncta brevi cum sint interitura dic.
Orbis delicias et, Titum et Vespasianum,
Terrarum dominos haec capit urna duos.

771.

Traianus.

Caesareos toto referens hic orbe triumphos,
Notus erat mundi quondam pietate gementis.

Inclytus extremos penetravit victor ad Indos
Belligerosque Arabas et Colchos sub iuga misit,
Armenia et Parthos pepulit Babylone subacta,
Et dedit Albanis regem, quos vicerat armis.

Versus ludicri cum in alios tum in Romanorum Caesares.

772.

In Lepidum et Plancum coss.

De Germanis, non de Gallis, duo triumphant consules.

773.

In Ventidium Bassum.

Concurrite omnes augures, aruspices!
Portentum inusitatum conflatum est recens.
Nam mulos qui fricabat, consul factus est.

774.

In Iulium Caesarem.

Non Bibulo quidquam nuper, sed Caesare factum est.
Nam Bibulo fieri consule nil memini.

775.

Item.

Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem.
Ecce, Caesar nunc triumphat, qui subegit Gallias.
Nicomedes non triumphat, qui subegit Caesarem.

776.

Item.

Urbani, servate uxores, moechum calvum adducimus.
Aurum in Gallia effutuisti; at hic sumsisti mutuum.

777.

Item.

Gallos Caesar in triumphum ducit, idem in curiam.
Galli bracas deposuerunt, latum clavum sumserunt.

778.

Item.

Brutus, quia reges eiecit, consul primus factus est.
Hic, quia consules eiecit, rex postremo factus est.

779.

In Sarmentum scurram.

Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud populus voluerat.
Digna dignis: sic Sarmentus habeat crassas compedes.
Rustici, ne nihil agatis, aliquis Sarmentum alliget.

780.

In Asinium Sempronium Rufum.

Ciconiarum Rufus iste conditor!
Hic est duobus elegantior Plancis:
Suffragiorum puncta non tulit septem.
Ciconiarum populus ultus est mortem.

781.

In Octavianum Augustum.

Cum primum istorum conduxit mensa choragum,
Sexque deos vidit Mallia sexque deas;
Inpia dum Phoebi Caesar mendacia ludit,
Dum nova Divorum coenat adulteria:
Omnia se a terris tunc numina declinarunt,
Fugit et auratos Iupiter ipse toros.

782.

Item.

Postquam bis classe victus naves perdidit,
Aliquando ut vincat, ludit adsidue aleam.

783.

In Germanicum.

Salva Roma, salva patria,
Salvus est Germanicus!

784.

In Tiberium.

Asper et inmitis: breviter vis omnia dicam?
Dispeream, si te mater amare potest.

785.

Item.

Non es eques. Quare? non sunt tibi millia centum:
Omnia si quaeras, et Rhodos exilium est.

786.

Item.

Aurea mutasti Saturni saecula, Caesar:
Incolumi nam te ferrea semper erunt.

787.

Item.

Fastidit vinum, quia iam sitit iste cruorem:
Tam bibit hunc avide, quam bibit ante merum.

788.

Item.

Adspice felicem sibi, non tibi, Romule, Sullam,
Et Marium, si vis, adspice, sed reducem,
Nec non Antoni, civilia bella moventis,
Nec semel infectas adspice caede manus:
Et dic, Roma perit; regnabit sanguine multo,
Ad regnum quisquis venit ab exilio.

789.

Item.

Ternos vetusti congios Falerni
Uno die, conviviis peractis,
Tubos per amplos viscerum refundens,
Hausit potentum Romuli nepotum
Frenator audax arbiterque regum,
Iovis tonantis armiger minando,
Bacchi pluentis cantharus madendo,
Late patentis imperator orbis,
Late aestuantis inrigator alvi.
Exinde plebs Quiritium vocavit
Non Claudium Tiberium Neronem,
Sed Caldium Biberium Meronem.

790.

In Neronem.

Quis negat Aeneae magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

791.

Item.

Dum tendit citharam noster, dum cornua Parthus,
Noster erit Paean, ille ἑκατηβελέτης.

792.

Item.

Roma domus fiet. Veios migrate, Quirites,
Si non et Veios occupat ista domus.

793.

In Othonem.

Cur Otho mentito sit, quaeritis, exul honore?
Uxoris moechus coeperat esse suae.

794.

In Domitianum.

Nuper Tarpeio quae sedit culmine cornix,
Est bene non potuit dicere: dixit, *Erit.*

795.

In Commodum Antoninum Diadumenum.

Commodus Herculeum nomen habere cupit,
Antoninorum non putat esse bonum.
Expers humani iuris et imperii,
Sperans quin etiam clarius esse deûm,
Quam si sit princeps nominis egregii.
Non erit iste deus, nec tamen ullus homo.

796.

In Alexandrum Severum.

Pulchrum quod vides esse nostrum regem,
Quem Syrum sua detulit propago,
Venatus facit, et lepus comesus.
De quo continuum capit leporem.

797.

Responsio Alexandri Severi.

Pulchrum quod putas esse vestrum regem
Vulgari, miserande, de fabella,
Si verum putas esse, non irascor:
Tantum tu comedas velim lepusclos,
Ut fias animi malis repulsis
Pulcher, ne invideas livore mentis.

798.

In Maximinum.

Et qui ab uno non potest occidi, a multis occiditur.
Elephas grandis est et occiditur,
Leo fortis est et occiditur,
Tigris fortis est et occiditur.
Cave multos, si singulos non times.

799.

In Diadumenum Antoninum, Macrini fil.

Vidimus in somnis, cives, (nisi fallor) et istud.
Antoninorum nomen puer ille gerebat,
Qui patre venali genitus, sed matre pudica;
Centum nam moechos passa est centumque rogavit!
Ipse etiam calvus moechus fuit, inde maritus.
En Pius, en Marcus: Verus nam non fuit ille.

800.

In Opilium Macrinum.

Histrio iam senior turpis, gravis, asper, iniquus,
  Inpius et *felix* sic simul esse cupit,
Ut nolit pius esse, velit tamen esse beatus.
  Quod natura negat, nec recipit ratio.
Nam Pius et Felix poterat dicique viderique:
  Imperium infelix est, erit ille sibi.

801.

Responsio Opilii Macrini.

Si talem Graium tetulissent fata poetam,
  Qualis Latinus gabalus iste fuit,
Nil populus nosset, nil nosset curia, magno
  Nullus scripsisset carmina tetra mihi.

802.

In Aurelianum.

Mille mille mille mille mille decollavimus,
Unus homo mille mille mille decollavimus.
Mille mille mille vivat, qui mille, occidit mille.
Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis.

803.

In Aurelianum.

Mille Francos, mille semel Sarmatas occidimus,
Mille mille mille mille mille Persas quaerimus.

804.

In Pescennium Nigrum.

Optimus est Fuscus, bonus Afer, pessimus Albus.

805.

Item.

Fundetur sanguis Albi Nigrique minantis.
Imperium mundi Poena reget urbe profectus.

806.

Item.

Cui dederint Superi, nomen habere Pii.

807.

Bis denis Italum conscendit navibus aequor,
  Si tamen una ratis transiliet pelagus.

808.

In Alexandrum Severum.

Te manet imperium coeli terraeque marisque.

809.

Item.

Te manet imperium, quod tenet imperium.

810.

In Pescennium Nigrum.

Terror Egyptiaci Niger adstat limitis ingens,
  Thebaidos socius, aurea secla volens.
Hunc reges, hunc gentes amant, hunc aurea Roma;
  Hic Antoninis carus et imperio.
Nigrum nomen habet; nigrum formavimus ipsi,
  Ut consentiret forma, metalle, tibi.

811.

In Aureolum.

Dona sepulcrorum victor post multa tyranni
Praelia. Iam felix Claudius Aureolum
Munere prosequitur mortali et iure superstes.
Vivere quem vellet, si pateretur amor
Militis egregii, vitam qui iure negavit
Omnibus indignis. Et magis Aureolo
Ille tamen clemens, qui corporis ultima servans
Et pontem Aureoli dedicat et tumulum.

812.

In Antoninum Pium.

Invicti veneranda ducis per secula vellent
Victrices Musae, Pallas, crinitus Apollo
Laeta serenifico defundere carmina coelo.
Intemerata malas hominum set numina fraudes
Iurgiaque, arcanis et perfida pectora curis
Fugere, Hadriani tamen ad pia secula verti
Ausa, per occultas remeant rimata latebras,
Ut spirent cautes ac tempora prisca salutent.
Sacra Mamertino sonuerunt praeside *signa:*
Tum Superûm manifesta fides. Stetit inclu*tus heros:*
Inachias sospes diti pede pressit harenas.
Namque inter celsi densata sedilia templi,
Incola quo plebes tectis effunditur altis,
Munera coelicolum — — —

813.

In Theodosium.

Martia Theudosium dominorum Roma parentem
Aetherio Divum venerans sacravit in orbe.

814.

Supra portam auream Constantinopoli.

Haec loca Theodosius decorat post fata Tyranni.
Aurea secla gerit, qui portam construit auro.

815.

Constantinopoli ad portam novam.

Theodosii iussis gemino nec mense peracto
Constantinus ovans haec moenia firma locavit.
Tam cito tam stabilem *quisquam* vix conderet arcem.

816.

In basi Obelisci Constantiniani in Circo Maximo Romano.

Patris opus munusque *suum* tibi, Roma, dicavit
Augustus *toto Constan*tius orbe recepto,
Et, quod nulla tulit tellus nec viderat aetas,
Condidit, ut claris exae*quet* dona triumfis.
Hoc decus ornatum genitor cognominis urbis
Esse volens, caesa Thebis de rupe revellit.
Sed gravior divum tangebat cura vehendi,
Quod nullo ingenio nisuque manuque moveri
Caucaseam molem discurrens fama monebat.
At dominus mundi Constantius, omnia fretus
Cedere virtuti, terris incedere iussit
Haut partem exiguam montis, pontoque tumenti
Credidit, et placido *vexerunt aequora flu*ctu
Litus ad Hesperium *Tiberi* mirante carinam.
Interea, Romam Taporo vastante tyranno,
Augusti iacuit donum studiumque locandi,
Non fastu spreti, sed quod non crederet ullus,
Tantae molis opus superas consurgere in auras.
Nunc, veluti rursus ru*fis* avulsa metallis,
Emicuit pulsatque polos: haec gloria dudum
Auctori servata suo, cu*m* caede tyranni
Redditur, atque aditu Ro*mae vir*tute reperto
Victor ovans urbi*que locat sublime* tropaeum
Principis, et munus condig*nis us*que triumfis.

817.

In latere Obelisci in Hippodromo Constantinopolitano.

Difficilis quondam dominis parere serenis,
Iussus et extinctis palmam portare tyrannis,

(Omnia Theodosio cedunt subolique perenni)
Ter denis sic victus ego domitusque diebus,
Iudice sub Proclo superas elatus ad auras.

818.

Marciano Imp.

Principis hanc statuam Marciani cerne torumque,
Ter eius vovit quod Tatianus opus.

819.

Appii Claudii consulis.

. . Aeneadum fastis ex ordine consul
. . sa progenies Claudius Appiadum.
. . ta Sabinillae dat dulci moenia natae
. . nus genitor de rude coepta solo.
. . noso mea Claudia lucis in aevo.
. . epidam pulchra anus in subolem.

820.

In Maevium

(qui tempore belli civilis fratrem ignarus interfecit.)

Venerat Eoum quatiens Antonius orbem,
Et coniuncta suis Parthica signa gerens,
Dotalemque petens Romam Cleopatra Canopo.
Hinc Capitolino sistra minata Iovi;
Hinc invicta deo fidebat Caesare Roma,
Quae tunc paene suo pondere lapsa fuit.
Deserta est tellus, classis contexerat aequor,
Omnia permixti plena furoris erant.
Fratribus heu! fratres, patribus concurrere natos,
Inpia sors belli fataque saeva iubent.
Hic generum, socerum ille petit; minimeque cruentus
Qui fuit, hic sparsus sanguine civis erat.
Maevius, a castris miles melioribus, ausus
Hostilem saltu praecipitare ratem,
In damnum felix et victor, ut inpius esset
Nescius, occiso fratre superbus erat.
Dum legit exuvias hostiliaque arma revellit,
Fraternos vultus oraque maesta videt.

Quod fuerat virtus, factum est scelus. Haeret in hoste
  Miles, et e manibus mittere tela timet.
Ille ferox: „Quid, lenta manus, nunc denique cessas?
  Iustius hoste tibi qui moriatur, adest.
Fraternam res nulla potest defendere caedem.
  Mors tua sola potest, morte levanda tua est.
Scilicet ad patrios referens spolia ampla penates,
  Ad patrem victor non potes ire tuum!
Sed potes ad fratrem, nunc fortiter utere telo.
  Inpius hoc telo es, hoc potes esse pius;
Vivere sic poteris? Potuisti occidere fratrem.
  Nescisti, sed scis: haec mora culpa tua est.
Viximus adversis, iaceamus partibus isdem.
  Dixit, et in dubio est, utrius ense cadat.
Ense meo moriar maculato caede nefanda?
  Cui moreris, ferrum, quo moriare, dabit.
Dixit; et in fratrem fraterno concidit ense.
  Victorem et victum condidit una manus.

821.

Item de eodem.

Siccine componis populos, fortuna, furentis,
  Ut vinci levius, vincere sit gravius?
Occisum credens gaudebat Maevius hostem:
  Infelix fratris vulnere laetus erat.
Nec licuit non nosse scelus; dum membra cruenta
  Nudat, in exuvias incidit ipse suas.
Et scelus et fratrem pariter cognovit, et amens
  Hoc age, ait, maius nunc tibi restat opus:
Vincere victorem debes, defendere fratrem.
  Cessas? ad facinus quam modo fortis eras!
Terram, iura, deos bellum iam polluit ipsum;
  Quod civile fuit, sic quoque culpa gravis.
His manibus patriae tu iam pia signa requiris
  Miles, in Antoni dignior ire rates?
Eripuit virtus pietatem, reddere virtus
  Debet; qua rapuit, hac reparanda via est.
Quid moror absolvi? dixit; gladioque cruento

Incubuit iungens fratris ad ora sua.
Sic, fortuna, regas semper civilia bella,
Ut victor victo non superesse velit!

822.

In Senarium.

Ille ego sum mundi quondam sine fine viator
Senarius, membris tumulo, non nomine clausus,
Principis invicti semper sublimis amore,
Cuius in orbe fui vox legum, lingua salutis,
Foederis orator, pacis via, terminus irae,
Semen amicitiae, belli fuga, litibus hostis.
Novit et hoc Oriens, hoc ultimus axis Iberi,
Hoc scit bruma rigens, scit et Africa solibus usta.
Bis denas et quinque simul legatio nostra
Signat in orbe vias et numquam strata labore.
Cursus erat volucer: namque anno pervigil uno
Bis maris Oceani, bis Pontica litora vidi,
Europamque Asiamque, secans duo limina mundi.
His etiam meritis sociavimus agmen honorum,
Aulica quippe comes rexi patrimonia clarus
Et mea patricio fulserunt cingula cultu.
Me pietas, me sancta fides, me fovit honestas.
Secla canant titulos: nam moribus astra tenemus.

823.

In Aniciam Faltoniam.

Consimiles fratrum trabeis gestamina honorum
Tertia, quae deerant, addidimus titulis.

— —

Dilectae Probus haec persolvo munera matri,
Restituens statuis praemia, quae dederat.

824.

Helpis, uxor Boethii.

Helpis dicta fui, Siculae regionis alumna,
Quam procul a patria coniugis egit amor.
Quo sine maesta dies, nox anxia, flebilis hora.
Nec solum una caro, spiritus unus erat.

Lux mea non clausa est tali remanente marito
  Maiorique animae parte superstes ero.
Porticibus sacris iam non peregrina quiesco,
  Iudicis aeterni testificata thronum.
Nulla manus bustum violet, nisi forte iugali
  Haec iterum cupiat iungere membra suo,
Ut thalami tumulique comes nec morte revellar,
  Et socios vitae nectat uterque cinis.

825.

Sexti Petronii Probi et uxoris Probae.

Sublimes quisquis tumuli miraberis arces,
  Dices, quantus erat, qui, Probus, hic situs est:
Consulibus proavis socerisque et consule maior,
  Quod geminas consul reddidit ipse domos.
Praefectus quartum tota dilectus in urbe,
  Sed fama emensus quidquid in orbe hominum est.
Aeternos heu! Roma, tibi qui posceret annos,
  Cur non vota tui vixit ad usque boni?
Nam cum sex denos mensis suspenderet annos,
  Dilectae e gremio raptus in aethra Probae.
Sed periisse Probum meritis pro talibus, absit,
  Credas, Roma, tuum, vivit et astra tenet.
Virtutis, fidei, pietatis, honoris amicus,
  Parcus opum nulli, largus at ipse fuit.
Solamen tanti coniux tamen optima luctus
  Hoc Proba sortita est, iungat ut urna pares.
Felix, heu! nimium felix, dum vita maneret,
  Digno iuncta viro, digna simul tumulo.

826.

Ludovici II. Lotharii Imp. F. Ludovici Nep. D. M.

Hic cubat aeterni Ludovicus Caesar honoris,
  Aequiparat cuius nulla Thalia decus.
Nam ne prima dies regno solioque vacaret,
  Hesperiae genito sceptra reliquit avus.
Quam sic pacifico, sic forti pectore rexit,
  Ut pueri brevitas vinceret acta senum.

Ingenium mireme, fidem cultusve sacrorum,
Ambigo, virtutes, an pietatis opus.
Hinc ubi firma virum mundo produxerat aetas,
Imperii nomen subdita Roma dedit,
Et Saracenorum crebras perpessa secures,
Libera tranquillam vexit ut ante togam.
Caesar erat coelo, populus non Caesare dignus:
Composuere brevi stamine fata dies.
Nunc obitum luges, infelix Roma, patroni,
Omne simul Latium, Gallia tota dehinc.
Parcite: nam vivus meruit tot praemia. Gaudet
Spiritus in coelis, corporis extat honos.

827.

Ataulphi Gothorum regis.

Bellipotens valida natus de gente Gothorum,
Hic cum sex natis, rex Atäulphe, iaces.
Ausus es Hispanas primus descendere in oras,
Quem comitabantur millia multa virûm.
Gens tua tunc natos et te invidiosa peremit,
Quos post amplexa est Barcino magna gemens.

828.

Henrici III. Imp.

Caesar, tantus eras, quantus et orbis,
At nunc exigua clauderis urna.
Posthac quisque sciat se ruiturum,
Et quod nulla mori gloria tollat.
O quanto premitur Roma dolore!
Tam claris subito patribus orba,
Infirmata prius morte Leonis,
Nunc, Auguste, tuo funere languet.
Florens imperii gloria quondam
Desolata suo Caesare marcet,
Hanc ultra speciem non habitura,
Quam tecum moriens occuluisti.
Leges a senibus rite statutas,
Quas elapsa diu raserat aetas,
Omnes, ut fuerant, ipse reformans

Romanis studuit reddere caussis.
Tu longinqua satis regna locosque,
Quos nullus potuit flectere Caesar,
Romanos onerans viribus artus,
Ad civile decus excoluisti.
Quae te non timuit patria vivum,
Aut quae non doluit, Caesar, obisse?
Sed quae te timuit patria vivum,
Haec te nunc doluit, Caesar, obisse.
Nam sic mitis eras iam superatis,
Et sic indomitis gentibus asper,
Ut qui non doluit, iure timeret,
Et qui non timuit, iure doleret.
Luge, Roma, tuum nomen in umbris,
Et defuncta tuo lumine luge.
Arcus frange tuos, sicque triumphum
De te, Roma, tuis hostibus aufer.

829.

In Valerium Proculum.

Hic bis praefectus patriae, praefectus et idem
Hic Libyae, atque idem Libyae proconsul, et ante
Ter vice qui sacra discinxit iurgia iudex,
Consul et aeterno decoravit nomine fastos.
Cetera quid memorem tanto sub iudice gesta,
Cum Proculum videas, totus qui natus honori est?
Collegium suariorum
Patrono praestantissimo.

830.

In Valerium Proculum.

Ille ego sum Proculus, totus qui natus honori:
Aut dic, quis sit honos, quem mihi inesse negas.
Collegium pistorum
Patrono praestantissimo.

831.

Dis Magnis.

Ulpius Egnatius Faventinus V. C. augur publicus populi romani Quiritium Pater et Hierocorax dei Solis,

invicti Mithrae, Archibuculus dei Liberi, hierofanta Hecatae, sacerdos Isidis, percepto taurobolio criobolioque Idibus Augustis dominis nostris Valente Augusto V. et Valentiniano Augusto consulibus feliciter.

Vota Faventinus bis deni suscipit orbis,
Ut mactet repetens aurata fronte bicornes.

832.

Optatus Cassius Optionis f.

Susceptum merito votum tibi, Mercuri, solvi,
Ut facias, hilares semper tua templa colamus.

833.

In Lucretiam.

Cum foderet ferro castum Lucretia pectus,
  Sanguinis et torrens egereretur, ait:
Procedant testes, me non favisse tyranno,
  Ante virum sanguis, spiritus ante deos.
Quam bene producti pro me post fata loquentur,
  Alter apud Manes, alter apud Superos.

834.

Virgilius.

Vate Syracosio qui dulcior, Hesiodoque
  Maior, Homereo non minor ore fluit.
Illius haec quoque sunt divini elementa poetae
  Et rudit in vario carmine Calliope.

835.

De libris Virgilii ab asino comestis.

Carminis Iliaci libros consumsit asellus:
  Hoc fatum Troiae est: aut equus aut asinus.

836.

In Virgilii Georgica.

Qualis bucolicis, quantus tellure domanda
Vitibus arboribusque satis pecorique apibusque
Aeneadum fuerit vates, tetrasticha dicent.
Contineat quae quisque liber, lege carmina nostra.

Liber primus.

Quid faciat laetas segetes, quae sidera servet
Agricola, ut facilem terram proscindat aratris,
Semina quo iacienda modo, cultusque locorum
Et messes docuit magno olim fenore reddi.

Liber secundus.

Hactenus arvorum cultus et sidera coeli,
Pampineas canit inde comas collesque virentes
Descriptasque locis vites et dona Lyaei
Atque oleae, et ramos pomorum ex ordine lectos.

Liber tertius.

Teque, Pales, et te, pastor memorande per orbem,
Et pecorum cultus et gramine pascua laeta,
Quis habitent armenta locis, stabulentur et agni:
Omnia divino monstravit carmine vates.

Liber quartus.

Protinus aerii mellis redolentia regna,
Hyblaeas et apes, alveorum cerea tecta,
Quique apibus flores examina quaeque legenda,
Indicat, humentesque favos, coelestia dona.

837.

In Aeneidem Virgilii.

Diruta quae flammis olim Maro Pergama dixit,
In flammas moriens iussit et igne dari.
Non tulit Augustus: rapuitque ex ignibus ignes
Et tristi e busto tot sacra busta ducum.
Quae vestra, o Teucri, Vulcanum iniuria laesit?
Neptunus certe dignior ultor erat.

838.

L. Annaei Senecae.

Cura, labor, meritum, sumti pro munere honores
Ite, alias posthac sollicitate animas.
Me procul a vobis deus evocat. Illicet actis
Rebus terrenis, hospita terra, vale.
Corpus avara tamen sollemnibus accipe saxis:
Namque animam coelo reddimus, ossa tibi.

839.

In M. Annaeum Lucanum.

Corduba me genuit, rapuit Nero. Praelia dixi,
Quae gessere pares hinc gener, inde socer.
Continuo numquam direxi carmina ductu,
Quae tractim serpant: plus mihi comma placet.
Fulminis in morem, quae sunt miranda, citentur.
Haec vere sapiet dictio, quae feriet.

840.

In Lucanum.

Grandia qui exiguis deducit facta figuris,
Ad Veneres abeat, nos tuba saeva iuvat.
Sanguine quae rubeant, Gradivum carmina placant.
De magnis nolim dicere parva viris.
Quos timeat clypeus, deposcunt praelia versus:
Ictus qui nullum vulnerat, hunc repeto.
Sed variis armis nunc servio Caesaris actis,
Nunc Magnum laudo, nunc Cato solus adest.
Sic volui patriae servire. Domestica bella
Qui vincit, laudis deterioris erit.

841.

In Statium.

Qui primo cecinit Thebas, mox orsus Achillem
Occidit, hac colitur Statius in statua.
Hunc genuit tali gavisa Neapolis ortu,
Ipsa Tholosa licet blateret esse suum.
Quod si vana suum contendat Gallia vatem,
Silvarum relegas, candide lector, opus.
Haec etiam genuit Stellam pariterque poetam,
Ne sit in hoc uno splendida Parthenope.

842.

Statii epitaphium.

Statius hic situs est, iuvenem quem Cypris ademit,
Praeconem Aeneae carmine quod premeret.

843.

De Serrano, Vegeto, Herogene.

Serranum Vegetumque simul iunctumque duobus
Herogenem, caros adspice Geryonas.
Esse putas fratres: tanta pietate fruuntur.
Immo neges: sic est in tribus unus amor.
Triga mihi paucos inter dilecta sodales,
Triga sodalitii pars bene magna mei.

844.

In commentarium L. Crassitii grammatici in Smyrnam C. Helvii Cinnae.

Uni Crassitio se credere Smyrna probavit.
Desinite, indocti, coniugio hanc petere.
Soli Crassitio se dixit nubere velle,
Intima cui soli nota sua extiterint.

845.

P. Terentius.

Natus in excelsis tectis Carthaginis altae
Romanis ducibus bellica praeda fui.
Descripsi mores hominum iuvenumque senumque,
Qualiter et servi decipiant dominos,
Quid meretrix, quid leno doli, quid fingat avarus.
Haec quicumque legit, sic, puto, cautus erit.

846.

In Fabium Dossennum.

Hospes resiste, et sophiam Dossenni lege.

847.

[*In Domitium Afrum.*]

Patroni barbara famam
Cuius Roma libris adserit
Amissos ornat titulis, en adspice iunctos
Quos habet incolumes, fovit amore pari.
Supremas error ne posset rumpere ceras,
Arte sua cavit, clausit operta fide.
Excipiet manes, sua qui sine lite reliquit,
Laudabit studium, cui tua cura cavet.

848.

De Boethio.

Maeonia et Latia lingua clarissimus et qui
Consul eram, hic perii missus in exilium.
Ecquid mors rapuit? Pietas me vexit ad auras.
Et nunc fama viget maxima, vivit opus.

849.

De Cornelio Celso.

Dictantes medici quandoque et Apollinis artes
Musas Romano iussimus ore loqui.
Nec minus est nobis per pauca volumina famae,
Quam quos nulla satis bibliotheca capit.

850.

In Curii Fortunatiani rhetoricam.

Quisquis rhetorico festinat tramite doctus
Ad leges et iura trahi, bene perlegat artis
Hoc opus, et notum faciet per compita callem.

851.

De aeternitate Carminum.

Nullum opus exsurgit, quod non annosa vetustas
Expugnet, quod non vertat iniqua dies,
Tu licet extollas magnos ad sidera montes,
Et solidas aeques marmore pyramidas.
Ingenio mors nulla nocet, vagat undique tutum.
Inlaesum semper carmina nomen habent.

852.

De Musarum perennitate.

Ut Venus in terris, in aquis dat iura Cupido,
Sic Musae memores servant per secula libros.
Sic comes armorum crescit per carmina fama,
Nec sinit aeternis occumbere scripta coronis.
Pallas amat Musas atque ornat laude Camenas,
Bellorum vivit placatis gloria Musis,
Et Veneris constant iuncta cum Pallade Musae
Imperio. Sic cuncta regit divina voluptas.

853.

Littera rem gestam loquitur. Res ipsa medullam
Verbi, quam vivax mens videt, intus habet.

854.'

De magistri ludi negligentia.

Indoctus teneram suscepit calculo pubem,
Quam cogat primas discere litterulas.
Sed cum discipulos nullo terrore coercet,
Et ferulis culpas tollere cessat iners:
Proiectis pueri tabulis Floralia ludunt.
Iam nomen ludi rite magister habet.

855.

Laus Virgilii.

Alter Homerus ero, vel eodem maior Homero,
Tot clades numero scribere si potero.

856.

De eodem.

Virgilium vatem melius sua carmina laudant,
In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet.
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

857.

Item.

Argumenta, locos, versus totumque poema
Virgilius rapuit Graio Romanus Homero,
Aeneasque locum magni sibi sumsit Ulixis.
Carthagoque fuit captis Phaeacia terris.
Barbarus interimit Pallanta hic Turnus, at illic
Dat leto insignem Patroclum maximus Hector.
At Turnum Aeneas Stygias dedit ire sub umbras.
Hectora magnanimum leto dat magnus Achilles.
Iurgia Drancis enim et Turni, lis illa molesta
Pelidae magni et late regnantis Atridae.
Singula ludorum posuit certamina uterque,
Nec mutavit enim quidquam, nisi forte quod, alter,
Quattuor in currus pandas dat ire carinas.

858.

Vetat Caesar Aeneidem comburi.

Ergone supremis potuit vox inproba verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes
Magnaque doctiloqui morietur Musa Maronis?
Ah scelus indignum! solvetur littera dives,
Et poterunt spectare oculi, nec parcere honori
Flamma suo, dignumque operi servare decorem?
Noster Apollo veta, Musae prohibete Latinae.
Liber et alma Ceres succurrite. Vester in armis
Miles erat, vester docilis per rura colonus.
Nam docuit, quid ver ageret, quid cogeret aestas,
Quid daret autumnus, quid bruma novissima ferret.
Arva reformavit, sociavit vitibus ulmos,
Curavit pecudes, apibus sua castra dicavit.
Haec dedit, ut pereant, ipsum si dicere fas est?
Sed legum est servanda fides; suprema voluntas
Quod mandat fierique iubet, parere necesse est.
Frangatur potius legum veneranda potestas,
Quam tot congestos noctesque diesque labores
Hauserit una dies, supremaque iussa parentis
Amittant vigilasse suum! Si forte furenti
Erravit in morte dolor, si lingua locuta est
Nescio quid titubante animo, non sponte, sed altis
Expugnata malis odio languoris iniqui,
Si mens caeca fuit: iterum sentire ruinas
Troia suas, iterum cogetur reddere poenas,
Ardebit miserae post vulnera vulnus Elissae?
Hoc opus aeternum ruet, et tot bella, tot enses
In cineres dabit hora nocens et perfidus error?
Huc huc Pierides nemorum per lustra loquaces
Tendite, et ardentes ignes fluvialibus undis
Mergite, ne pereat tam clari musa poetae,
Famaque vanescat. Vivat Maro clarus in orbe
Ingratusque sibi, sed quod male iusserat ipse,
Sit vetuisse meum. Sacer est post tempora vitae,
Sicque erit aeternum tota resonante Camena,

Carmen et imperii divi sub nomine vivat.
Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur.

859.

Argumentum omnium operum Virgilii.

Pastorum Musam vario certamine promit,
Ruris item docilis culturam carmine monstrat.
Arboribus vitem, prolem quoque iungit olivae,
Pastorumque Palen et curam tradit equorum.
Tunc apium seriem, et quae mellis dona, recenset.
Aeneas intrat profugus Carthaginis oras.
Convivis series narratur Troica belli.
Tertius at complet narrantis in ordine gesta.
Ardet amans Dido fatum sortita supremum.
Quintus habet varia tumuli spectacula patris.
Infernos Manes et Ditis regna pererrat.
In Latium Aeneas, Italas simul intrat in oras.
Intonat hinc bellum tecti de culmine Turnus.
Euryalum et Nisum deflet cum matre iuventus.
Mezenti interitus canitur post funera Lausi.
Ultaque dehinc fertur telo mactata Camilla.
Turni vita fugit infernas maesta sub umbras.

860.

Monosticha in XII. libros Aeneidos.

Aeneas primo Libyes adpellitur oris.
Funera Dardaniae narrat fletusque secundo.
Tertius errores canit amissumque parentem.
Uritur in quarto Dido flammasque fatetur.
Quintus habet ludos et classem corripit ignis.
Quaeruntur sexto Manes et Tartara Ditis.
Septimus Aenean reddit fatalibus arvis.
Praeparat octavo bellum, et quos mittat in hostes.
Nonus habet pugnas, nec adest dux ipse tumultus.
Occidit Aeneae decimo Mezentius ira.
Undecimo victa est non aequo Marte Camilla.
Duodecimo Turnus divinis occidit armis.

861.

Summa Virgilii.

Fervet amore Paris. Helenam rapit. Utitur armis
Graecia. Pugnatur. Diruta Troia iacet.
Exulat Aeneas. Fugit, aequora circuit, intrat
Italiam. Turnus vincitur. Alba manet.

862.

Argumenta in Aeneidem sub nomine Ovidii.

Praefatio.

Virgilius magno quantum concessit Homero,
Tantum ego Virgilio Naso poeta meo.
Nec me praelatum cupio tibi ferre poeta.
Ingenio si te subsequor, hoc satis est.
Argumenta quidem librorum prima notavi,
Errorem ignarus ne quis habere queat.
Bis quinos, legerent, feci, quos, carmine versus,
Aeneidos totum corpus ut esse putent.
Adfirmo gravitate mea, me crimine nullo
Livoris titulum praeposuisse tibi.

Primi libri.

Vir magnus bello, nulli pietate secundus,
Aeneas odiis Iunonis pressus iniquae,
Italiam quaerens Siculis erravit in undis;
Iactatus tandem Libyae pervenit ad oras,
Ignarusque loci fido comitatus Achate
Indicio matris regnum cognovit Elissae.
Quin etiam nebula septus pervenit ad urbem,
Abreptosque undis socios cum classe recepit.
Hospitioque usus Didus per cuncta benignae
Excidium Troiae iussus narrare parabat.

Secundi.

Conticuere omnes. Tunc sic fortissimus heros
Fata recensebat Troiae casusque suorum,
Fallaces Graios, simulataque dona Minervae,
Laucontis poenam et laxantem claustra Sinonem,
Somnum, quo monitus acceperat Hectoris, atrum,

Iam flammas coeli, Troum patriaeque ruinas
Et regis Priami fatum miserabile semper,
Inpositumque patrem collo, dextraque prehensum
Ascanium frustra a tergo comitante Creusa;
Ereptam hanc fato, socios in monte receptos.

Tertii.

Post eversa Phrygum regna ut fuga coepta moveri,
Utque sit in Thracen primo devectus, ibique
Moenia condiderit Polydori caede piata,
Regis et hospitium, ut Phoebi responsa canebant.
Coeptum iter in Creten, rursus nova fata reperta;
Naufragus ut fuerit Strophadas compulsus ad undas.
Inde fugam et dirae enarrat praecepta Celaenus,
Liquerit utque Helenum perceptis ordine fatis:
Supplicem Achaemenidem Polyphemo urgente recepit;
Amissumque patrem Drepani, atque hinc inde quievit.

Quarti.

At regina gravi Veneris iam carpitur igni.
Consulitur soror Anna, placet succumbere amori.
Fiunt sacra deis, onerantur numina donis.
Itur venatum. Veneris clam foedera iungunt.
Facti fama volat: monitus tunc numine divum
Aeneas classemque fugae sociosque parabat.
Sensit amans Dido, precibus conata morari.
Postquam fata iubent nec iam datur ulla facultas,
Conscenditque pyram dixitque novissima verba,
Et vitam infelix multo cum sanguine fudit.

Quinti.

Navigat Aeneas. Siculas defertur ad oras.
Hic manes celebrat patrios, una hospes Acestes.
Ludos ad tumulum faciunt, certamina ponunt.
Prodigio est cunctis ardens delapsa sagitta.
Iris anum Beroen habitu mentita senili
Incendit naves, subitus quas vindicat imber.
In somnis pater Anchises, quae bella gerenda,
Quoque duce ad Manes possit descendere, monstrat.

Transscribit matres urbi populumque volentem,
Et placitum Aeneas Palinurum quaerit in undis.

Sexti.

Cumas deinde venit, fert hinc responsa Sibyllae.
Misenum sepelit; mons servat nomen humati.
Ramum etiam, ante deum placato numine, portat,
Et vates longaeva una descendit Averno.
Agnoscit Palinurum et ibi solatur Elissam,
Deiphobumque videt lacerum crudeliter ora.
Umbrarum poenas discit narrante Sibylla.
Convenit Anchisen, penitusque in valle virenti
Agnoscitque suam prolem monstrante parente.
Haec ubi percepit, graditur sociosque revisit.

Septimi.

Hic quoque Caietam sepelit, tum deinde profectus
Laurentum venit. Hanc verbis cognovit Iuli
Fatalem terram. Mensis en vescimur, inquit.
Centum oratores veniam pacemque petentes
Ad regem mittit, lectos tum sorte, Latinum,
Qui cum pace etiam natae connubia pactus.
Hoc forte Alecto Iunonis dissipat ira.
Concurrunt dictis, quamvis pia fata repugnent.
Belli causa fuit violatus vulnere cervus.
Tum gentes socia arma parant: fremit arma iuventus.

Octavi.

Dat belli signum Laurenti Turnus ab arce,
Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium et doceat, quae causa petendi.
Aeneas divum monitis adit Arcada regem,
Evandrum, Arcadia profugum, nova regna petentem.
Accipit auxilium. Huic natum et socia agmina iungit
Evander. Pallas fatis comes ibat iniquis.
Iamque habilis bello et maternis laetus in armis
Fataque fortunasque ducum casusque suorum
Sortitus clipeo, divina intentus in arte est.

Noni.

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Iunonis monitu Turnus festinat in hostem.

Teucrorum naves Rutulis iaculantibus ignem
Nympharum in speciem divino numine versae!
Euryali et Nisi coeptis fuit exitus inpar.
Pugnatur. Castra Aeneadae vallumque tuentur.
Audacem Remulum dat leto pulcher Iulus.
Fit via vi. Turnus Bitian et Pandaron altum
Deiicit et totis victor dat funera castris.
Iamque fatigatus recipit se in castra suorum.

Decimi.

Concilium divis hominum de rebus habetur.
Interea Rutuli portis circum omnibus instant.
Advenit Aeneas multis cum millibus heros.
Mars vocat, et totis in pugnam viribus itur.
Interimit Pallanta potens in praelia Turnus.
Caeduntur que duces, cadit et sine nomine vulgus.
Subtrahitur pugnae Iunonis numine Turnus.
Aeneas perstat Mezenti caede piata,
Et Lausum invicta perimit per vulnera dextra.
Mox ultor nati Mezentius occidit ipse.

Undecimi.

Constituit Marti spoliorum ex hoste tropeum,
Exanimumque patri natum Pallanta remittit.
Iura sepulturae tribuit tempusque Latinis.
Evander patrios affectus edit in urbe.
Corpora caesa virum passim disiecta cremantur.
Legati referunt Diomeden arma negasse.
Drances et Turnus leges aequante Latino
Concurrunt dictis. Aeneas inminet urbi.
Pugnatur, vincunt Troes, cadit icta Camilla.
Deinde duces castris, donec cessere, minantur.

Duodecimi.

Turnus iam fractis adverso Marte Latinis
Semet in arma parat pacem cupiente Latino.
Foedus percutitur passuris omnia victis.
Hoc Turni Iuturna soror confundit, et ambos
In pugnam populos agit ementita Camertem.
Aenean, volucri tardatum membra sagitta,

Anxia pro nato servavit cura parentis.
Urbs capitur, vitam laqueo sibi finit Amata.
Aeneas Turnum campo praegressus utrimque
Circumfusa acie vita spoliavit et armis.

863.

Tetrasticha in omnia Virgilii opera.

In Bucolica.

Tityrus agresti modulatus carmen avena,
Formosumque pastor Corydon dilexit Alexin.
Silenumque senem sertisque meroque ligavit.
Pastorumque melos facili deduxit avena.

In Georgica.

Sidera deinde canit, segetes et dona Lyaei
Et pecorum cultus, Hyblaei mella saporis.
Principio breviter ventura volumina dixit,
Intercidit opus coepitque referre secunda.

In Aeneidem.

Libri primi.

Arma virumque canit mira virtute potentem,
Iunonis odio disiectas aequore puppes,
Hospitium Didus, classem sociosque receptos,
Utque epulas inter casus regina requirat.

Secundi.

Conticuere omnes. Infandos ille labores
Deceptamque dolis Troiam patriaeque ruinas
Et casus Priami docet et flagrantia regna,
Ignibus e mediis raptum deque hoste parentem.

Tertii.

Postquam res Asiae deceptaque Pergama dixit,
Tum, Polydore, tuos tumulos, tum Gnosia regna,
Andromachen Helenumque et vasta mole Cyclopas
Amissumque patrem Siculis narravit in oris.

Quarti.

At regina gravi Veneris iam carpitur igni,
Venatusque petit, capitur venatibus ipsa.
Et taedas, Hymenaee, tuas ad funera vertit,
Postquam Anchisiades fatorum est iussa secutus.

Quinti.

Interea Aeneas pelagus iam classe tenebat,
Ludorumque patris tumulum celebrabat honore,
Puppibus ambustis fundavit moenia Acestae,
Destituitque ratem media Palinurus in unda.

Sexti.

Sic lacrimans tandem Cumarum adlabitur oris,
Descenditque domus Ditis comitante Sibylla,
Agnoscit Troas caesos, agnoscit Achivos,
Et docet Anchises venturam ad sidera prolem.

Septimi.

Tu quoque littoribus famam, Caieta, dedisti.
Inpetrat Aeneas Latium regnumque Latinis,
Foedus agens, saevit Iuno bellumque lacessit,
Finitimosque viros Turnumque in praelia mittit.

Octavi.

Ut belli signum Turnus Mezentiaque arma
Conscivitque duces, tum moenia Pallantea
Aeneas adit Evandri socia agmina quaerens.
Arma Venus portat proprio Vulcania nato.

Noni.

Atque ea diversa dum parte, hic diva Cybebe
Puppes esse suas Nympharum numina iussit.
Euryali et Nisi caedes et fata canuntur,
Fecerit inclusus castris quae funera Turnus.

Decimi.

Panditur interea coelum coetusque deorum.
Iam redit Aeneas et Pallas sternitur acer.
Eripuit Iuno Turnum, Lausique parentem
Adiecit comitem mortis Cythereia proles.

Undecimi.

Oceano interea surgens Aurora videbat
Mezenti ducis exuvias caesosque sodales
Et Latium proceres Diomedis dicta referre,
Tum qualis pugnae succedat Etrusca Camilla.

Duodecimi.

Turnus ut infractos vidisset et undique caesos,
Ultro Anchisiaden bello per foedera poscit.
Quae Iuturna parat convellere, sed tamen armis
Occidit, et pactum liquit cum coniuge regnum.

864.

Epitaphium Virgilii.

Qui cineres? tumuli haec vestigia? Conditur olim
Ille hoc, qui cecinit pascua, rura, duces.

865.

In eundem.

Tristia fata tui dum fles in Daphnide Flacci,
Docte Maro, fratrem dis immortalibus aequas.

866.

Item.

De grege pasto, rure sato, duce nempe subacto
Nec lac, nec segetes, nec spolia ulla tuli.

867.

Pascua rusque canens peragraram, bella sequebar,
Nondum finieram Virgilius: perii.

868.

Silvas, rura, acies cecini. Mihi Mantua mater,
Nomen Virgilius, Parthenope tumulus.

869.

De morte Virgilii sub nomine Galli.

Temporibus laetis tristamur, maxime Caesar,
Hoc uno amisso, quem fleo Virgilium.
Sed vetuit relegi, si tu patiere, libellos,
In quibus Aeneam condidit ore sacro.
Roma rogat, precibus totus tibi supplicat orbis,
Ne pereant flammis tot monumenta ducum.
Atque iterum Troiam sed maior flamma cremabit;
Fac laudes Italum, fac tua facta legi,

Aeneamque suum fac maior nuncius ornet.
Plus fatis possunt Caesaris ora dei.

870.

De Scaeva, Rufino, Ati.

Occumbunt, fixi iaculo, mucrone, sagitta
Ora, latus, iugulum, Scaeva, Rufinus, Atis.
Brutus Atim perimit, Milo Scaevam, Cotta Rufinum,
Graecus Atis, Medus Scaeva, Rufinus Arabs.
Iam vir Atis, sed Scaeva puer, iuvenisque Rufinus,
Dux Atis, armiger at Scaeva, Rufinus eques.
Scaeva nothus, generosus Atis, de plebe Rufinus,
Magnus eques, medius dux, famulusque minor.
Flavus Scaeva, niger Atis, inter utrumque Rufinus,
Blandus Atis, patiens Scaeva, Rufinus atrox.
Absque modo largus, lascivus, parcus, avarus
Laudis Atis, formae Scaeva, Rufinus opum.
Arcu Scaeva bonus, Atis armis, iure Rufinus,
Voce Rufinus, Atis carmine, Scaeva lyra;
Scaeva pila cursuque Rufinus Atisque palaestra,
Ore Rufinus, Atis corpore, Scaeva coma.

871.

De venatore, qui serpentem calcavit imprudens, cum aprum excipit.

Sus, iuvenis, serpens casum venere sub unum.
Sus iacet ex ictu, serpens pede, virque veneno;

872.

Item.

Anguis, aper, iuvenis pereunt vi, vulnere, morsu;
Hic fremit, ille gemit, sibilat hic moriens.

873.

Item.

Sus, serpens, iuvenis pariter periere vicissim;
Dente perit iuvenis, pede serpens, porcus ab ictu.

874.

Item.

Cervus, aper, coluber non cursu, dente, veneno
Vitarunt ictus, Maioriane, tuos.

875.

Item.

Dente perit Lycabas, serpens pede, nigra veneno
Flumina avis calamo quo redimite lepus.

ANTHOLOGIAE LATINAE

TOMUS SECUNDUS.

Liber Tertius.

876.

In Graeciae ruinam.

Graecia bellorum longa succussa ruina
  Concidit, inmodice viribus usa suis.
Fama manet, fortuna perit; cinis ipse iacentis
  Visitur, et tumulo est nunc quoque sacra suo.
Exigua ingentis retinet vestigia famae,
  Et magnum infelix nil nisi nomen habet.

877.

In Athenas.

Quisquis Cecropias hospes cognoscis Athenas,
  Quae veteris famae vix tibi signa dabunt;
Hasne dei, dices, caelo petiere relicto?
  Regnaque partitis haec fuit una deis.
Idem, Agamemnonias, dices, cum videris arces:
  Heu victrix victa vastior urbe iaces!
Hae sunt, quas merito quondam est mirata vetustas.
  Magnarum rerum magna sepulcra vides.

878.

In urbem Romam.

Quisquis ad ista moves fulgentia limina gressus,
Priscorum hic poteris venerandos cernere vultus,
Hic pacis bellique viros, quos aurea quondam
Roma tulit coeloque pares dedit inclita virtus.
Grandia si placeant tantorum gesta virorum,
Pasce tuos inspectu oculos et singula lustra.

879.

De ruina urbis Romae.

Vix scio, quae fuerim, vix Romae Roma recordor,
Quae populo regnis moenibus alta fui.
Cesserunt arces, cecidere palatia divum,
Iam servit populus, degeneravit eques.
Quae fueram totum quondam celebrata per orbem,
Vix sinor occasus vel meminisse mei.

880.

Postquam militia et belli sudore vacabant
Romani, et nusquam bella vel hostis erat:
Desidia et luxu robur Romana iuventus
Perdidit. Hoc cecidit inclita Roma modo.

881.

Roma vetus, veteres dum te rexere Quirites,
Nec bonus immunis nec malus ullus erat.
Patribus extinctis successit prava iuventus,
Quorum consiliis praecipitata ruis.

882.

De ruinis villae Luculli.

Hic tibi surgebant celebres, Luculle, penates,
Pro quibus heu! vasta mole ruina iacet.
Ipse tamen paries priscae vestigia formae
Servat, et eversum grande superbit opus.
Omnia quae diro confringant dente, parabant
Exitium saxis tempora, fama negat.

883.

De villae Ruffinae fonte.

Rupe sub hac vaga lympha fui sine nomine, sed nunc
Ruffina e domini nomine lympha vocor.
Ille etenim sparsos latices collegit, et undas
Auxit et extructo fornice clausit aquas.

884.

In Asulam castellum.

Asula sum muris circumdata pulcra duobus,
Asula praestanti splendida facta manu.
Desine, dux belli, de me sperare triumphum.
Frange opus hoc: hominum pectora murus erunt.

885.

De Treveris.

Nini Semiramis, quae tanto conjuge felix
Plurima possedit, sed plura prioribus addit,
Non contenta suis nec totis finibus orbis
Expulit a patrio privignum Trebeta regno,
Insignem profugus nostram qui condidit urbem.

886.

De urbe Albingauno a Constantio Comite restaurata.

Constanti virtus studium victoria nomen
Dum recipit Gallos, constituit Ligures.
Moenibus ipse locum cinxit duxitque recenti
Fundamenta solo iuraque parta dedit.
Cives tecta forum portus commercia portas
Conditor extructis aedibus instituit.
Dumque refert orbem, me primam protulit urbem,
Nec renuit, titulos limina nostra loqui,
Et rabidos contra fluctus gentesque nefandas
Constanti murum nominis opposuit.

887.

Inscriptum statuae viri illustris.

Hic nunc Campanas moderator sublevat urbes,
Unde ergo et populi statuam tribuere Suessae.

888.

In ponte Salario in honorem Iustiniani Imp.

Quam bene curvati directa est semita pontis,
Atque interruptum continuatur iter.
Calcamus rapidas subiecti gurgitis undas,
Et libet iratae spernere murmur aquae.

Ite igitur faciles per gaudia vestra Quirites;
Et Narsim resonans plausus ubique canat.
Qui potuit rigidas Gothorum subdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre iugum.

889.
De fonte.

Quod blando facilem producit murmure somnum,
Quae cadit et tremulos efficit unda lacus;
Quod sumis puros haustus nitideque lavaris,
Instauratori gratia habenda Lupo.
Aes animumque suum spectans dic Romule, verum:
An minus hic pater est, quam Lupa mater erat?

890.
In ursum Togatum pilicrepum.

Ursus Togatus, vitrea qui primus pila
Lusi decenter cum meis lusoribus,
Laudante populo maximis clamoribus,
Thermis Traiani, thermis Agrippae et Titi,
Multum et Neronis, si tamen mihi creditis,
Ego sum. Ovantes convenite, pilicrepi,
Statuamque amici floribus, violis, rosis
Folioque multo, atque unguento marcido
Onerate amantes, et merum profundite
Nigrum Falernum aut Setinum aut Caecubum
Vivo ac volenti de apotheca dominica,
Ursumque canite voce concordi senem
Hilarem, iocosum, pilicrepum scholasticum,
Qui vicit omnes antecessores suos
Sensu, decore adque arte suptilissima.
Nunc vera versu verba dicamus senes:
Sum victus ipse, fateor, a ter consule
Vero patrono, nec semel sed saepius,
Cuius libenter dicor exodiarius.

891.
De circo.

Circus imago poli, formam cui docta vetustas
Condidit ad numeros limitis aetherei.

Nam duodeannigenas ostendunt ostia menses,
Quaeque meat cursim aureus astra iubar.
Tempora cornipedes, referunt elementa colores.
Auriga, ut Phoebus, quatuor aptat equos.
Cardinibus propriis includunt septa quadrigas,
Ianus vexillum qua iubet ire levans.
Ast ubi panduntur funduntque repagula cursus,
Unus et ante omnes cogitat ire prior,
Metarum tendunt circumdare cursibus orbes:
Namque axes gemini ortum obitumque docent.
Atque his euripus quasi magnum interiacet aequor,
Et medius centri summa obeliscus adit.
Septem etiam gyris claudunt certamina palmae,
Quod coelum stringunt cingula sorte pari.
Lunae biga datur semper, solique quadriga,
Castoribus simpli rite dicantur equi.
Divinis constant nostra spectacula rebus,
Gratia magna quibus crevit honore deûm.

892.

De thermis Alianarum.

Tranquillo Nymphae decurrite fluminis ortU.
Huc proba flagranti succedite numina PhoebO,
Rupibus excelsis ubi nunc fastigia surgunT,
Aequanturque polo totis praecelsa lavacrA
Sedibus. Hic magnis exardent marmora signiS,
Ardua sublimes praecingunt culmina thermaE,
Muneraque eximius tanti dat luminis auctoR
Unica continuae praenoscens praemia famaE.
Non hic flamma nocebo tandem, discite carmeN
Discite, vel quanto vivat sub gurgite lymphA.
Vandalicum hic renovat clarum de semine nomeN,
Sub cuius titulo meritis stat gratia factiS.

893.

Exultent Apono Veneti, Campania Baiis,
Graecia Thermopylis, his ego balneolis.

894.

In balnea Bellatoris.

Hic ubi Baiarum surrexit grata voluptas,
Et rudibus splendens molibus extat opus:
Rura prius nullum domino praestantia quaestum,
Nullaque tecta tulit glebula frugis inops.
Haec nunc. Bellator multo sublimis honore
Vestivit cameris balnea pulchra locans.
Prospera fata viri naturae munera mutant,
Cum salsum salubri litus abundat aqua.
Alpheum fama est dulcem per Tethyos arva
Currere nec laedi gurgitibus pelagi.
Dant simile exemplum nostri miracula fontis:
Vicinum patitur nec sapit unda salum.

895.

De thermis.

Delectat variis infundere corpora lymphis,
Ut mutare magis, saepe fluenta libet.
Nam ne consuetae pariant fastidia thermae,
Hinc iuvat alterno tinguere membra lacu.

896.

Tecta novem Phoebi nuper dicata Camenis
Nunc retinet Bacchus et sua tecta vocat.
Namque ubi tot veterum manserunt scripta virorum,
Hic potat laeta dulcia vina Cypris.
Cognato semper lustrantur numine sedes;
Quas coluit Phoebus, has colit et Bromius.

897.

De balneis.

Adspice fulgentes tectis et gurgite Baias,
Dant quibus haud parvum pictor et unda decus.
Namque gerunt pulchras splendentia culmina formas,
Blandaque perspicuo fonte fluenta cadunt.
Gaudia qui gemino gestit decerpere fructu
Et vita novit praetereunte frui,

Hic lavet, hic corpus reparans mentemque relaxans
  Lumina picturis, membra fovebit aquis.

898.

T. T. Coccei Gaa et Patiens quaestores III.

Mensam quadratam in trichila, abacum cum basi, horologium, labrum cum fulmentis marmoreis, puteale, crustas supra parietem itineris medii cum tegulis, columellam sub horologio, Tiburtina, protectum ante porticum, trutinam et pondera decurionum sententia posuerunt, et locum post maceriam ulteriorem emendum ustrinasque de consaepto ultimo in eum locum traiciendas, et iter ad eum locum, ianuamque beneficio et liberalitate Titi patroni faciendam curaverunt; idemque vitium pomorumque et florum viridiumque omnium generum seminibus ea loca, quae Titus patronus decurionibus suis adtribuerat, ex pecunia publica adornaverunt.

Sisenna Tauro L. Scribonio Libone cos.

Impensae causam, titulum qui perlegis, audi,
Et iustam, quaeso, pietatis percipe curam.
Quis vera, ut cupiant concorde vivere, mens est,
Hos animos spectent atque haec exempla sequantur.
Haec loca, dum vivent, libeat bene culta tueri,
Post obitumque suum tradant tum deinde futuris,
Ne deserta vacent ignotis devia busta,
Sed tuta aeterno maneant, si dicere fas est.

899.

Fausta novum domini condens Fortuna lavacrum
  Invitat fessos huc properare viros.
Laude operis fruitur capit et sua gaudia praesul,
  Hospes dulciflua dum recreatur aqua.
Condentis monstrant versus primordia nomen
  Auctoremque facit littera prima legi.
Lustrent pontivagi Cumani litoris antra,
  Indigenae placeant plus mihi deliciae.

900.

Quisquis Cumani lustravit littoris antra
Atque hospes calidis saepe natavit aquis,
Hic lavet, insani vitans discrimina ponti.
Baiarum superant balnea nostra decus.

901.

Flammea perspicuis coeunt hic lumina lymphis
Dantque novum mixti Phoebus et unda diem.
Denique succedit nostris lux tanta lavacris,
Ut cernas nudos erubuisse sibi.

902.

Infundit nostris Titan sua lumina Baiis,
Inclusumque tenet splendida cella iubar.
Subiectis caleant aliorum balnea flammis,
Haec reddi poterunt, Phoebe, vapore tuo.

903.

De balneis cuiusdam pauperis.

Vita opibus tenuis, sed parvo in cespite sollers
Fundavit gemino munere delicias.
Nam nova in angusto erexit balnea campo,
Edulibusque virens foetibus hortus olet.
Quae natura negat, confert industria paucis.
Vix sunt divitibus, quae bona pauper habet.

904.

De balneo Urbani.

Parvula succinctis ornavit iugera Baiis
Urbanus, callens fundere vita locos.
Hic quoque pomiferum coniunxit sedulus hortum,
Qui vario auctorem germine dives alat.
Rus gratum domino duplici iam munere constat.
Hinc capitur victus, sumitur inde salus.

905.

Una salus homini est, calidum captare lavacrum,
Ne tepidus reddat morbida membra vapor.

906.

De bono vitae humilioris.

Est mihi rus parvum, fenus sine crimine parvum:
Sed facit haec nobis utraque magna quies.
Pacem animus, nulla trepidans formidine, servat,
Nec timet ignavae crimina desidiae.
Castra alios operosa vocent sellaeque curules,
Et quidquid vana gaudia mente movet.
Pars ego sim plebis, nullo conspectus honore,
Dum vivam, dominus temporis ipse mei.

907.

Vive, et amicitias regum fuge. Pauca monebas.
Maximus hic scopulus, non tamen unus erat.
Vive, et amicitias nimio splendore nitentes,
Et quidquid colitur perspicuum, fugito.

908.

Ingentes dominos et famae nomina clarae
Illustrique graves nobilitate domos
Devita, et longe vivus fuge: Contrahe vela,
Et te littoribus cymba propinqua vehat.

909.

In plano tua sit semper fortuna, paresque
Noveris: ex alto magna ruina venit.
Non bene cum parvis iunguntur grandia rebus;
Stantia namque premunt, praecipitata ruunt.

910.

Vive et amicitias omnes fuge; verius hoc est,
Quam regum solas effuge amicitias.
Est mea mors testis; maior me adflixit amicus
Deseruitque minor. Turba cavenda simul.
Nam quicumque pares fuerant, fugere fragorem,
Necdum collapsam deseruere domum.
I nunc, et reges tantum fuge! Vivere doctus
Uni vive tibi: nam moriere tibi.

911.

Quod tua mille domus solidas habet alta columnas,
  Quod tua marmoreo ianua poste nitet,
Aurea quod summo splendent laquearia tecto,
  Imum crusta tegit quod pretiosa solum,
Atria quod circa dives tegit omnia cultus,
  Hoc animos tollit nempe, beate, tuos.
Aedibus in totis gemmae licet omnia claudant,
  Turpe est, nil domino turpius esse suo.

912.

Nil artes, nil pura fides, nil gloria linguae,
  Nil fons ingenii, nil probitas sine re.
Nullus inops sapiens; ubi res, ibi copia sensus.
  Res sapiunt, pauper nil nisi pauper erit.
Nec iam divitibus tollunt sua crimina numi,
  Sed quos lex damnat, gratia solvit opum.
Hinc est, quod populus aurum quasi numen adorans
  Audet in ignotum sponte venire nefas,
Speque lucri toties excedere ius et honestum
  Sustinet, ut gratis nunc iuvet esse reum.
Ius ruit, ordo perit, sceleri placet ora manusque
  Vendere; quamque inopem, tam pudet esse probum.
Non ergo mirum, si quisquam pravus et excors
  Divinos vates nullius esse putat.

913.

De vitae privatae commodis.

Ante rate e Siculo discurrent aequore pisces
  Et deerit Libycis putris arena vadis,
Ante nives calidis demittent fontibus amnes
  Et Rhodanus nullas in mare ducet aquas,
Ante mari gemino semper pulsata Corinthos
  Confundet fluctus pervia facta duos,
Ante feri cervis submittent colla leones
  Saevaque dediscet praelia torvus aper,
Medus pila geret, pharetras Romana iuventus,
  Fulgebit rutilis India nigra comis,

Quam mihi displiceat vitae fortuna quietae
 Aut credat dubiis se mea puppis aquis.

914.

De tabula.

Discolor ancipiti sub iactu calculus adstat
 Decertantque simul candidus atque rubens:
Et quamvis parili scriptorum tramite currant,
 Is capiet palmam, quem bona fata iuvant.

915.

In parte alveoli pyrgus velut urna resedit,
 Qui vomit internis tesserulas gradibus,
Sub quarum iactu discordans calculus exit
 Certantesque fovet sors variata duos.
Hic proprium faciunt ars et fortuna periclum,
 Haec cavet adversis casibus, illa favet.
Composita est tabulae nunc talis formula belli,
 Cuius missa facit tessera principium.
Ludentes vario exercent praelia talo,
 Russeus an nitidus praemia sorte ferat.
Pascitur a multis avide damnosa voluptas,
 Ne foedet gliscens otia segnities.
Hoc opus inventor nimium Palamedes amavit,
 Et parili excellens Mucius ingenio.

916.

De amphitheatro vicino mari.

Amphitheatrales mirantur rura triumphos,
 Et nemus insignes cernit adesse feras.
Spectat arando novos agrestis turba labores,
 Nautaque de pelago gaudia mixta videt.
Foecundus nil perdit ager, plus germina crescunt,
 Dum metuunt omnes hic sua fata ferae.

917.

De tabula.

Has acies bello similes cano, quas Palamedes
Constituit. Casu vario paribusque periclis

Inscius ac sollers sistentes: namque superbis
Vana supervacue crescunt mendacia buxis,
Et se sollertes punctis faventibus inflant.
En proceres Fridas sectae laurusque magister
Hac siduit similes mittuntur semper in imo.
Adque deus dedit se praefert inscius artis
Quid labor ingeniumque iuvat, cur pallidus extat
Atque iners dubitat? securus ludat amator,
Nummos quisquis habet; discedat lividus hospes,
Sed doctum iactans, quod si repertor adesset,
Princeps ac sollers, victum se saepe vocasset.
Adversis punctis doctum se nemo fatetur.
Vulnera plus crescunt punctis quam bella sagittis.

918.

De tabula picta.

Hunc, quem nigra gerens tabella vultu
Clarum linea quae more vis notavit,
Mox pictor varios domans colores,
Callenti nimium peritus arte
Formavit similem probante Vero
Ludentem propriis fidem figuris.
Ut quoscumque manu repingat artus,
Credas corporeas habere sensus.

919.

De desidia et labore.

Desidiam nolis, sed nec labor improbus omni
Adridet: dulce est inter utrumque nihil.
Ignavum scabies, luctantem iniuria perdit,
Ille sui, alterius perdidit iste decus.

920.

Elegia de fortunae vicissitudine.

Tempore qui laeto sortem ridemus amaram,
Certa velut stabiles non dea verset equos,
Cur iidem adverso laetam veneramur in aestu?
Ah mea tam bene quod cognita causa mihi est!
O qui carorum caput, o carissime quondam,

An potes et miseri nunc meminisse tui?
Est equidem in laetis nemo non promptus amicus;
Ipsa homini adversis umbra inimica sua est.
Tantalus infelix, (dicunt), conviva deorum
Nunc quoque apud manes victima sacra Iovi es.
Usque adeo poenas non delent ultima fata:
Qui cecidit divis, surgere nemo valet.
Scilicet et nobis, qui functo corpore nuper
Dura per antiqui busta fugamur avi,
Perfida felices ostendit regula divos,
Et voluit sanctis partem aliquam esse locis,
Non alio exemplo, nisi ut eruta turbine diro
Desereret media nos rota fracta viâ.
Ah mihi praeteritos referant si numina vultus
(Non etenim veterem, te, nova plaga, queror),
Ut facili amissos adblandiar ore favores,
Tura ferens dignis, carmina laeta, divis.
Ut gravis hiberno torrens de monte volutus
Obvia non magna arbuta verrit ope,
Saepe domos etiam, saepe addita moenia raptat,
Currens praecipiti per iuga longa viâ,
Sic simul atque uno nos abstulit inprobus ictu,
Mentem etiam et Musis pectora nota, furor.
Altus eram certe: sortis furor omnia vincit,
Obvius ut quisque est, tu mihi, clamo, veni!
Improbus est, quisquis non haec spectacula cernens
Fortuna instabili se quoque stare putat.
En ego nec caros habeo miserandus amicos,
A quibus auxilio verbave remve petam.
Unicus est, qui me non plane spernit egentem,
Cetera contemto supplice turba fugit,
Quid faciam infelix? Quae non nisi in omnibus uni est,
Sollicitem longo carmine saepe fidem?
Fracta fides crebro est precibus lugentis amici,
Hac tamen amissa non mage tristis ero?
Vos superi, et quorum es merito mihi numinis instar,
Quem numquam posthac spero videre, parens,
Unius in gremio spes nostra abiecta sodalis

Tabet et absentis perdita verba sonat.
Ille iuvet forsan, sed verba immensa locutis
Facta brevi constant non repetenda modo.
Scilicet in somnis quae poscunt plurima divos,
In fratrum auxiliis experietur inops.
Nos ubi praeteritis componimus orsa secuti
Temporis, his etiam credere fata vetant.
Interea rapit hora, nec est reparabilis, horam,
Nos lenta placuit tabe perire deo.
Ut pereunt miseri, quos vitae fructus ademptus
Deseruit, nulla post reparandus ope.
Tempore non illo Priamum periisse putabis,
Quo iacuit Teucro littore truncus iners,
Verum ut Thessalicis circum sua moenia funus
Hectoreum rapuit fortior hostis equis?
Non ea post ductos victo ex Oriente triumphos
Extinxit Magnum, quae tulit, hora, caput,
Illa illum extinxit, campis congressa Philippis
Caesarea populum quae ruit, hora, manu.
Scilicet hic vitae finis, qui finis honorum est,
Cumque sua pereunt prosperitate viri.
Sic quod heri vixi, quia iam nox altera praesto est,
Non illud tempus, quod modo duco, vocem.
Quaeque dies sibi vita sua est; cum transiit illa,
Hesternae non est lux hodierna memor.
Quare quem fructus vivendi, vita relinquit:
Nempe quid hoc dempto mors nisi moesta venit?
Undique quae laetis si se tristissima monstrat,
Quid miseris censes nolle parare mali?
Saepe ferunt venti, saepe est firmissima navis;
Mutarunt venti flamina, navis obit.
Dum cavet hos scopulos, alios incurrere nauta
Sentit, et est damno saevior arte suo.
Structa quid in magno sunt propugnacula saxo?
Humano maius saepe labore ferunt.
Internis calidus se spiritus ingerit antris,
Cum posita rupes sic gravis arce iacet.
Tuta nec in solido rerum fortuna favore est,

Cum minime credas, inpulit illa rotam.
Tum quoque cum nitido ridet placidissima vultu,
Turpis in adverso pectore fucus inest.
Elevat incautum, sperantem maxima nutu
Proiicit, adscendit cetera turba tamen.
Haec ego qui possum miseris miser ipse referre,
Non poteram dictis olim adhibere fidem,
Stulta quia et votis tam credula turba beata est,
Rideat ut miseri magna monentis opem.
Saepe mihi dixit Peligni Musa poetae,
Nunc ego mutata quod vice dico tibi.
Credite, quis fidum fortuna videtur asylum,
Non erit haec vobis, non fuit illa mihi.
Pendet ab axe suo vitae variabilis ordo,
Nulla sui certa est, hora nec ulla fuit;
Cumque nihil possit longi fuga mobilis aevi,
Se tamen hac semper mobilitate fugit.
Sed vitam incertam sequitur miserabile letum,
Humanas inter sola ea certa via est.
Stultus et indoctus, qui, cum non nesciat, illo
Eximi ab innumeris tempora lassa malis,
Hoc tamen extremo timet et fugit undique nisu,
Quod sequitur fortem, quod timidumque premit.
Vita tamen dulcis: quid si magis altera restat
Mors gravis? an scimus non graviore premi?
Altior at miseris cura est, dolor ossibus haeret.
Verba cadunt pulcre, pectora moeror edit.
Sic ego, qui medicas aliis dare molior herbas,
Nullius credam vulnera nostra manu,
Una sed in cunctis data sunt solatia curis,
Sustineant lapso quae mihi membra pede.
Nulla, licet tenuis linquat spiramina vitae,
Absque intervallo sors truculenta fuit:
Nempe quia est miseris aliquod quoque numen amicum.
Qui patitur, nullis spernitur ille deis.
Venit ubi ad summum, non progressura ruina est,
Sed stetit et retro est viribus acta suis.
Ipsa quoque e bustis extollier ossa videmus,

Cum patria coluit religione Nepos.
Diruta murali tormento saxa feruntur,
Erigit his alio moenia Marte labor.
Infelix quisquis nocet infelicibus umquam,
Hic meruit nullo tristia fine pati.
Omne quod hic cernis, tenuis modo corporis umbra est,
Vix macie exesis artubus ossa traho.
Varus aperta movet procul internodia poples,
Consedit genubus tractus ab ore tremor.
Sordibus et multo similis squalore sepultis
Vix inter vivos larva videnda vagor.
Non tamen hoc hostes, non hoc mala numina possint,
Ut valeat pronum nox pepulisse caput.
Anguibus Alcides et caesa languidus hydra
Non hostes timuit, grus homicida, tuos.
Briseis ut rapta est, amor atrum inclusit Achillem,
Non metus Hectoreae Memnoniaeve facis;
Ille sed extincto rediit vigor acer amico,
Reddidit ut iustus deposita arma dolor.
Me quoque sors mihi restituet moribundaque membra
Viribus ire suis splendida fata dabunt.
Tum trucis invidiae furiis ultricibus horrens
Involvam positis arma virumque malis.
Interea, ut libitum est, absentibus utere divis,
Livor, et in nostro gaudia quaere rogo.

921.

De ratione vitae constituendae.

Formula vivendi praesto est tibi. Pauca loquaris,
Plurima fac. Sit utrique comes modus, utile, pulchrum.
Sobrius a mensis, a lecto surge pudicus.
Obsequiis instes, ea pro te praemia poscant.
Ut decet ac prodest, et amabis et oderis idem.
Stans casum metuas, speres prostratus, et illum,
Quem colis in titulis, miserum abiectumque tuere.

922.

De universo.

Quod cernunt oculi, deus est: fons nempe deorum est,
Maiestas coeli vertitur orbe suo.
Terra gerit gremio sese coelique suoque
Et finem ingentis monstrat uterque globi.
At quae se pelago tradit natura videndam,
Luminibus dicit: non ego finem habeo.
Omnia me circum, super omnia fundit aquae lex,
Sic nusquam inmensi terminus Oceani est.
Hic oculos igitur rerum in primordia mittis,
Exspirant omnes hic numeri atque notae.
Nascitur hinc, quidquid moritur, retroque recedit,
Huc redit, aeterno quidquid in orbe perit.
Hoc perimit flammas elementum, alit, evocat, auget,
Omnis abest sapiens aque Thalete procul.

923.

In partes humani corporis.

Cor non laudo hominis: nam perfidum et exitiale.
Non laudo os: namque est vaniloquum et fatuum.
Non oculos: etenim sunt lusci oculi atque patrantes.
Non barbam: rufa est. Non cilia, haud cilia.
Non mihi laudanturque manus: hae namque rapaces;
Et non laudatur mentula: merdacea est.
Non nares: patulae; genua et non laudo: maligna.
Et non laudo pedes: pes geminusque fugax.
Non frontem: effrons est; non ventrem: gurgulionis.
Lumbos: elumbos; renem: ubicumque malus.
Non nomen calvitoris: nam est omine nomen
Tetrum, ut cor multis exitiale bonis.
Ecquid laudo igitur de hoc corpore? laudo capillos,
Tam foeda a calva qui modo profugerint.

924.

De funambulo.

Vidi hominem pendere cum via, cui latior erat
Planta quam semita.

925.

De electione coniugii.

Moribus et vultu mulier quaeratur habenda:
Horrida nam facies nullo celatur ab auro.
Si quis erit sponsus, talem qui ducat avarus,
Ipse suam horrebit: feritas dissolvet amorem.
Illa calens veniet, dorsum dabit iste calenti,
Cogeturque suo clunem submittere asello,
Concubitu turpi monstrum paritura biforme,
Quemque suum mater timeat contingere natum.
Discite, formosas aurum superare puellas.

926.

De Cythera.

Forte erat Aurorae tempus, Solisque quadriga
Fecerat adventu sonitum per nobile marmor
Adstantis pueri, cum te, mea bella Cythere,
Agnosco venientem, et tu mea limina grato
Introitu dignata rosas et lenis amomi
Delicias miras tecum adlicis, unde secutae
Palladis et frondes nulliusque inscia laurus.
Atria nostra virent et agunt in limine primo
Radicem platani, ad portam venit arbutus ipsam,
Felix multa arbos imitans umbracula Pindi,
Quam non delebit livor nec sera vetustas.
O iucunda nimis, tenui quae visa poetae,
Dum credis vitium, non auscultare Camenis.

927.

Qui splendere cupis claro tenuique lavacro,
Pontica succedas in balnea nobilis undae,
Quam nec Alexandri mater sub sole cadenti
Emeruit, non si varia se adspergine Gaii
Effundat per aperta latex e sedibus imis
Cum Syrio unguento, cui semper roscidus humor
Hic femora et suras et brachia molliter ambit,
Et rigat in pluviam, sensimque ad colla resultans

Tangit odore levi et grato spiramine nares,
Lenis et externas admittere nescius artes.
Huc ades, o Florens, et festa luce relaxa
Mentis onus nebulasque fuga, quae frontis honorem

928.

De luco amoeno.

Hic, Cytherea, tuo poteras cum Marte iacere:
Vulcanus prohibetur aquis, Sol pellitur umbris.

929.

De fortuitis casibus.

Omnia casus agit, fatum consulta sequuntur.
Cedamus fatis. Omnia casus agit.

930.

In diptycho.

Munera parva quidem pretio, sed honoribus alma.
Flavius Petrus Sableatus Iustinianus Vir illustris.

931.

Indica materies blandum certamen amicis
Offert, sed belli fert simulacra tamen.
Namque acie aequali concurrit russeus albo,
Ut gravibus damnis se domet alteruter.
Contorquet varios alternans tessera missus
Fataque ludentum collis et ima probant.
Pax et pugna simul ludo iunguntur in unum,
Cum victi spoliis victor amicus ovat.

932.

Elegia de spe.

Spes fallax, spes dulce malum, spes summa malorum,
Solamen miseris, qua sua fata trahunt.
Credula res, quam nulla potest fortuna fugare:
Spes stat in extremis officiosa malis.
Spes vetat aeternis mortis requiescere portis,
Et curas ferro rumpere sollicitas.

Spes nescit vinci, spes pendet tota futuris;
  Mentitur, credi vult tamen illa sibi.
Inproba, mentis inops, rebus gratissima laesis,
  Quas fovet et verti fata subinde docet.
Sola tenet miseros, invitos sola moratur,
  Sola perit numquam; nec perit, atque redit.
Saepe bono rursusque malo blandissima semper,
  Et quos decepit, decipit illa tamen.
Instabilis, dubio devexa ad tempora motu,
  Audax, et clausum quae putet esse nihil.
Omnia promittit nota levitate deorum,
  Nil fixum et casus admonet esse leves.
Naufragus hac cogente natat per feta procellis
  Aequora, cum mersas viderit ante rates.
Captivus duras illa solante catenas
  Perfert, et victus vincere posse putat.
Noxius infami districtus stipite membra
  Sperat et a fixa posse redire cruce.
Spem iussus praebere caput paloque ligatus,
  Cum micat ante oculos stricta securis, habet.
Sperat et in saeva victus gladiator arena,
  Sit licet infesto pollice turba minax;
Et cui descendunt iugulo tinctoria toto,
  Spem, quamvis lecto iam referatur, habet.
Spem recipit carcer foribus praeclusus ahenis,
  Spes et in horrendo robore parva manet.
Spes Marium movit turpi se credere limo,
  Et tantum furto vivere velle virum.
Haec illum Libyae penetrare in littora victae
  Iussit, et o superi, quis fuit ille dies,
Quo Marium vidit suppar Carthago iacentem!
  Tertia par illis nulla ruina fuit.
Spes Magnum profugum toto discurrere in orbe
  Iusserat et pueri regis adire pedes.
Spes uni numquam potuit dare verba Catoni,
  Mendacisque deae non tulit ille dolos.
Quid non spes audet? Priamo post Hectora mansit,
  Spes fuit uxori, Protesilāe, tuae.

Orpheus infernas speravit tollere leges,
Tartareum et cantu flectere posse canem.
Spe duce per medias enavit Daedalus auras
Et nova mirantes terruit ales aves.
Pasiphaë (quid non homini sperare libebit?)
Speravit torvo posse placere bovi.
Sperat, qui curvo sulcos perrumpit aratro,
Sperat, qui ventis vela ferenda dedit.
Spes hamis pisces, laqueo captare volucres
Erudit, haec orbem bella cruenta docet.
Spes sequitur gravibus rastris mala rura domantem,
In nova se nulla cum ratione parat.
Semper adulatur, semper malefida vagatur
Et populos, urbes totaque regna capit.
Desertos medicis spes numquam deserit aegros,
Confessi numquam spem posuere rei.
Spes est, quae classes diverso ex hoste coactas
Ducit; spes cupidos trudit in arma viros,
Et dicit: Dura, nec te praesentia vincant!
Fors varias mutat mobilitate vices.
Incerto ludit casu fortuna per orbem,
Et semper contra quae fugit atque redit.

933.

De vino et laetitia.

Vince mero curas, et quidquid forte remordet,
Comprime, deque animo nubila pelle tuo.
Nox, curam si prendit, alit: male creditur illi
Cura, nisi a multo marcida facta mero.

934.

Balnea, vina, Venus corrumpunt corpora nostra:
Sed vitam faciunt balnea, vina, Venus.

935.

De uvis.

Vindicat ipsa suos, quos pertulit, uva labores,
Quae, pede quod premitur, subtrahit ipsa pedem.

936.

Iratus recolas, quod nobilis ira leonis
In sibi prostratos se neget esse feram.

937.

Septem sapientium sententiae.

Optimus est, Cleobulus ait, modus, incola Lindi.
Ex Ephyra Periandre, doces cuncta et meditanda.
Tempus nosce, inquit Mitylenis Pittacus ortus;
Plures esse malos, Bias autumat ille Prieneus,
Milesiusque Thales sponsori damna minatur.
Nosce, inquit, tete, Chilon Lacedaemone cretus:
Cecropiusque Solon, ne quid nimis, induperavit.

938.

Monosticha de moribus.

Utilibus monitis prudens adcommodet aurem.
Non laeta extollant animum, non tristia frangant.
Dispar vivendi ratio est, mors omnibus una.
Grande aliquid caveas timido conmittere cordi.
Numquam sanantur deformis vulnera famae.
Naufragium rerum est mulier malefida marito.
Tu si animo regeris, rex es; si corpore, servus.
Proximus esto bonis, si non potes optimus esse.
Nullus tam parcus, quin prodigus ex alieno.
Audit, quod non vult, qui pergit dicere quod vult.
Non placet ille mihi, quisquis placuit sibi multum.
Iuri servitium defer, si liber haberis.
Vel bona contemni docet usus vel mala ferri.
Ex igne ut fumus, sic fama ex crimine surgit.
Inprobus officium scit poscere, reddere nescit.
Irridens miserum, dubium sciat omne futurum.
Mortis imago iuvat somnus, mors ipsa timetur.
Quanto maior eris, tanto moderatior esto.
Alta cadunt odiis, parva extolluntur amore.
Criminis indultu secura audacia crescit.
Quemlibet ignavum facit indignatio fortem.

Divitiae trepidant, paupertas libera res est.
Haud homo culpandus, quando est in crimine casus.
Fac quod te par sit, non alter quod mereatur.
Dissimilis cunctis vox, vultus, vita, voluntas.
Ipsum se cruciat, te vindicat invidus in se.
Semper pauperies quaestum praedivitis auget.
Magno conficitur discrimine res memoranda.
Terra hominis patria est, qua nascimur et tumulamur.
Aspera perpessu fiunt iucunda relatu.
Acrius adpetimus nova, quam iam parta tenemus.
Labitur ex animo benefactum, iniuria durat.
Tolle mali testes, levius mala nostra feremus.

939.

In garrulitatem.

Lingua brevis, brevitate levis, levitate movetur,
  Mobilitate loquax, garrulitate nocens.

940.

Postulatio muneris.

Sic tibi florentes aequaevo germine nati
  Indolis aetheriae sidere celsa petant;
Sic priscos vincant atavos clarosque parentes
  Exuperent meritis seclaque longa gerant;
Sic subolis numerum transcendat turba nepotum
  Nobilibusque iuges gaudia tanta toris.
Ne sterilem praestes indigno munere Musam,
  Utque soles, largus carmina nostra fove,
Imperiis ut nostra tuis servire Thalia
  Possit et in melius personet icta chelys.

941.

In malevolum.

Invisus tibi sum: peream, si, Maxime, miror.
  Odi te, et, si vis, accipe, cur faciam.
Famam tentasti nostram sermone maligno
  Laedere fellitis, invidiose, iocis.
Contra rem nuper pugnasti, livide, parvam;
  Tu tamen in magnis te nocuisse putas.

Hei peream, nisi sunt nimiae iam, Maxime, causae!
Odi, nec mentem res magis ulla iuvat.
Inque vicem ut facias, oro, pereoque timore,
Ne minus invisus sim tibi quam videor.

942.

Fenc Adrumentanus nostrum processit ad axem,
Et piceo gaudet corpore verna niger.
Quem nisi vox hominem labris emissa sonaret,
Terrerent visos horrida labra viros.
Dira, Adrumenta, tuum rapiant sibi Tartara monstrum;
Custodem hunc Ditis debet habere domus.

943.

De Aegyptio.

Exoriente die Noctis processit alumnus,
Sub radiis Phoebi solus habet tenebras.
Corvus, carbo, cinis concordant multa colori;
Quod legeris nomen, convenit Aethiopi.

944.

In clamosum Pygmaeum corpore et furiosum.

Corpore par querulis es vel clamore cicadis;
Hinc potior, quod te tempora nulla vetant.
Dum loqueris, quaerunt cuncti, vox cuius oberret,
Atque sonum alterius corporis esse putant.
Miramur, tantum capiant quae membra furorem,
Ut sit forma levis, clamor et ira gravis.

945.

Callidus Afer eris semper, Romane disertus,
Semper Galle piger, semper Ibere celer.

946.

De Arzugitano vate.

Praecisae silicis cautibus edite,
Silvestri iuvenis durior arbuto,
Trunco cum stupeas horridior, cupis
Formare propriis carmina versibus

Et metri variis ludere legibus.
Sed quis te docilem iudicet artium,
Quas natura dedit cordis acutior?
Solus ligna dolans fortibus asciis
Et duri resecans robora pectoris
Vatem te poterat reddere ligneum,
Qui vaccam trabibus lusit adulteris,
Vel qui struxit equum fraudis Achaicae.

947.

De lenone uxoris suae.

Graecule, consueta lenandi callidus arte,
Coepisti adductor coniugis esse tuae,
Et quem forte procax penitus conroserat uxor,
Consueras propria praecipitare domo.
Sed praetensa catus derisit retia quidam,
Teque tuis miserum depulit e laribus.
Solus vera probas iucundi verba poetae:
Cum iugulas hircum, factus es ipse caper!

948.

Ad lenonem comitiacum.

Militiae cultus et nigri tegmina panni
Cur magis exoptes, dissere, leno, mihi.
Exiguone tibi crescebat cellula quaestu,
Cum gravis adducta virgine saccus erat?
An nescis, populi fastum sibi tollere paucos,
Unde miser fisco paupere miles eget?
Effuge vitandos, si qua potes arte, labores,
Ut valeas tenso vivere, leno, pede.
Nam si formosas redeas lenare puellas
Et dederit quaestus quotidiana Venus,
Non iam miles eris humilis, sed divite numo
Fies militiae mox utriusque comes.

949.

In Martium cinaedum.

Quid prodest Martis nomen de nomine dictum,
Pruriat infami cum tibi clune Venus.

Sors fuerat melior, Cypridos ut nomen haberes,
Aut natura daret Martia membra tibi.
Nunc utroque carens ignoti fabula sexus;
Femina cum non sis, vir tamen esse nequis.

950.

De caballina meretrice.

Caballina furens, amanda nulli
Excussis modo calcibus fremebat,
Quae quamvis facie micet rubenti,
Et vibret Parium nitens colorem,
Hirsutis tamen est petenda mullis,
Qui possint pariles citare iunctas.

951.

De viro, quem mulier caedebat.

Cum te Barbati referas de sanguine cretum,
Ut tibi cognatus sit Varitinna ferox,
Cur tua femineo caeduntur tempora socco
Infamique manu barbula vulsa cadit?
Desine iam, tibimet auctores fingere fortes,
Vimque tuis membris stirpis inesse ferae.
Illa Salautensis magis est de stirpe creata,
Audet quae proprium sternere calce virum.

952.

De eunucho.

Quem natura marem dederat, fit femina ferro;
Nam tener inpubes viribus exuitur.
Hinc iuvenem cernis tanto sub robore mollem
Et dubii pulcher corporis extat homo.
Coniugibus cautis placita est monstrosa voluptas:
Fidus enim est custos, qui sine teste datur.

953.

De eunucho.

Incertum ex certo sexum fert pube recisa,
Quem tenerum secuit mercis avara manus.

Namque ita femineo eunuchus clune movetur,
Ut dubites quid sit, vir magis an mulier.
Omnem grammaticam castrator sustulit artem,
Qui docuit neutri esse hominem generis.

954.

De pantomimo.

Mascula femineo derivans pectora flexu
Atque aptans lentum sexum ad utrumque latus,
Ingressus scenam populum saltator adorat,
Sollerti spondens prodere verba manu.
Nam cum grata chorus diffundit cantica dulcis,
Quae resonat cantor, motibus ipse probat.
Pugnat, ludit, amat, bacchatur, vertitur, adstat,
Inlustrat verum, cuncta decore replet.
Tot linguae, quot membra viro: mirabilis ars est,
Quae facit articulos ore silente loqui.

955.

De citharoedo.

Musica contingens subtili stamina pulsu
Ingreditur, vulgi auribus ut placeat.
Stat tactu cantuque potens, cui brachia linguae
Concordant sensu conciliata pari.
Nam iura aequali amborum moderamine librat
Atque oris socias temperat arte manus,
Ut dubium tibi sit gemina dulcedine capto,
Vox utrumne canat, an lyra sola sonet.

956.

De funambulo.

Stuppea suppositis tenduntur vincula lignis,
Quae fido adscendit docta iuventa gradu.
Quae super aërius protendit crura viator
Vixque avibus facili tramite currit homo.
Brachia distendens gressum per inane gubernat,
Ne lapsa e gracili planta rudente cadat.
Daedalus adstruitur terras mutasse volatu

Et medium pinnis persecuisse diem.
Praesenti exemplo firmatur fabula mendax.
Ecce hominis cursus funis et aura ferunt.

957.

De citharoedo.

Doctus Apollineo disponere carmina plectro,
Gaudet multifidam pectore ferre chelyn,
Quam mox linguato percurrens pollice cogit,
Humanum ut possit chorda canora loqui.
Amphion cithara Thebarum moenia sepsit,
Aurita ad muros currere saxa docens.
Nec minus hac valuit repetitor coniugis Orpheus,
Inpia cum flexit Tartara dulcis amor.
Ars laudanda nimis, cuius moderamine sacro
Unum ex diversis vox digitique canunt.

958.

De basterna.

Aurea matronas claudit basterna pudicas,
Quae radians latum gestat utrumque latus.
Hanc geminus portat duplici sub robore burdo,
Provehit et modico pendula septa gradu.
Provisum est caute, ne per loca publica pergens
Fuscetur visis casta marita viris.

959.

De pyrrhicha.

In spatio Veneris simulantur praelia Martis,
Cum sese adversum sexus uterque venit.
Femineam maribus nam confert pyrrhicha classem
Et velut in morem militis arma movet.
Quae tamen haud ullo chalybis sunt tecta rigore,
Sed solum reddunt buxea tela sonum.
Sic alterna petunt iaculis clipeisque teguntur,
Nec sibi congressu vir nocet aut mulier.
Lusus habet pugnam, sed habent certamina pacem:
Nam remeare iubent organa blanda pares.

960.

De homine, qui per se molat.

Cum possis parvo sumptu conducere asellum,
Qui soleat teretes volvere rite molas,
Cur numi cupidus sic te contemnis, amice,
Ut cupias duro subdere colla iugo?
Linque precor gyros: poteris pistore ministro
Candentis quadrae munus habere sedens.
Per te namque terens Cererem, patiere labores,
Quos quaerens natam pertulit ipsa Ceres.

961.

De equa Philagri advocati.

Caussidicus pauper media sub nocte lucubrans
Cornipedis voluit terga fricare suae.
Sed cum corpus equae dextra famulante titillat,
Invasit iuvenem prodigiosa Venus.
Nam qua longa solet quadrupia carpere sessor,
Subducens durae pendula crura viae,
Hanc fovet amplexu molli, tergumque caballae
Adterit assidue pene fututor hebes.
Concubitus Cressa legitur quaesisse iuvenci,
Quam gravis ira deae iussit amare pecus.
Par crimen flammis nostris fors intulit annis:
Pasiphae tauro, Philager arsit equa.

962.

De eodem.

Defensor probe tristium reorum,
Cuius voce sacrum tonat tribunal
Et palmas capiunt lares virentes,
Cur post athla fori togaeque pompam,
Gaudens monstrifero calere luxu,
Vectricis propriae furens in usus,
Fessae cornipedis fricas meatum,
Verso et munere dignitatis optas
Admissarius esse quam patronus?
Expellas animo nimis, rogamus,

Mores inlicite libidinantes.
Horrendum vitium est in advocato,
Orando solitum movere caulas,
Subantis pecudis tenere gambas.

963.

De discipulo medici.

Discipulum medicus quidam suscepit adultum,
Traderet ut iuveni dogma salutiferum,
Qui primo ut iussum nosset tolerare magistri,
Publica selliferum per loca duxit equum.
Artis prolixae breviavit tempora doctor,
Incepto puerum reddidit Hippocratem.

964.

Votum de amore.

Sic tua sit, quamcumque tuam vis esse puellam,
Sic, quamcumque voles, mutuus ignis edat,
Sic numquam dulci careant tua pectora flamma,
Et sic laesuro semper amore vacent.

965.

Quod non severa carmina scribat.

Iam libet ad lusus lascivaque furta reverti.
Ludere, Musa, iuvat; Musa severa vale.
Nunc mihi narretur tumidis Arethusa capillis,
Nunc astricta comas, nunc resoluta comas,
Et modo nocturno pulsans mea limina signo,
Intrepidos tenebris ponere docta pedes;
Nunc collo molles circum diffusa lacertos
Ut flectat niveum semisupina latus,
Inque modos omnes, dulces imitata tabellas,
Transeat, et lateri pendeat illa meo.
Nec pudeat quidquam, sed me quoque nequior ipso
Exultet toto non requieta toro.
Non deerit, Priamum qui defleat, Hectora narret.
Ludere, Musa, iuvat. Musa severa vale.

966.

Excusatio severioris materiae.

Esse tibi videor demens, quod carmina nolim
Scribere patricio digna supercilio,
Quod Telamoniaden non aequo iudice victum
Praeteream et pugnas, Penthesilea, tuas;
Quod non aut magni scribam primordia mundi,
Aut Pelopis currus aut Diomedis equos,
Aut ut Achilleis infelix Troia lacertis
Quassata, Hectoreo vulnere conciderit.
Vos mare tentetis, vos detis lintea ventis,
Me vehat in tutos parva carina lacus.

967.

Insanus vobis videor, nec deprecor ipse,
Quo minus hoc videar. Cur tamen hoc videor?
Dicite nunc. Quod semper amas, quod semper amasti.
Hic furor, hic, Superi, sit mihi perpetuus!

968.

De ea, quae me amat.

Quaedam me, si credis, amat; sed dissilit, ardet
Non sic, non leviter, sed perit et moritur.
Dum fugiet, gratis quaedam simul atque rogabit,
Ostendam, quam non semper amatus amem.

969.

Ad Gallam.

Iuratum tibi me cogis promittere, Galla,
Ne narrem. Iura rursus et ipsa mihi,
Ne cui tu dicas (nimium est lex dura, remittam)
Praeterquam, si vis dicere, Galla, viro.

970.

Sic me custodi, Cosconia, neve ligata
Vincula sint nimium, neve soluta nimis.
Effugiam laxata nimis, nimis aspera rumpam.
Sed neutrum faciam, commoda si fueris.

971.

Semper munditias, semper, Basilissa, decores,
  Semper compositas arte decente comas,
Et comtos semper cultus unguentaque, semper
  Omnia sollicita comta videre manu
Non amo. Neglectim, mihi se quae comit, amica,
  Se det: inornata simplicitate valet.
Vincula nec cures capitis discussa soluti
  Et coram faciem: mel habet illa suum.
Fingere se semper non est confidere amori.
  Quid, quod saepe decor, cum prohibetur, adest?

972.

In recusantem.

Ante dies multos nisi te, Basilissa, rogavi,
  Et nisi praemonui, te dare posse negas.
Ut subito crevere, solent ex tempore multae
  Quam scriptae melius cedere deliciae.

973.

Cur differs, mea lux, rogata semper?
Cur longam petis advocationem?
Primum hoc artificis scelus puellae est.
Deinde est difficile et laboriosum,
In tentigine tam diu morari.
Nil est praeterea, puella, nil est.
Deprensa mel . . .

974.

De tinnitu auris ad Deliam.

Garrula quid totis resonas mihi noctibus auris?
  Nescio quem dicis nunc meminisse mei?
Hic quis sit, quaeris? resonant tibi noctibus aures,
  Et resonant totis. Delia te loquitur.
Non dubie loquitur me Delia; mollior aura
  Venit et exili murmure dulce fremit.
Delia non aliter secreta silentia noctis
  Submissa ac tenui rumpere voce solet,

Non aliter teneris collum complexa lacertis
Auribus admotis condita verba dare.
Agnovi: verae venit mihi vocis imago,
Blandior arguta tinnit in aure sonus.
Ne cessate, precor, longos gestare susurros.
Dum loquor haec, iam vos obticuisse queror.

975.

Sit nox illa diu nobis dilecta, Nealce,
Quae te prima meo pectore composuit;
Sit torus et lecti genius secretaque sponda,
Queis tenera in nostrum veneris arbitrium.
Ergo age duremus, quamvis adoleverit aetas,
Utamurque annis, quos mora parva teret.
Fas et iura sinunt veteres extendere amores:
Fac, cito quod coeptum est, non cito desinere.

976.
De divite formosa, generosa, inpudica.

Formosa es, fateor, dives, generosa, venusta.
Confitear, si vis, omnia. redde vicem.
Nempe parum casta es, nempe es deprensa: negabis?
Res venit ad lites; rursus et illa nego.
Dic potius: sed nempe semel, sed nempe puella;
Et cum deprensa quis nisi frater erat?
Frater erat? nihil est; fecit quod Iupiter. Illud
Sed, quod non fecit Iupiter, hoc facitis.

977.
Ad Cupidinem.

Lecto compositus vix prima silentia noctis
Carpebam, et somno lumina victa dabam,
Cum me saevus amor prensat, sursumque capillis
Excitat, et lacerum pervigilare iubet.
Tu, famulus meus inquit, ames cum mille puellas,
Solus, io solus, dure, iacere potes.
Exsilio et pedibus nudis tunicaque soluta
Omne iter expedio, nullum iter expedio.

Nunc propero, nunc ire piget rursumque redire
  Poenitet, et pudor est stare via media.
Ecce tacent voces hominum strepitusque viarum
  Et volucrum cantus turbaque fida canum.
Solus ego ex cunctis paveo somnumque torumque,
  Et sequor imperium, magne Cupido, tuum.

978.

Ad Deliam.

Te vigilans oculis, animo te nocte requiro,
  Victa iacent solo cum mea membra toro.
Vidi ego me tecum falsa sub imagine somni.
  Somnia tu vinces, si mihi vera venis.

979.

De malis aureis amatori ab amata missis.

Aurea mala mihi, dulcis mea Marcia, mittis,
  Mittis et hirsutae munera castaneae.
Omnia grata putem, sed, si, magis, ipsa venires,
  Ornares donum, pulchra puella, tuum.
Tu licet adportes stringentia mala palatum,
  Tristis mandenti est melleus ore sapor;
At si dissimulas, multum mihi cara, venire,
  Oscula cum pomis mitte, vorabo libens.

980.

De malis Matianis.

Haec poterant celeres pretio tardare puellas,
  Haec fuerant Veneri iudice danda Phryge.
Nam sic ingenuo flavescunt mala colore,
  Ut superent auro vera metalla suo.

981.

De malis Matianis. Laus.

His constat Veneri praelatae gratia formae,
  Haec moriente sacrum perdidit angue nemus.

982.

De malis Matianis. Vituperatio.

His contemta deum tenuit discordia mensam,
Prodidit atque urbem his Briseida suam.

983.

Ad Deliam.

Si Phoebi soror es, mando tibi, Delia, causam,
Scilicet ut fratri, quae peto, verba feras.
Marmore si Pario struxi tibi, Delphice, templum,
Et levibus calamis candida verba dedi:
Nunc si nos audis, atque es divinus Apollo,
Dic mihi, qui numos non habet, unde petat.

984.

De Hesperiae fascia.

Hoc sibi lusit opus de stamine floricolore
Hesperie, teneras officiosa manus,
Et pulchro pulchras strophio protecta papillas
Gaudet utrumque sui pectoris esse decus.

985.

Hesperie lateri redimicula nectit eburno
Facta suis manibus, pectore digna suo.
Iam veteres iras Venus et Tritonia ponit:
Pectora nam Veneris Palladis ambit opus.

986.

Intertexta rosa Tyrii subtemine fuci
Involvet quoties mobile zona latus,
Ambrosium gemino potabit ab ubere rorem,
Et vere roseo fiet odore rosa.

987.

Ad Laidem.

Formosissima Lai feminarum,
Dum noctis pretium tuae requiro,
Magnum continuo petis talentum.
Tanti non emo, Lai, poenitere.

988.

Ad Iuliam.

Me nive candenti petiit modo Iulia. Rebar
Igne carere nivem; nix tamen ignis erat.
Quid nive frigidius? Nostrum tamen urere pectus
Nix potuit, manibus, Iulia, missa tuis.
Quis locus insidiis dabitur mihi tutus amoris,
Frigore concreta si latet ignis aqua?
Iulia, sola potes nostras extinguere flammas:
Non nive, non glacie, sed potes igne pari.

989.

Ad Lydiam.

Lydia, bella puella, candida,
Quae bene superas lac et lilium
Albamque simul rosam rubidam
Aut expolitum ebur Indicum.
Pande, puella, pande capillulos
Flavos lucentes ut aurum nitidum.
Pande, puella, collum candidum
Productum bene candidis humeris.
Pande, puella, stellatos oculos
Flexaque super nigra cilia.
Pande, puella, genas roseas
Perfusas rubro purpurae Tyriae.
Porrige labra, labra corallina,
Da columbatim mitia basia:
Sugis amentis partem animi.
Cor mihi penetrant haec tua basia.
Quid mihi sugis vivum sanguinem?
Conde papillas, conde gemipomas,
Compresso lacte quae modo pullulant.
Sinus expansa profert cinnama,
Undique surgunt ex te deliciae,
Conde papillas, quae me sauciant
Candore et luxu nivei pectoris.
Saeva non cernis, quod ego langueo?
Sic me destituis iam semimortuum?

990.

O Roma nobilis orbis et domina,
Cunctarum urbium excellentissima,
Roseo martyrum sanguine rubea,
Albis et virginum liliis candida,
Salutem dicimus tibi per omnia,
Te benedicimus salve per saecula.

Petre, tu praepotens caelorum claviger,
Vota precantium exaudi iugiter!
Cum bis sex tribuum sederis arbiter,
Factus placabilis iudica leniter
Teque precantibus nunc temporaliter
Ferto suffragia misericorditer!

O Paule, suscipe nostra peccamina!
Cuius philosophos vicit industria:
Factus oeconomus in domo regia
Divini muneris appone fercula,
Ut, quae repleverit te sapientia,
Ipsa nos repleat tua per dogmata.

991.

O admirabile Veneris idolum,
Cuius materiae nihil est frivolum;
Archos te protegat, qui stellas et polum
Fecit et maria condidit et solum;
Furis ingenio non sentias dolum,
Clotho te diligat, quae baiulat colum.

Saluto puerum non per hypothesim,
Sed serio pectore deprecor Lachesim.
Sororum Atropos ne curet haeresim, (? sic)
Neptunum comitem habeas (perpetim?)
Cum vectus fueris per fluvium Athesim.
Quo fugis, amabo, cum te dilexerim?
Miser, quid faciam, cum te non viderim?

Dura materies ex matris ossibus
Creavit homines iactis lapidibus,
Ex quibus unus est iste puerulus,

Qui lacrimabiles non curat gemitus.
Cum tristis fuero, gaudebit aemulus,
Ut cerva fugio, cum fugit hinnulus.

992.

De amoris voluptate.

Foeda est in coitu et brevis voluptas,
Et taedet Veneris statim peractae:
Non ergo ut pecudes libidinosae
Caeci protinus irruamus illuc.
Nam languescit amor peritque flamma.
Sed sic, sic sine fine feriati,
Et tecum iaceamus osculantes.
Hic nullus labor est ruborque nullus,
Hoc iuvit, iuvat, et diu iuvabit,
Hoc non deficit incipitque semper.

993.

Accusare et amare tempore uno
Ipsi vix fuit Herculi ferendum.

994.

De cretata Sertoriae facie.

Dum cretam sumit, faciem Sertoria sumit.
Perdidit ut cretam, perdidit et faciem.

995.

De pueri amore.

Quid saevis, Sybari? domiti modo terga iuvenci
Quid premis et tenerum currere cogis equum?
Dum stupet ac novus est, et adhuc non novit amorem,
Parce: premendus erit, cum veteranus erit.

996.

De puero amato.

O sacros vultus Baccho vel Apolline dignos,
Quos vir, quos tuto femina nulla videt.
O digitos, quales pueri vel virginis esse,
Vel potius credas virginis esse deae.

Felix, si qua tuum corrodit femina collum,
  Felix, quae labris livida labra facit,
Quaeque puella tuo cum pectore pectora ponit
  Et linguam tenero lassat in ore suam.

997.

Pasiphaes fabula

(ex omnibus metris Horatianis.)

Filia Solis
Aestuat igne novo,
Et per prata iuvencum
Mentem perdita quaeritat.
Non illam thalami pudor arcet,
Non regalis honos, non magni cura mariti.
Optat in formam bonis
Convertier vultus suos
Et Proetidas dicit beatas
Ioque laudat, non quod Isis alta est,
Sed quod iuvenca cornua in fronte elevat.
Si quando miserae copia suppetit,
Brachiis ambit fera colla tauri,
Floresque vernos cornibus inligat
Oraque iungere quaerit ori.
Audaces animos efficiunt tela Cupidinis;
Illiceisque gaudet
Corpus includi tabulis, effigians iuvencam,
Et amoris pudibundi malesuadis
Obsequitur votis, et procreat (heu nefas!) bimembrem,
Cecropidae iuvenis quem perculit fractum manus,
Filo resolvens Gnosiae tristia tecta domus.

998.

De Marco filium amante.

Marcus amans puerum natum mentitur amare,
  Vultque pater dici, nescius esse pater,
Et pietate nefas et amorem velat amore,
  Se pietas umbram criminis esse dolet.
Nate! dies audit, nox et torus audit amice!

Et pro temporibus nomina mutat amor.
Stulte, quid ignaro non dicit Cynthia fratri?
Ne credas noctis furta latere diem.
Qui pater est, huic filius est: a lumine primo
Filius, a thalamis incipit esse puer.

999.

De Venere Praxitelis.

Praxitelis Venerem lapidosa per oscula multi
Stuprarunt: quin sub marmore viva fuit.
An mirum, hos gelido e saxo prodisse calores?
Mirare exustos lampade solis agros!

1000.

Ad aquilam.

Mitte, aquila, hunc puerum; mitte, inquam, si sapis, inquam,
Aut tibi per medium missile corpus agam.
Non mittis? Sed non moveor stridoribus ullis.
Quid gemis? at culpae est, ingemis? auctor Amor.
Mirus amor si credibilis volucrisque hominisque,
Sed quantum, oro, homini convenit et volucri!
Et si remigio alarum rostroque superba es,
O aquila, ast omni est alite maior homo.
Naturam accusa, quae corpus pectore dispar,
At qui dat dispar corpore pectus Amor.
Quidquid formosum est, penetrat, trahit, adripit ad se.
Nempe est de Veneris sanguine natus Amor.

1001.

De columbarum nido in galea.

Militis in galea nidum fecere columbae.
Adparet, Marti quam sit amica Venus.

1002.

In imaginem puellae formosae.

Cernitur hic, quidquid potuit natura deusque,
Delicias coeli parva tabella gerit.

1003.

In imaginem puellae.

Subrides si, virgo, faces iacularis ocellis,
Et tua nescio quo murmure labra sonant,
Cur non ora mihi iam dudum in verba resolvis?

— — — —

1004.

Dum semihiulco savio
Meum puellum savior
Dulcemque florem spiritus
Duco ex aperto tramite,
Animula aegra et saucia
Cucurrit ad labias mihi,
Rictumque in oris pervium
Et labra pueri mollia,
Rimata itineri transitus,
Ut transiliret, nititur.
Tum si morae quid plusculae
Fuisset in coetu osculi,
Amoris igni percita
Transisset et me linqueret;
Et mira prorsum res foret,
Ut ad me fierem mortuus,
Ad puerum ut intus viverem.

1005.

Epithalamium.

Ite, verecundo coniungite foedera lecto,
Atque Cupidineos discite ferre iocos;
Concordesque tegat cum maiestate benigna,
Quae regit Idalium, quae Cnidon alma regit.
Adliget amplexus tenerorum mater Amorum,
Constituat patres et cito reddat avos.

1006.

De Ursidio.

Cogitat Ursidius sibi dote iugare puellam:
Ut placeat domino, cogitat Ursidius.

Cogitat Ursidius heredem tollere parvum:
Ut placeat domino, cogitat Ursidius.
Cogitat Ursidius domino quacumque placere,
Virgine vel puero. Quam sapit Ursidius!

1007.

In Iulianum castratum.

Virginis insano Iulianus captus amore
Femina fit cultu dissimulatque virum,
Et sic indutus muliebriter intrat ad illam.
Res patet, abscindit membra pudenda pater.
Femina virque prius nec vir nec femina nunc est.
Fit neutrum, credi femina dum voluit.

1008.

Vervex et pueri puer unus, sponsa, maritus
Cultello, limpha, fune, dolore cadunt.

1009.

Senis poetae ad puellam.

Candida iam nostris aptentur colla lacertis,
Suspenso maneat poplite noster amor.
Lusibus optatis noctis luctemur in umbris,
Pervigiles laudet iam rubicunda dies.
Fulgidus ardenti iungatur sapphyrus auro,
Floribus in thalamos cincta cupressus eat.
Exultent nostro magnae certamine Nymphae,
Tactibus exultes tuque puella meis.

1010.

Puellae responsio.

Conspicuam primum speciem, quam fata bearunt,
Desine pompifero tu violare toro;
Absit ut albiplumem valeat calcare columbam
Inter tot niveas rustica milvus aves,
Nec rubeis carduus succrescat rure rosetis,
Lilia nec campis vana cicuta premat,
Nec miser eximiae cervae iungatur asellus,
Quem stimulis crebris sarcina saeva domat.

1011.

In senectutem amori inertem.

Utilis es nulli, cunctis ingrata senectus,
Te Stygio peperit cana Megaera deo.
Nil adeo firmum est, quod non tua robora frangant,
Arma, stilos, chartas, saxa, metalla, decus.
Carmina vivaci membranis illita suco
Annorum serie debilitata cadunt.
Ipsa, mihi pugnas quae nectere mille solebat
Aequales inter maxima dicta suas,
Numquam sueta nisi iugulato cedere ab hoste
Inque imis mortes quaerere visceribus,
Virgineis ambita choris, adamata puellis,
Quamque hostes etiam caram habuere sui,
Illa caput roseum florenti sandice cincta,
Languida caeruleo mentula victa situ est.

1012.

Sint tibi deliciae, sint ditis prandia mensae,
Munera post Bacchi sit tibi pulchra Venus;
Vincere nec libeat villosa beste rigorem,
Sed iungat calidum fervida virgo latus.

1013.

Verba amatoris ad pictorem.

Pinge, precor, pictor, tali candore puellam,
Qualem finxit Amor, qualem meus ignis anhelat.
Nil pingendo neges, tegat omnia serica vestis,
Quae totum prodat tenui velamine corpus.
Te quoque pulset amor, crucient pigmenta medullas,
Si bonus es pictor, miseri suspiria pinge.

1314.

Amans amanti.

Quicquid agis, formosa Venus, si nescis amanti
Ferre vicem, perit omne decus, dum deperit aetas.
Marcent post rorem violae, rosa perdit odorem,

Lilia post vernum posito candore liquescunt.
Haec metuas exempla, precor, et semper amanti
Redde vicem, quia semper amat, qui semper amatur.

1015.

Rescriptum.

Non redit in florem, sed munus perdit amantis,
Quicquid vile iacet: dulce est quodcumque negatur;
Nam si formosa facile penetratur amore,
Fecit adulterium et munus perdit amantis.

1016.

Arbor de se et Nympha.

Frondibus his spectanda meis haec forma virescit
  Frontibus: haec lacrimis gaudet amantis amans.
Si pictas volucres, miseros haec captat amantes,
  Tanta est his oculis Gratia, tanta Venus.

1017.

Hos habita lucos, errantem quisquis Amorem
  Quaeris: in hoc matris nunc cubat ille sinu.

1018.

Hos domino flores Amor educat almus amanti
  Perpetuasque dedit carpere delicias.

1019.

Gaudia quisquis amas, vernantes collige flores,
  Dum licet, et verno munere disce frui.

1020.

De rosis.

O quales ego mane rosas procedere vidi!
Nascebantur adhuc, neque erat par omnibus aetas.
Prima papillatos ducebat *tecta* corymbos,
Altera puniceos apices umbone levabat,
Tertia non totum calathi patefecerat orbem,
Quarta simul nituit mutato tegmine floris.

Dum levat una caput, dumque explicat altera nodum,
Huic dum virgineus pudor exsinuatur amictu,
Ne pereant, lege mane rosas: sic virgo senescit.

1021.

De rosa.

Aut hoc risit Amor, aut hoc de pectine traxit
Purpureis Aurora comis, aut sentibus haesit
Cypris et hic spinis insedit sanguis acutis.

1022.

De rosis.

Hortus erat Veneris roseis circumdatus herbis,
Gratus ager dominae; quem qui vidisset, amaret.
Dum puer hic passim properat decerpere flores
Et velare comas, spina libavit acuta
Marmoreos digitos; mox, ut dolor adtigit artus
Sanguineamque manum, tinxit sua lumina gutta.
Pervenit ad matrem frendens defertque querelas.
Unde rosae, mater, coeperunt esse nocentes?
Unde tui flores pugnare latentibus armis?
Bella gerunt mecum. Floris color et cruor unum.

1023.

Idyllium de rosa.

Ver erat, et blando mordentia frigora sensu
  Spirabat croceo mane revecta dies.
Strictior Eoos praecesserat aura iugales,
  Aestiferum suadens anticipare diem.
Errabam riguis per quadrua compita in hortis
  Maturo cupiens me vegetare die.
Vidi concretas per gramina flexa pruinas
  Pendere aut olerum stare cacuminibus,
Caulibus et patulis teretes colludere guttas
  Et coelestis aquae pondere tunc gravidas.
Vidi Paestano candere rosaria cultu
  Exoriente novo roscida Lucifero.
Rara pruinosis canebat gemma frutetis

Ad primi radios interitura die.
Ambigeres, raperetne rosis Aurora ruborem,
An daret et flores tingeret orta dies.
Ros unus, color unus et unum mane duorum:
Sideris et floris nam domina una Venus.
Forsan et unus odor, sed celsior ille per auras
Difflatur, spirat proximus iste magis.
Communis Paphie dea sideris et dea floris,
Praecipit, unius muricis esse habitum.
Momentum intererat, quo se nascentia florum
Germina disparibus dividerent spatiis.
Haec viret angusto foliorum tecta galero,
Hanc tenui folio purpura rubra notat;
Haec aperit primi fastigia celsa obelisci,
Mucronem absolvens purpurei capitis.
Vertice collectos illa exsinuabat amictus,
Iam meditans foliis se numerare suis.
Nec mora, ridentis calathi patefecit honorem
Prodens inclusi semina densa croci.
Haec modo, quae toto rutilaverat igne comarum,
Pallida collapsis deseritur foliis.
Mirabar celerem fugitiva aetate rapinam,
Et dum nascuntur, consenuisse rosas.
Ecce et defluxit rutili coma punica floris,
Dum loquor, et tellus tecta rubore micat.
Tot species tantosque ortus variosque novatus
Una dies aperit, conficit una dies.
Conquerimur, natura, brevis quod gratia florum est,
Ostentata oculis illico dona rapis.
Quam longa una dies, aetas tam longa rosarum,
Quas pubescentes iuncta senecta premit.
Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens sero vespere vidit anum.
Sed bene, quod paucis licet interitura diebus
Succedens aevum prorogat ipsa suum.
Collige, virgo, rosas, dum flos novus et nova pubes,
Et memor esto, aevum sic properare tuum.

Liber Quintus.

1024.

Versus in laudem solis.

Dum mundum natura potens terramque dicaret,
Sol dedit ipse diem ac horrentia nubila coelo
Dispulit et faciem roseo diffudit in orbe.
Pulchra serenigero fulserunt sidera motu,
(Nam chaos est sine sole dies) tum discere lumen
Coepimus et croceum coeli sentire teporem.
Gurgite de croceo surgunt ex more iugales,
Naribus elatis efflant e pectore lucem.
Sol rumpit tenebras; rutiloque ubi fulget ab ortu,
Spargit in aetherios flammantia lumina campos:
Hinc homines, armenta simul et semina rerum,
Alitis hinc pecudes vivit genus omne natantum,
Quod coelum, quod terra tenet, quod sustinet aequor.
Hinc calor infusus, totum qui continet orbem.
Cuncta patent, quaecumque tamen nox clauserit atra.
Mox silvae campique virent et florea rura.
Tunc placidum iacet omne mare et vernantibus undis
Flumina; per tremulos currit lux aurea fluctus.
Hic regit imperium mundi, hic tempora sancit,
Fluctibus hic nitidum tollit caput aethera in altum.
Mox tamen alipedum gemmantia lora rigescunt.
Aureus aequis inest currus, ardescit ab Euro
S ptio fulgens imitatur lumine Phoebi
c solus vicit orbe deus, quem cernere nobis
per florea rura
opus quod flamma gubernat
igne sua praestat cum lumine sensus
hinc vita redit, hinc cuncta reguntur.
que docet Phoenix istis reparata favillis,
Omnia Phoebeo vivescere corpora tactu;
Haec vitam de morte petit, post fata vigorem,
Nascitur, ut pereat; perit, ut nascatur ab igni,
Una cadit toties, surgitque ac deficit una,
Rupe sedet, capitur radiis, et lumine Phoebi
Suscipit immensum recidiva morte calorem.

1025.

De sole.

Sol, qui purpureo diffundit lumine terras.
Sol, cui vernantur tellus respirat odorem.
Sol, cui picta virent fecundo gramine prata.
Sol speculum coeli, divini numinis instar.
Sol semper iuvenis, rapidum qui dividis axem.
Sol facies mundi coelique volubile templum.
Sol Liber, Sol alma Ceres, Sol Iupiter ipse,
Sol labor et ribice, insunt cui nomina mille.
Sol, qui quadriiugo diffundit lumina cursu.
Sol et Hyperboreo fulget matutinus in ortu.
Sol reddit cum luce diem, cum pingit Olympum.
Sol aestas, autumnus, hiems, Sol ver quoque gratum.
Sol, cui mergenti servat maris unda teporem.
Sol seclum mensisque, dies, Sol annus et hora.
Sol globus aethereis, haec est lux aurea mundi.
Sol bonus agricolis, nautis quoque prosper in undis.
Sol repetit, quaecumque potest transcendere, semper.
Sol, cui sereno pallescunt sidera motu.
Sol, cui tranquillo splendescit lumine pontus.
Sol, cui cuncta licet rapido lustrare calore.
Sol mundi lucisque decus, Sol omnibus unus.
Sol, cui surgenti resonat liba blanda canorem.
Sol noctis lucisque decus, Sol finis et ortus.

1026.

De occasu solis.

Iam nitidum liquidis Phoebus iubar intulit undis,
  Emeritam renovans Tethyos amne facem,
Astra subit niveis Phoebe subvecta iuvencis,
  Mitis et aetherio labitur axe sopor.
Adludunt pavidi tremulis conatibus agni,
  Lacteolasque animas lacteus humor alit.

1027.

De nocte et conticinio.

Sera dedit Phoebo fugiente crepuscula vesper.
Conticuit mediam rerum confectio noctem.

Exoriens tenebris dilucula restituit sol.
Tempora sol revehit, nox cedit tempora delens:
Nox accensetur soli ceu luna diei.

1028.

Primus adest aries obscuro lumine labens,
Inflexoque genu proiecto corpore taurus,
Et gemini clarum iactantes lucibus ignem.
Aestifer est pandens ferventia sidera cancer.
Hunc subter fulgens cedit vis torva leonis,
Quem rutilo sequitur conlucens corpore virgo.
Exin proiectae claro cum lumine Chelae,
Ipsaque consequitur lucens vis magna Nepaï.
Inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum,
Post hunc ore fero capricornus vadere pergit.
Humidus inde loci conlucet aquarius orbe,
Exin squamiferi serpentes ludere pisces.

1029.

De planetis.

Sortitos celsi replicant amfractibus orbes.
Vicinum terris circumvolat aurea Luna.
Quam super invehitur Cyllenius. Alma superni
Nectareum ridens late splendet Cytherea.
Quadriiugis invectus equis Sol igneus ambit
Quartus et aetherias metas, quem deinde superne
Respicit Omnipotens. Sextus Phaethontius ardor
Suscipit excelsum brumali frigore sidus.
Plectricanae citharae septem discriminibus quos
Adsimilans genitor concordi examine iunxit.

1030.

Me legat, annales cupiat qui noscere menses,
Tempora dinumerans aevi vitaeque caducae.
Omnia tempus agit, cum tempore cuncta trahuntur.
Alternant elementa vices et tempora mutant.
Accipiunt augmenta dies noctesque vicissim.
Tempora sunt florum, retinet sua tempora messis.

Sic iterum spisso vestitur gramine campus.
Tempora gaudendi, sunt tempora certa dolendi,
Tempora sunt vitae, sunt tristia tempora mortis.
Tempus et hora volat: momentis labitur aetas.
Omnia dat, tollit minuitque volatile tempus.
Ver, aestas, autumnus, hiems, redit annus in annum.
Omnia cum redeunt, homini sua non redit aetas.

1031.

De XII. signis adversis in zodiaco.

Exurgens Chelas Aries demergit in ima.
Scorpion aurati submergunt cornua Tauri.
Dum subit Arcitenens Geminis surgentibus aequor.
Dum surgit Cancer, Capricornus mergitur undis.
Portitor urceoli formidat terga Leonis.
Virgo fugat Pisces, redit et victoria victis.

1032.

De planetis et eorum circulis.

Bissex signiferae numerantur sidera sphaerae,
Per quae planetae dicuntur currere septem.
Pollucis proles ter denis volvitur annis.
Fulmina dispergens duodenas lustrat aristas,
Bellipotens genitor mensem pensare bilibri.
In medio mundi fertur Phaethontia flamma
Ter centum soles, bis denos, adde quadrantem.
Ter senas partes plus his, Cytherea, retorques,
Lustrando totum praeclaro lumine mundum.
Terque dies ternos puro de vespere tollens
Semonis divi completur circulus anni.
Horas octo, dies ternos servato novenos,
Proxima Telluri dum curris, candida Phoebe.

1033.

Anni divisio.

Bis duo tempora sunt anno, menses duodeni,
  Hebdomadae decies quinque duaeque simul.
Ter centum decies senos cum quinque diebus

In se collectos quilibet annus habet.
Horae sunt centum per septem, mille per octo,
Sex per denarium, si numerando probes.

1034.

De quatuor temporibus anni.

Ver, aestas, autumnus, hiems sunt quatuor anni
Tempora, quae currus lustrat, Apollo, tuus.
Ver sua grana serit, fovet aestas semina, fota
Colligit autumnus, lecta recondit hiems.

1035.

In picturam quatuor temporum.

Carpit blanda suis ver almum dona rosetis.
Torrida collectis exultat frugibus aestas.
Indicat autumnum redimitus palmite vertex.
Frigore pallet hiems, designans alite tempus.

1036.

De quatuor anni tempestatibus.

Aestatis Maius Tauro primordia prodit,
Iunius aestivo Geminorum cardine surgit,
Iulius aestivas Cancro secat alter aristas.
Autumni caput Augustus parat ore Leonis.
Autumnas uvas September Virgine curat.
Libra sub Autumno Octobri dat semina sulco.
Scorpius innectit tempus brumale Novembris.
Arcitenens hiemis Capricorni sidere frigens.
Inducit Februo ver udus Aquarius urna.
Mars flores vernos nemori sub Piscibus edit.
Aprili vernante novans Aries micat annum.

1037.

Mensium descriptio.

Dira patet Iani Romanis ianua bellis.
Vota deo Diti Februa mensis habet.
Incipe Mars anni felicia fata reducti:

Tunc Aries Veneri lutea serta tegit.
Dulcia, Maie, tuis duces exagona Nonis.
Arce poli Geminos Iunius ecce locat.
Iulius ardenti devertit lumina soli
Aëre: flammigero cuncta Leone calent.
[Fervet Titanis Augustus caumate mensis,
September calido prosequiturque polo.]
Poma legit Virgo maturi mitia Solis,
Fundit at October vina Falerna lacis.
Aret tota soli species vi dura Nepaï.
Ude December, amat te genialis hiems.

1038.

In eorundem mensium picturas.

Ianuarius.

Hic Iani mensis sacer est. En adspice, ut aris
Tura micent, fumant ut pia tura Lares.
Annorum seclique caput, natalis honorum,
Purpureos fastis qui numerat proceres.

1039.

Februarius.

At quem caeruleus nodo constringit amictus,
Quique paludicolam prendere gaudet avem,
Daedala quem iactu pluvio circumvenit Iris,
Romuleo ritu februa mensis habet.

1040.

Martius.

Cinctum pelle lupae promptum est cognoscere mensem.
Mars olli nomen, Mars dedit exuvias.
Tempus vernum hoedus petulans et garrula hirundo
Indicat et sinus lactis et herba virens.

1041.

Aprilis.

Contectam myrto Venerem veneratur Aprilis.
Lumen turis habet, quo nitet alma Ceres;
Cereus et dextra flammas diffundit odoras.
Balsama nec desunt, quis redolet Paphie.

1042.
Maius.

Cunctas veris opes et picta rosaria gemmis
  Liniger in calathis, adspice, Maius habet.
Mensis Atlantigenae dictus cognomine Maiae:
  Quem merito multum diligit Uranie.

1043.
Iunius.

Nudus membra dehinc solares respicit horas
  Iunius, ac Phoebum flectere monstrat iter.
Lampas maturas Cereris designat aristas,
  Floralesque fugas lilia fusa docent.

1044.
Iulius.

Ecce coloratos ostentat Iulius artus,
  Crines cui rutilos spicea serta ligant.
Morus sanguineos praebet gravidata racemos,
  Quae medio Cancri sidere laeta viret.

1045.
Augustus.

Fontanos latices et lucida pocula vitro
  Cerne ut demerso torridus ore bibat.
Aeterno regni signatus nomine mensis,
  Latona genitam quo perhibent Hecaten.

1046.
September.

Surgentes acinos, varias et praesecat uvas
  September, sub quo mitia poma iacent:
Captivam filo gaudens religasse lacertam,
  Quae suspensa manu mobile ludit opus.

1047.
October.

Dat prensum leporem cumque ipso palmite foetus
  October; pingues dat tibi ruris aves.

Iam Bromios spumare lacus et musta sonare
  Adparet. Vino vas calet ecce novo.

1048.

November.

Carbaseo post hunc artus indutus amictu,
  Memphidos antiquae sacra deamque colit.
A quo vix avidus sistro compescitur anser,
  Devotusque sacris incola Memphidiis.

1049.

December.

Annua sulcatae coniecta en semina terrae
  Pascit hiems, Pluvio de Iove cuncta madent.
Annua nunc revocet Saturno festa December.
  Nunc tibi cum domino ludere, verna, licet.

1050.

Mensium pictura.

Fulget honorificos indutus mensis amictus,
  Signans Romuleis tempora consulibus.
Rustica Bacchigenis intentans arma novellis
  Hic meruit Februi nomen habere dei.
Martius in campis ludens simulacra duelli
  Ducit Cinyphii lactea dona gregis.
Sacra Dioneae referens sollemnia matri
  Lascivus crotalis plaudit Aprilis ovans.
Maius Atlantiados gnatae dignatus honore
  Exspoliat pulchris florea serta rosis.
Sanguineis ornans aestiva prandia moris
  Iunius: huic nomen fausta iuventa dedit.
Quintilis mensis Cereali germine gaudens,
  Iulius a magno Caesare nomen habet.
Augustum penitus torret Phaethontius ardor,
  Quem recreat fessum gillo, flabella, melo.
Aequales Librae September digerit horas,
  Cum botruis captum rete ferens leporem.
Conterit October lascivis calcibus uvas,

Et spumant pleno dulcia musta lacu.
Arva November arans foecundo numine Vestae,
Cum teretes sentit pinguis oliva molas.
Pigra suum cunctis commendat bruma Decembrem,
Cum sollers famulis tessera iungit heros.

1051.

Principium Iani sancit Tropicus Capricornus.
Mense Numae in medio Sol distat sidere Aquari.
Procedunt duplices in Martia tempora Pisces.
Respicis Apriles, Aries Phrixee, Calendas.
Maius Agenorei miratur cornua Tauri.
Iunius aequatos coelo videt ire Laconas.
Solstitio ardentis Cancri fert Iulius astrum.
Augustum mensem Leo fervidus igne perurit.
Sidere, Virgo, tuo Bacchum September opimat,
Aequat et October sementis tempore Libram.
Scorpion hibernus praeceps iubet ire November.
Terminat Arcitenens medio sua signa Decembri.

1052.
De mensibus anni.

Primus Romanas ordiris, Iane, Calendas.
Februa vicino mense Numa instituit.
Martius antiqui primordia protulit anni.
Foetiferum Aprilem vindicat alma Venus.
Maiorum dictus patrum de nomine Maius.
Iunius aetatis proximus est titulo.
Nomine Caesareo Quintilem Iulius auget.
Augustus nomen Caesareum sequitur.
Autumnum Pomona tuum, September, opimat.
Triticeo October foenore ditat agros.
Sidera praecipitas pelago intempesta, November.
Tu genialem hiemem, feste December, agis.

1053.
De X. mensibus.

Si novus a Iani sacris numerabitur annus,
Quintilis falso nomine dictus erit.

Si facis, ut fuerant, primas a Marte Calendas,
Tempora constabunt ordine quaeque suo.

1054.

Versus septem dierum.

Prima dies Phoebi sacrato nomine fulget.
Vendicat educens feriam sibi Luna secundam.
Inde dies rutilat iam tertia Martis honore.
Quartam Mercurius splendentem possidet altus.
Iupiter inde sequens quintam sibi iure dicavit.
Concordat Veneris magnae cum nomine sexta.
Emicat alma dies Saturno septima summo.

1055.

De Oceano.

Undarum rector, genitor maris, arbiter orbis,
Oceane, o placido complectens omnia . . .,
Tu legem terris moderato limite signas,
Tu pelagus quodcumque facis fontesque lacusque,
Flumina quin etiam; te norunt omnia patrem,
Teptant nubes, ut reddant frugibus imbres.
Cyaneoque sinu celi tu diceris oras
Partibus et cunctis inmenso cingere nexu.
Tu fessos Phoebi reficis si gurgite currus,
Exhaustisque die radiis alimenta ministras,
Gentibus ut clarum referat lux aurea Solem;
Si mare, si terras, coelum mundumque gubernas,
Me quoque cunctorum partem, venerabilis, audi,
Alme parens rerum, supplex precor. Ergo carinam
Conserves, ubicumque tuo committere ponto
Hanc animam, transire fretum et discurrere cursus
Aequoris horrisoni sortis fera iussa iubebunt.
Tende favens glaucum per levia dorsa profundum,
Ac tantum tremulo crispentur caerula motu,
Quantum vela ferant, quantum sinat otia remis;
Sint fluctus, celerem valeant qui pellere puppem,
Quos numerare libens possim, quos cernere laetus;
Servet inoffensam laterum pars linea libram.

Te sulcante viam rostro submurmuret unda.
Da pater, ut tute liceat transmittere cursum;
Perfer ad optatos securo in littore portus
Me comitesque meos: quod cum permiseris ipse,
Reddam, quas potero, pleno pro munere grates.

1056.

Versus de duodecim ventis.

Quatuor a quadro consurgunt limite venti:
Hos circum gemini dextra laevaque iugantur,
Atque ita bis seno circumdant flamine mundum.
Primus Aparctias Arctoo spirat ab axe:
Huic nostra nomen lingua est septentrio factum.
Circius huic dexter gelido circumtonat antro:
Thrasciam Graii propria dixere loquela.
Hinc laevus Boreas glaciali turbine mugit:
Frigidus hic aquilo nostris vocitatur in oris.
At subsolanus medio flat rectus ab ortu,
Graecus apelioten apto quem nomine signat.
Hinc Vulturnus adest, dextra qui parte levatur,
Attica Caecian Graiis quem littera signat.
Nubifero flatu laevum latus inrigat Eurus,
Dorica quem simili designat nomine lingua.
At Notus e medio solis dat flamina cursu:
Austrum rite vocant, quia nubila flatibus haurit.
Euronotus cui dexter adest, quem nomine mixto
Euroaustrum Latia dixerunt voce Latini.
Libonotus laevam calidis attaminat auris,
Aestibus inmensis ardens Austroafricus hic est.
Solis ab occasu flores Zephyri tuba servat,
Ex Itala nomen cui fixum est voce Favoni.
Huic dextram tangit dictus Libs Atthide lingua.
Africus hic propria veniens regione vocatur.
At tu, Core, fremis Zephyri de parte sinistra,
Argesten quem Graia suo vocat ore Camena.

1057.

Problema.

Est ubi non imber, non ros dilabitur umquam.

Est ubi nec nix est, nec glacialis hiems.
Est sine vite solum, quaedam est sine matre propago.
Est sine rege tribus et sine nave fretum.
Non sine mors gemitu, non partus et absque dolore,
Non nix absque gelu, non Notus absque sono.
Absque calore focus non est, nec amore puella,
Non sine carne pilus, non sine pelle caro.
Non sine matre puer, non est sine vite Lyaeus,
Non sine pisce lacus, non sine sorde palus.
Non sine laude pius, non est sine crimine latro,
Non sine fraude forum, non sine mure penus.
Non urbs absque malo, non scortis absque lupanar,
Non sine voce sonus, non sine luce dies.
Dulce sopor fessis et terris flumina siccis,
Dulce patri proles divitibusque gaza.
Tela viri decus est, peplumque colusque puellae.
Laus sine lite domus, laus sine fure locus.

1058.

Problema.

Mira loquar sine re fit causa, dies sine sole.
Ver sine flore, quies sine pace, pater sine prole.
Fit sine spinetis rosa, fit ventus sine flatu.
Fit sine fraude dolus, et culpa fit absque reatu.
Saepe tuli coelum sine sideribus, sine signis.
Saepe focum feci sine fomentis, sine lignis.

1059.

Problema arithmeticum.

Ut tot emantur aves, bis denis utere nummis,
Perdix, anser, anas empta vocetur avis.
Sit simplex obolus pretium perdicis, ematur
Sex obolis anser bisque duobus anas.
Ut tua procedat in lucem quaestio, mentem
Consulo. Sic loquitur pectoris arca mihi.
Sint anates tres atque duae, simplex erit anser,
Accipe perdices quattuor atque decem.

1060.
Aenigmaticum.

Pulcra domus terris fuerat sub tempore prisco,
Partibus in quadris digno fundata decore.
Unius ob meritum cantas reboando sonorum
Haec eadem roborata minis sub tegmine clavis
Flatus octonos a se spirabat honestos,
Auriferi solis radius cum spargeret umbras.
Horum quippe duo dulci modulaminis oda
Vivendi modulo quoniam senos superarunt,
Bini pro meritis senos comedere superni.
Hoc legat et lectis quivis sensum mihi pandat.

1061.
Problema arithmeticum.

Quidam nocte niger Dux nomine, candidus alter,
  Forte subintrarunt unica tecta simul.
Extiterat numero quindenus candidus ipse,
  Totque videt nigros more colore pares.
Candide, de nostris primus quis, dixerat alter,
  Providet excubias? Nam tua dicta sequar.
E contra placido respondit candidus ore:
  Iudicio nolo quemque gravare meo,
Ne nova lis socios per me conspiret in arma;
  Sed tibi consilium nunc removebo meum.
Ordine disponam socios discumbere cunctos,
  Quos sors nona legat noctis in excubias.

1062.
Problema.

Uxor abit duplex, redit una, meat quoque duplex.
Una redit, geminus vir abit, redit uxor et unus.
Vir geminus vehitur, redit una, duaeque vehuntur.
Vir redit et plena rate transmeat unus et una.

1063.
Problema de columbis.

Aedificat centum graduum collectio scalam.
  In primo residet sola columba gradu,

Post binae volucres, tres postea, quattuor inde.
Centenos numerus ordinat iste gradus.
Consului summam. Cum quinquaginta columbis
Quinque columbarum millia summa tenet.

1064.

Aliud de columbis.

In lauro residens bis sex volitare columbas
Aspiciens, dedit hunc forte columba sonum.
Si numerus duplici bis cresceret ordine vester,
Essetis centum me volitante simul.
Ut te non lateat volitantis summa cohortis,
Ex triginta tribus extitit illa cohors.

1065.

Problema de convivis.

Bis sex convivis bis senos divide panes,
Cleris, agricolis militibusque simul.
Liba duo clerum, libi pars quarta colonum,
Dimidius panis militis ora cibat.
Ut tot sint homines, quot panes, sunt ibi quinque
Cleri, ruricolae ter duo, solus eques.

1066.

De libra et partibus eius.

Libra vel as ex unciolis constat duodenis.
Uncia de libra linquit subtracta deuncem,
Et sextans, hoc est eadem geminata, deuncem.
Hinc quadrans haec scilicet ipsa retracta dodrantem
Inde triens ipsius quadruplicatio bessem,
Quincunx septuncem, quae sat sua pondera produnt,
Semis semissem medium dum dividit assem,
Nec vacat unciolae mediam secuncia iungens.

1067.

De uncia et partibus eius.

Uncia viginti scripulos et quattuor ambit.
Dimidium staterae semuncia dicitur eius,

Terna duc seseclae par est eademque duella,
Quarta siclus vel sicilicus vel denique sicel,
Sextula sexta modo solet et modo sescla vocari,
Octavam appellant dragmam vel rarius olcen.
Et duodenariam mediam sesclam vocitarunt.
Vigenam quartam scripulus seu gramma retentant.

1068.

De scripulo et partibus eius.

Unus item scripulus calcis componitur octo.
Dimidium scripuli obolus pars quarta ceratos,
Hic sextam fingi placuit siliquamque vocari,
Ultimus est calcus ciceris duo granula pensans.

1069.

De rustico ebrio.

Rusticus ad tectum gressus referebat ab urbe
Errans ac titubans, pectus agente mero.
Sistit iter, potum geminat. Furor occupat artus,
Exulat a sensu mentis, aitque sibi:
Stulte quid egisti? vas istud proiice: certe
Fortior est pedibus cantharus iste tuis.
Tres habet iste pedes, at tu gemino pede constas.
Quo merito tripedem devehit ergo bipes?
Finierat; vas deponit, cui sic ait, audi,
Amphora, curre, trium diceris esse pedum.
Tu me fortior es. Quid ais? iuro tibi, clava,
Si cito non properes, es luitura moram.
Dixerat; illa silet, stat; stultus concipit iram.
Insanas armat ebria clava manus.
Percutit et frangit vas, vinum defluit, ansa
Stricta fuit, glut glut murmurat unda sonans.
Credit glutonem se rusticus inde vocari.
Dedecus inpositum noluit ergo pati.
Totum vas minuens manus ebria duplicat ictus;
Ad finem glut glut duplicat unda sonum.
Mentis inops exulque sui, post omnia stultus,
Ad tectum fracto vase reduxit iter.

1070.

Gillo vomit gelidum vastis singultibus amnem,
Vis aliena cui frigoris addit opem.
Nam tepidum laticem curamus claudere testa,
Ut mersa imbrigenis unda nivescat aquis.

1071.

Perdiderat laticum longaeva incuria cursus,
Quos tibi nunc pleno cantharus ore vomit.

1072.

Caesaris ad valvas sedeo, sto nocte dieque,
Nec datur ingressus, quo mea fata loquar.
Ite, deae faciles, et nostro nomine saltem
Dicite divini Caesaris ante pedes:
Si nequeo placidas affari Caesaris aures,
Saltem aliquis veniat, qui mihi dicat, abi.

1073.

Item.

Spemque metumque inter rebus male natus agendis,
Sic totos multo perdo labore dies.
Mane salutator; cum sol se condit in undas,
Nocturnus subeo regia tecta cliens.
Incipio effari, mediaque in voce resisto,
Et premit ingenuus verba parata pudor.
Iam satis est: finem, o Caesar, pro munere posco,
Remque meam, seu das, perfice, sive negas.

1074.

Invitatio ad convivium.

Dulcis amice, bibas gratanter munera Bacchi:
Sic vivas totum, dulcis amice, bibas.
Fercula sume libens allata ex viscere cervi;
Sin, Actaeonis mors sit acerba tibi.
Dente timendus aper tibi ponitur, accipe laetus:
Si non, te findat dente timendus aper.

Sic tibi non oculos nox atra pro grue claudat:
Fercula sume libens, dulcis amice, gruis.
Unda marina tibi quod misit, sume libenter:
Si non, vitam adimat unda marina tibi.
Unguibus accipitris captam, rogo, percipe praedam:
Si non, scindaris unguibus accipitris.
Clara coloris aqua tribuit quos, tu cape pisces:
Si non, te perimat clara coloris aqua.
Quod meus hortus habet, gratanti suscipe mente;
Sic fruaris laetus, quod tuus hortus habet.
Si tua perpetuus non claudat lumina somnus,
Non dedigneris dicere, misce puer!

1075.

De ebrioso.

Phoebus me in somnis vetuit potare Lyaeum.
Pareo praeceptis: tunc bibo, cum vigilo.

1076.

De littera Y.

Littera Pythagorae, discrimine secta bicorni,
Humanae vitae speciem praeferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem
Difficilemque aditum primum spectantibus offert,
Sed requiem praebet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata, sed ultima meta
Praecipitat captos volvitque per aspera saxa.
Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemque decusque parabit.
At qui desidiam luxumque sequetur inertem,
Dum fugit oppositos incauta mente labores,
Turpis inopsque simul miserabile transiget aevum.

1077.

De vitii virtutisque natura,

ex Hesiodo.

Tota simul facili vitia ipsa assumere captu
Concessum est; brevis est via, quae deducit ad illa,

Quam semper nobis vicina cubilia iungunt.
Sudorem prae se fert virtus mente deorum:
Est ad eam longus rectusque per ardua callis,
Asper et imprimis; ubi in alta cacumina ventum est,
Mollis adest, quae visa fuit durissima quondam.

1078.

De aetatibus animalium,
ex Hesiodo.

Ter binos deciesque novem super exit in annos
Iusta senescentum quos inplet vita virorum.
Hos novies superat vivendo garrula cornix,
At quater egreditur cornicis secula cervus.
Alipedem cervum ter vincit corvus, et illum
Multiplicat novies Phoenix, reparabilis ales.
Quam vos perpetuo decies praevertitis aevo
Nymphae Hamadryades, quarum longissima vita est.
Hi cohibent fines vivacia fata animantum.
Cetera secreti novit deus arbiter aevi
Tempora, quae Stilbon volvat, quae saecula Phaenon,
Quos Pyrois habeat, quos Iupiter igne benigno
Circuitus, quali properet Venus alma recursu,
Qui Phoeben, quanti maneant Titana labores,
Donec consumto, magnus qui dicitur, anno
Rursus in antiquum veniant vaga sidera cursum,
Qualia dispositi steterant ab origine mundi.

1079.

De vocibus animalium.

Quis volucrum species numeret, quis nomina discat?
Mille avium cantus, vocum discrimina mille,
Nec nostrum fateor tantas discernere voces.
Hinc titiare cupit diversa per avia passer,
Garrula versifico tignis mihi trissat hirundo.
Accipitres piplunt, longoque ciconia collo
Gloctorat et ranas grandi rapit inproba rostro.
Zinzilat et laetis parrus nunc tinnipat arvis.
Haec inter merulae dulci modulamine cantus;

Faccilat hic volitans turdus, gallina cacillat.
Dum milvus iugilat, trinnit tunc inprobus anser.
Interea perdix cacabat nidumque revisit.
Nauculus cantans scottos iter ire perurget.
Nec minus interea pecudum genus omne ferarum
Musitat et proprias norunt animalia voces.
Sic ululare lupos certum est hircareque lynces.

1080.

De elephante.

Monstrorum princeps, elephas proboscide saevus
Horret mole nigra, dente micat niveo.
Sed vario fugienda malo cum belua gliscat,
Est tamen ex certis mors pretiosa feri.
Nam quae conspicimus montani roboris ossa,
Humanis veniunt usibus apta satis.
Consulibus sceptrum, mensis decus, arma tablistis,
Discolor et tabulae calculus inde datur.
Haec est humanae semper mutatio sortis:
Fit moriens ludus, qui fuit ante pavor.

1081.

De eodem.

Horrida cornuto procedit belua rostro,
Quam dives nostris India misit oris.
Sed licet immani pugnet proboscide barrus,
Spondeat et saevis dentibus interitum,
Fert tamen edomitus residentis iussa magistri,
Quoque velit monitor, cogitur ire ferus.
Vis humana potest rabiem mutare ferinam.
Ecce hominem parvum belua magna timet.

1082.

De hippopotamo et crocodilo.

Utraque fecundo nutritur belua Nilo,
Quaeque vorat morsu, quaeque sub ore fremit.

1083.

De aquila.

Mensa coloratis aquilae sinuatur in alis,
Quam floris distinguit honos, similisque figura
Texitur; inplumem mentitur gemma volatum.

1084.

De psittaco.

Indica purpureo genuit me littore tellus,
Candidus accenso qua redit orbe dies.
Hic ego divinos inter generatus honores
Mutavi Latio barbara verba sono.
Iam dimitte tuos, Paean o Delphice, cycnos;
Dignjor haec vox est, quae tua templa colat.

1085.

De pica, dialogismus,

albedo, nigredo, pica, natura.

A. Sis mea candida, sis. *Nig.* Non, sed mea nigra voceris.
Nat. Candida nec dici, nigra nec esse potest.
A. Es mea. *P.* Non. *Nig.* Mea. *P.* Non: naturam consulo. *Nat.* Libram
Dirigo. Respondet pondere libra pari.
Nec tua, nec tua sit; dubius color errat in illa,
Qui divisorem nescit habere suum.

1086.

De ansere.

Aedibus in nostris volitans argenteus anser
Dulcisono strepitu colla canora levat.
Ales grata bono duplici: nam fercula mensae
Complet, et adservat nocte silente domum.
Solus Tarpeia canibus in rupe quietis
Eripuit Gallis Romula tecta vigil.

1087.

De ansere, qui intra se capit cupedia prandii.

Eminet inpletus pullorum carnibus anser,
Et varias mensae torridus ambit opes.

Inguinibus nam portat olus ventrisque soluti
Truditur e medio esiciata nitens.
Fulcit utrumque latus turdus cum turture pinguis
Multaque penniferum corpore pandit opus.
Quis non credat equum Graiam celasse phalangem,
Si parvus tantas anser habet latebras?
Plura saginato conclusit fercula capso,
Aucupia et pulpas ducere docta, manus.
Intus inest quodcumque placet, crescitque voluptas,
Cum scisso multas pectore prodit opes.
Cedat Cecropii lascivans bucula fabri,
Qua consuerat Amor claudere Pasiphaen.
Cedat et ille, dolo solers quem struxit Epëus,
Qui gravidus bellis Pergama solvit equus.
Maiorem parva haec demonstrat fabrica technam:
Una capit totas anseris arca dapes.

1088.
De esiciata.

Amisit proprias vacuato corpore carnes,
Accepitque novas; dedit ac tulit, et grave lucrum
Perdendo adquirit, damno bene crevit in illo.

1089.
De pressa.

Turgida sum moriens solertique arte refixa,
Crescens decresco, nomine pressa vocor.

1090.
De misovostu.

Perna, lepus, turtur, perdix, Iunonius ales,
Agnus, porcellus iunguntur, candidus anser.
Aethera quod pontusque, altrix quod terra creavit,
Cernimus esciferum paulatim sumere ventrem.

1091.
De pastilli coctu.

Blandum mellis opus solerti fingitur arte;
Faucibus hoc dulce est, dentibus interitus.

1092.

De conviviis barbaris.

Inter citz Gothicum, scapiamatzia iadrincam
Non audet quisquam dignos educere versus.
Calliope madido trepidat se iungere Baccho,
Ne pedibus non stet ebria Musa suis.

1093.

De catto, qui comedens picam mortuus est.

Mordaces morsu solitus consumere mures
Invisum et domibus perdere dente genus,
Cattus in obscuro cepit pro sorice picam,
Multiloquumque vorax sorbuit ore caput.
Poena tamen praesens praedonem plectit edacem:
Nam claudunt rabidam cornea labra gulam.
Faucibus obsessis vitalis semita cessit
Et satur escali vulnere raptor obit.
Non habet exemplum volucris vindicta peremtae:
Hostem pica suum mortua discruciat.

1094.

De catto, cum soricem maiorem vorasset, apoplexen passus occubuit.

Immensi soricis cattus dum membra vorasset,
Deliciis periit crudior ille suis.
Pertulit adsuetae damnum per viscera praedae:
Per vitam moriens concipit ore necem.

1095.

De chimaera.

Ore leo, tergoque caper, postremaque serpens
Belua tergemino mittit ab ore faces.

1096.

De Sphinge.

Ales, virgo, leo crevit de sanguine Laii,
Thebano nascens et peritura malo.

Haec fecit thalamos Idipum conscendere matris,
Ut prolem incestam mutua dextra necet.

1097.

De vipera.

Accensa in venerem serpens genitalibus auris
Sic coit, ut perimat, sic parit, ut pereat.
Hi sunt affectus, haec oscula digna venenis,
Coniugioque Venus, semper amore nocens.

1098.

De formica.

Verrit tetra boum gratos formica labores,
Et caveis fruges turba nigella locat.
Quae, licet exiguo videatur corpore, sollers,
Quod legat hibernae commoda grana fami.
Hanc iuste famulam nigri iam dixeris Orci,
Quam color et factum composuit domino.
Namque ut Plutonis rapta est Proserpina curru,
Sic formicarum vertitur ore Ceres.

1099.

De capris.

Lenaeos latices hircorum tergora gestant,
Fitque caper Bromio, fuerat quae victima, carcer.

1100.

Aliter.

Barbati pecoris vulgus per rura vagatur,
Pampineum gaudens laedere dente nemus.
Omnibus hinc aris Baccho caper hostia fertur,
Puniturque sacro munere culpa gregis.

1101.

Aliter.

Sanguine Cinyphio placantur templa Lyaei,
Caprigenum cui fit victima iusta pecus.

Sed licet ulcisci nequeant animalia divos,
Nec possit reddi talio numinibus:
Ut vindicta capris, cassatur nomine Liber,
Cum hircino adversus clauditur utre deus.

1102.

De Alcyonibus.

Stat domus exerrans constructa limphis et ultra,
Fervet amor limphis liquescunt ova tepore.
Exposito partu natus non cernitur ullus.
Albus in albo manens, rursus succendor ab albo,
Miraturque novos foetus consurgere ab undis,
Alcyon cui totus pelagus sunt parvoli nidus.

1103.

De sepia.

Femineo geminum designat nomine sexum,
Et candens piceum sepia claudit onus.
Utilior nullus piscis per caerula oberrat,
Cui pretium capto debuit esse duplum.
Praestat carne cibos, apicum dat felle figuras,
Et brevi specie usum ad utrumque facit.
Hanc potius doctos adsumere convenit escam,
Quae sapit in morsu et probat articulos.

1104.

In equum mirae pernicitatis.

Te cuperet Phoebus roseis aptare quadrigis,
Sed fieret brevior te properante dies.

1105.

De equis aeneis.

Quae manus hos animavit equos, quibus aere rigenti
Currere velle dedit et in aethere quaerere cursus?
Spirant aërias involvere cursibus auras
Arte citi, sed mole graves, properante metallo.

1106.

De ursa aenea, in qua serpens fuit, ubi inscius puer manum immisit.

Aere cavo falsam serpens impleverat ursam,
Addidit et morsus et iubet esse feram.
. . . . . .
Implevit serpens quod minus artis erat.

1107.

In Iuvenalem venatorem.

Excipit ingentem Iuvenalis fortior aprum,
Incumbens humero, laevo pede pronior instat,
Et spumantis adhuc morsum de vulnere fraudat.

1108.

Item de apro.

Invadunt post terga suem. Stat torvus in ira,
Creticus excutitur lunato dente rebellis,
Quem socius morsu auxilians defendit in hoste.

1109.

Vacca de cauda per congelationem amissa.

Cum superest, nihil est, nihiloque minus, quod habemus:
Cedat, et est magnum, quod fuit ante nihil.
Nil mea cauda fuit, mihi dum coniuncta maneret,
Maxima sed, postquam desiit esse, fuit.

1110.

Epitaphium vaccae ex muscis morientis, quod cauda caruit.

Quae dum stulta fuit, doctos docuisse probatur:
Haec postquam sapuit, vermibus esca datur.

1111.

De ancla.

Fundit et haurit aquas, pendentes evomit undas,
Et fluvium vomitura bibit, mirabile factum!

Portat aquas, portatur aquis: sic unda per undas
Volvitur, et veteres haurit nova machina limphas.

1112.

In anclas.

Vandalarice potens, gemini diadematis heres,
Ornasti proprium per facta ingentia nomen.
Belligeras acies domuit Theodosius ultor
Captivas facili reddens certamine gentes.
Adversos placidis subiecit Honorius armis,
Cuius prosperitas melior fortissima fecit.
Ampla Valentiniani virtus cognita mundo
Hostibus addictis ostenditur arce nepotis.

1113.

De pectine.

Crinibus ambrosiis Veneris decus addidit, ut se
Pulchras iactarent Pallas vel pronuba Iuno.

1114.

De citrio.

Septa micant spinis felicis munera mali,
Quae tulit ut citri aureus ora tumor.
Hippomenes tali vicit certamina malo,
Talia poma nemus protulit Hesperidum.

1115.

Aliter.

Stat similis auro citri mirabilis arbor,
Omnibus autumni anteferenda bonis.
Haec ornant mensas, haec praestant poma medelam,
Cum quatit incurvos tussis anhela senes.

1116.

Aliter.

Omne genus mali dignum est adsurgere citro,
Vis cui multa subest corticis et medii.

Unumquemque suum referunt pomuscula sucum,
  Ternus ab hoc semper carpitur ore sapor.

1117.
De cicindelo.

Igniculus tenuis pingui fulcitur olivo,
  Ut frangat tenebras luminis igne sui.

1118.
De cereo.

Lenta paludigenam vestivit cera papyrum,
  Lumini ut accenso dent alimenta simul.

1119.
Aliter.

Ut devota piis clarescant lumina templis,
  Niliacam texit cerea lamna budam.
Congrua votiferae submittit pabula flammae,
  Quae castis apibus praebuit ante domos.

1120.
De cereo.

Flora venit. Quae Flora? Dea. An de gente Latina?
  Non reor, at Chloris dicta per arva fuit.
Huius in adventum radiant de nocte lucernae,
  Nam nitet atque hilarat lumine cuncta suo.
Cerea materies apibus debetur amicis;
  Floribus atque hortis sit, precor, aequa meis,
Non ut mel rapiam, cuius non tangor amore,
  Sed cera in talem fiat ut alba diem.

1121.
Ad Maximum.

Dulcia dona mihi tu mittis, Maxime, semper,
  Et quidquid mittis, mella vocare decet.

1122.
De Dulcio.

Suave tibi nomen, sed, si te talia tangunt,
  Moribus atque animo postea dulcis eris.

1123.
In Porcium.

Porcius octophoro fertur resupinus ad aedem
Iunonis Triviae priscaque templa Deae,
Et circum Phoebi: merito stupet inscia turba,
Atque ait: an horum victima porcus erit?

1124.
De Bumbulo.

Nominis et formae pariter ludibria gestans
Conventus nostros, Bumbule, parvus adis.
Sed ratio est: mixtus longis Pygmaeus in armis,
Ne te deprensum grus peregrina voret.
Nec frustra ostendis proprio placuisse parenti,
Quod turpis nomen sumseris Heniochi.
Ille habuit doctas circi prostare puellas,
Te duce lascivae nocte fricantur anus.

1125.
Aliter.

Dum sis patris heres, teneas et, Bumbule, censum,
Utile nec tibi sit, pietas si laesa probetur,
Das operam proprio auctori adversus haberi.
Discordat multum contra suscepta voluntas,
Dilexit genitor Prasinum, te russeus intrat.

1126.
In clericum.

Militis uxorem chlamidis mercede subegit
Clericus, et piperis clam tulit inde molam.
Mane redit, redditque molam praesente marito,
Et dixit: tunicam redde, reporto molam.
Redde, maritus ait; et dixit femina: reddam,
Sed magis ad nostram non molet ille molam!

1127.
De Theo.

Inguine suspensam gestas sub ventre lagenam,
Quae tibi fit turgens amphora flante noto.

Vectigal poteras figulorum reddere fisco,
  Quorum tam tereti ramice vincis opus.

1128.

Aliter.

Moles tanta tibi pendet sub ventre, Siringi,
  Ut te non dubitem dicere bicipitem.
Nam te si addictum mittat sententia campo,
  Vispillo ignorat, quod secet ense caput.

1129.

De Perpetuo.

Parce rapax epulis, vehemens, Perpetue, gluto
Mensarumque vorax, omnis cui Sicula cessit
Stultia qui madidas furto subducis ofellas.

1130.

De Tautano.

Tautano infamem nulla quem coniuge captum
Spiritus immundus subito praecordia torsit
Vendere mancipium pulchrum commune theatro.

1131.

De Crescentino.

Crescentine ferox, ne quid tibi dorsa flagellis
Conscindat coniux, iunctis tu pedibus adstas.

1132.

De Abcare servo dominico.

Regius est Abcar servus, palus, hispidus ursus,
Rana, nanus, strophilus, palmus, zeloceca, cylindrus,
Piperis exigui formam vix corpore comples,
Pulicis ex corio vestit te gunna profusa;
Ad maratros dabitur grandis formica caballus.
Pulveris ut pilula brevis es, ut glomus hic erras.
Ast ubi dormieris, caveat castissima coniux,
Erres ne subito mixtus sub nocte tomento.

Lendis forma tibi, statu non transilis ova,
Aequalis piperi, par est tibi forma cumini,
Fasciarii pondus, longi pars summa telonis.
Sic sepiam pelagus crispanti vertice gestat,
Sic niger impellit pilulas de stercore zinzar,
Araneasque leves, pendens in stamine bulla.

1133.

De servando medico.

Servandum spurcum medicum nostumque medeurum
Qui se Tartareo missum de carcere finxit,
Auctoritate tumens Orci cui tempora mittit
Imperitus iners ausus terrae repetam
Cum staret in medio, mox illi voce superba
Burdonum rector, paleas nam forte gerebat,
Servande infamis, servande Zabule, pestis
Aiebat, servande canis, servande catenis
O servande meis, semper servande flagellis,
Servande in parte misera nabractanos aesis
Vitivalas valmam vitriduis fanda vitritam
Copia fers gibatus enim transire volebat.

1134.

De castellano.

Castellane, sorex cloacae, pressura tuorum
Horrida, caeca fames, coenum tibi bullit in ore,
Putredo et cancer trivit dentesque molasque,
Accipe nariputens oris latrina, Philippe,
Lividus in rubro color est tibi, cepula vultus,
Obscenitas frontem mortis sulcavit aratro.
Fistula sunt oculi, polypus de naribus horret.
En manes patitur putrido sub coniuge coniux,
Ac viduam simul facit fortuna suorum.
Qua tu cumque moves os, culum porrigis ultro:
Nam torpes foetore gravi, si forte loquaris;
Si taceas, binis secessum naribus efflas,
Lasanus es plenus guttur tibi grande fusorius est.

1135.

De potentum precibus.

Est orare ducum species violenta iubendi,
Et quasi nudato supplicat ense potens.

1136.

Fides ficta.

Qui se multorum fidei committere curat,
Auguror, hunc leviter posse carere fide.
Menstrua quaeque fides faciem cum tempore mutat.
. . . .

1137.

Indigna promotio asinorum.

Regna licet teneat sceptrumque leonis asellus,
Iuraque det populo, semper asellus erit.
Asperior tamen est, in sede leonis asellus
Si positus fuerit, quam fuit ipse leo.

1138.

Indigni mores huius seculi.

Fit de nocte dies, tenebrae de luce serena,
De stulto sapiens, de sapiente nihil.
Fit Cato mentis hebes, linguam facundus Ulysses
Perdidit: instabiles nunc habet aura vices.

1139.

De promotis ad dignitates.

Optimus esse soles: te fecit honor meliorem;
Aestimo, quod fies de meliore bonus.

1140.

Ad poetas.

Discite pro numeris numeros sperare, poetae:
Mutare est animus carmina, non emere.

1141.

Quis deus hoc medium flammavit crinibus aurum,
Iussit et in duris sentibus esse rosam?
Aspicis, ut magni coeant in foedus amantes.
Mortem spina refert: flos Veneris pretium est.
Quid tibi cum magnis puer est lascive sagittis?
Hoc melius telo pungere corda potes.
Nec flammis quaeras neque alti pectoris ignes,
Sed tibi vernantum praebeat ista facis.
Pallens herba viret; color est hic semper amantum.
Tam fugitiva rosa est quam fugitivus amor.
Nam quod floricomis gaudet lasciva metallis,
Aurum significat vilius esse rosa.

1142.

De somniis.

Ut placidus noctu tibi Morpheus adsit, oportet
Ut faciant laetum sobria vina diem.
Qui laesere diem, laesere tyrannida somni.
Hic furias, quo se vindicet ultor, habet.
Casta placent somno; mala sunt insomnia praesto,
Ebria lux foedis cum fuit acta iocis.

1143.

Epithalamium Laurentii et Mariae.

Inprimis te, sponse, precor, patiare canentem,
Tuque, puella, magis tacito mihi carmine parcas.
Scimus enim, scimus vobis nunc carmina nostra
Doctiloquique etiam linguam solidare Maronis.
Sed breviter strictimque duos dicemus amantes.
Maria . plus quaerat . pauca loquemur.
Principio generis simili vos stirpe creatos
Florenti Florique patris sat nomina produnt;
Matribus et pariter respondet fetus uterque.
Nam decuit Mariam sapientem fundere . .
Calliopenque simul iuvenem proferre . . .
O similes multumque pares, te prima iuventus

Insignem vegetumque tenet . . . . .
Florigenas plenaque decens lanugine malas
Mollia votifero dempsisti vellera ferro,
Egregio fulges cultu totusque decorus
Et facie mores patriamque ex nomine pandens.
Nam quae primates quondam genuere Latinos,
Antiquaeque urbi proprium tribuere vocamen,
Dant tibi, Laurenti, Laurentes nomina Nymphae.
Quid memorem mores iuvenili in corde seniles
Atque Italum ingenium Romana fervere lingua?
Tu fora, tu leges celebras sanctumque tribunal
Promptaque impavidus tu suetus dicere dextra,
Te insontes palmam semper tribuere patrono,
Te contra adstantem semper timuere nocentes.
Prorsus habes iuvenis totum, quod Tullius auctor
Causidicos retinere iubet: nam fultus utroque
Vir bonus es nimium
Ad te non breviter (nam sic te velle putamus)
Verba, puella, feram, pulchro formosa colore.
Lilia ceu niteant rutilis commixta rosetis,
Sic rubor et candor pingunt tibi, florida, vultus.
Denique miramur, quid colla monilia gestent,
Ex humeris frustra phaleras imponis eburnas.
Nam tibi non gemmae, sed tu das lumina gemmis,
Atque alias comit, per te componitur aurum.
scriptique tenax veloxque legendi
talis fueris praesaga mariti
Musaea tuis insedit cura medullis.
Nec minus in propriis studium: nam vellera lanae
Textilibus calathis semper tractare perita
Inque globos veteres coeuntia vellera pensa,
Compositas tenui suspendis stamine telas.
Quas cum multiplici frenarunt licia gressu
Traxeris et digitis tum mollia fila gemellis,
Serica Arachneo densentur pectine texta,
Subtilisque seges radio stridente resultat.
Sed iam sufficiat de magnis pauca locutum;
Non sinit hoc tempus totas effundere vires.

Quin magis, o pueri, vosque exaudite, puellae,
Quos optare pares thalamos taedasque iugales
Sensibus ex imis suspiria ducta fatentur.
Consertas prensate manus, magnumque per orbem
Dextra liget laevam, festos celebrate hymenaeos,
Ac modulante melo, pariter caeso pavimento
Cum pede vox resonet, persultent atria larga,
Quae virides cingunt hederae laurique coronant
Votigerique ignes, stellantia lumina, complent.
Tympana, chorda simul, symphonia, tibia, buxus,
Cymbala, bambalium, cornus et fistula, sistrum,
Quaeque pererratas inspirant carmina voces,
Huia folligeris exclamant organa vocis.
Surge, age iam, iuvenis, dextram complectere sponsae,
Tuque, puella, caput niveo velamine tecta,
Non cunctante gradu gressum comitare mariti.
Tuque etiam paucis monearis, Pronuba, verbis:
Quum fuerit ventum ad thalamos primumque cubile,
Sit tibi cura ingens innoxia reddere membra
Virginis, ut totum, quod possit laedere, demas.
Nullum sit capiti, quo crinis comitur, aurum,
Nec collo iaceant, nisi quae sunt levia fila,
Annulus et digitis tollatur mollibus asper,
Ac niveos auro propera spoliare lacertos;
Ne, dum . . atque oscula dulcia iactant,
Exercentque toris Veneris luctamen anhelum,
Cuncta per amplexus foedentur membra mariti,
Atque invita viri maculet, quae diligit, ora.
Ite pares: tandemque toro recubate polito.
Mellea tunc roseis haerescant basia labris.

. . . . . .

Dextera cervicem niveam subiecta retentet,
Stringentesque simul constringat laeva papillas.
Vivite felices, quam longaque carpite saecla!
Vivite concordes, donec premat una senectus,
Multorumque onerent natorum iura nepotes.

Liber Quartus.
Carmina Sepulcralia.
Virorum.

1144.
In fratres Cascas.

Occidere simul Cascae, simul occubuere,
Dextra quisque sua, qua scelus ausus erat.
Castra eadem fovere; locus quoque vulneris idem;
Partibus afflictis victus uterque iacet.
Quanta fuit mentis, tanta est concordia fati,
Et tumulus cinerem parvus utrumque tegit.
Par fratrum multo celebrandum carmine vatum,
Una si fierent parte minus gemini.

1145.

Urna brevis geminum quamvis tenet ista cadaver,
Attamen in coelo spiritus unus adest.
Viximus unanimes Luciusque et Flavius. Idem
Sensus, amor, studium, vita duobus erat.

1146.
Aemilii.

Quintilio victus iacet hic Aemilius igne,
Materiam fati cui dedit acer amor.

1147.
Q. Caetronii Q. F. Passeris.

Vixi, quod volui, semper bene, pauper honeste:
Fraudavi nullum, quod iuvat ossa mea.

1148.
Helvidii oratoris.

Hic iacet Helvidius fatis extinctus iniquis,
Egregius iuvenis, causarum orator honestus.

1149.
Blasani Novii.

Blasanus hoc Novius requiem sortitus in aevum,
. . .

Cuncta locus sanctus, plausu qui excepit agresti,
Cum primum fundo venerat hic dominus.
Parebat nemo, Fauni Nymphaeque sonabant,
Laetitiam divom sensit et ipse locus.
Hic olim statuis urbem decoravit et orbem:
Nomen habet populus, corpus habet tumulus.

1150.

C. Rubrii Urbani.

Qui, dum vita data est, semper vivebat avarus,
Heredi parcens, invidus ipse sibi,
Hic accumbentem sculpi genialiter arte
Se iussit docta post sua fata manu,
Ut saltem recubans in morte quiescere posset
Securaque iacens ille quiete frui.
Filius a dextra residet, qui castra secutus
Occidit ante patris funera moesta sui.
Sed quid defunctis prodest genialis imago?
Hoc potius ritu vivere debuerant.

1151.

Apicii.

Qui patrias consumsit opes ventrique dicavit,
Hic situs, ignavae gloria prima gulae;
Quique sibi iugulum secuit, ne paupere mensa
Factus inops tristes duceret inde dies.
Sparge mero dapibusque igitur, non thure sepulcrum,
Hoc Apici redeat priscus in ossa calor.

1152.

Petronio Birronio.

Parva quidem monumenta tibi pro munere vitae
Fecimus, et tumulo teximus ossa levi.
Sed quoniam tacitis adsunt sua praemia votis,
Testatur titulus pignus amicitiae.
Si datur extinctis mentem retinere priorem,
Respice, Birroni, munus amicitiae.

1153.

L. . : Prudens C. Minucius C. L. Chrestus Pudenti.

Ulterius nihil est morte neque utilius.

1154.

O tu, qui multas, hospes, lustraveris urbes,
Dic, quo vidisti stemmata plura loco?

1155.

Curtii Vilani.

Acceleres quamvis, orat te flebile saxum,
Conspicias, quis sit conditus hoc tumulo.
Curtius hic situs est, pietate insignis et annis
Vilanus, superis reddidit ast animam.
Ne pudeat, nostrum tu qui legis, advena, nomen,
Dicere: Vilano sit, precor, alma quies.

1156.

Hic situs est iustus . . laudator et aequus,
Sassina quem genuit, nunc Aquileia tenet;
Optime qui cohortis centuriam reguit,
Praetoriae fidus, non barbaricae legionis.
Manilius hic Valerianus nomine dictus.
Sextilius frater quia meritus posuit.

1157.

Quid tibi nunc prodest, stricte vixisse tot annis?
Heredum ratio nuntiat *ipsa* tibi.
Prima fuit litis vicesima parte soluta,
Deinde rudes homines *in colle* Saturno
Morantes delati sunt attamen hoc sub iudice iusto
Pendet sed longis protractibus *ar*te maloru.
Vici quidem domine victor cum palma relatus
Semanimis . . . medici male membra secarunt
Corpori quod superest tumulum tibi feci libenter
Non mihi mandasti sed vivos saepe voleba . . .

1158.

Stallius Gaius has sedes Hauranus tuetur,
Ex Epicureio gaudivigente choro.

1159.

Nardu' poeta Pudens hoc tegitur tumulo.

1160.

Vixi, edi atque bibi, lurco merus atque popino,
Haec mihi quot curis vita peracta fuit!
Qui legis haec, divae bona verba precare Vacunae,
Nunc saltem vacuo donet ut esse mihi.

1161.

Epitaphium inpostoris.

Faex hominum, fraus totus homo iacet: ecce iacenti
Nocte dat excubias noctua, luce canes.

1162.

Diis si qua est caelo pietas, quae talia curet,
Persolvat dignas grates et praemia reddat.

1163.

Vivere post obitum vatem vis nosse, viator?
Quod legis, ecce loquor. Vox tua nempe mea.

1164.

Q. Virii Severini.

Raptus ego superis patribusque ablatus inique.
Cum frui debueram aetate, horrida fata negarunt.
Praecipitem memet superi mersere sub undas
Ac tumulo clausere gravi. Iam partus et usus,
Arsque mihi fuerat studioso corde reperta
Maxima quadrupedum, studia et quoque plura fuerunt.
Ingenio semper plenus, probitate beatus:
Et quandoque simul finito lumine vitae
Manibus his iuncti pariter sociabimur una.
Quisque legis, doleas: devites talia fata.

1165.

P. Atinii L. F. Fab.

Si lutus aut pulvis tardat te forte, viator,
Arida sive sitis nunc tibi iter minuit,
Perlege, cum in patriam tulerint te dextera fati,
Ut requietus queas dicere saepe tuis:
Finibus Italiae monumentum vidi Vobernae,
In quo est corpus Atini conditum.

1166.

Caesii Aequidici.

Caesius Aequidicus iam centum vixerat annos.
Felices annos tot tulit hora brevis.

1167.

Memoriae M. Lucceii M. F. Nepotis Sex. Onusianus.

Cum praematura raptum mihi morte nepotem
Flerem, Parcarum putria fila querens,
Et gemerem tristi damnatam sorte iuventam
Versaretque novus viscera tota dolor,
Me desolatum, me desertum ac spoliatum
Clamarem, largis saxa movens lacrimis:
Exacta prope nocte, suos cum Lucifer ignes
Spargeret et volucri roscidus iret equo,
Vidi sidereo radiantem lumine formam
Aethere delabi. Non fuit illa quies,
Sed verus iuveni color et sonus: at status ipse
Maior erat nota corporis effigie.
Ardentes oculorum orbes humerosque nitentes
Ostendens roseo reddidit ore sonos:
„Adfinis memorande, quid o me ad sidera coeli
„Ablatum quereris? desine flere deum.
„Ne pietas ignara superna sede receptum
„Lugeat et laedat numina tristitia.
„Non ego Tartareas penetrabo tristis ad umbras,
„Non Acheronteis transvehar umbra vadis,
„Non ego caeruleam remo pulsabo carinam,

„Nec te terribilem fronte timebo, Charon.
„Nec Minos mihi iura dabit grandaevus et atris
„Non errabo locis nec cohibebor aquis.
„Surge, refer matri, ne me noctesque diesque
„Defleat ut moerens Attica mater Ityn.
„Nam me sancta Venus sedes non nosse silentum
„Iussit et in coeli lucida templa tulit.“ —
Erigor et gelidos horror perfuderat artus.
Spirabat suavi tinctus odore locus.
Dic nepos, seu tu, turba stipatus Amorum,
Laetus Adoneis lusibus insereris,
Seu grege Pieridum gaudes et Apolline iungi
Omnis coelicolum te chorus excipiet;
Si libeat thyrsum gravidis amicire corymbis
Et velare comam palmite, Liber eris;
Pascere si crinem et lauro redimire capillos,
Arcum cum pharetra sumere, Phoebus eris,
Indueris teretes manicas Phrygiumque galerum
Non unus Cybeles pectore vivet A . . .;
Si spumantis equi libeat quatere ora lupatis,
Cyllare, formosi membra vehes equitis.
Sed quicumque deus, quicumque vocaberis heros,
Sit soror et mater, sit puer incolumis!
Haec dona unguentis et sunt potiora corollis,
Quae non tempus edax, non rapit ira Iovis.

1168.

Camilli Aquileii.

Adspice quam subito marcet, quod floruit ante.
Adspice quam subito, quod stetit ante, cadit.
Nascentes morimur finisque ab origine pendet.
Illa eadem, vitam quae inchoat, hora rapit.

1169.

Rufini.

Claudius hunc vivus Stygias Rufinus ad umbras
Institui titulum post animae requiem,
Qui testis vitae fati sit lege futurus,

Cum domus accipiet saxea corpus hebes.
Quodque meam retinet vocem data litera saxo,
Voce tua vivet, quisque leges titulum.

1170.

Marii.

Inscribunt titulos et grandia verba sepulcris,
Vix longa absumsit quos Libitina die.
Ista nihil miserae praeter solatia matris
Et quas nunc lacrimas adspicis, urna gerit.
Terna ego Pisaeae numerabam praemia palmae,
Iniecere suas cum mihi fata manus.
Si qua tamen Marii nomen, genus esse Catonis
Fama sit, hoc unum, quod sciat, hospes habet.

1171.

T. Statilius Proculus T. Statilio Apro Filio.

Innocuus Aper ecce iaces, non virginis ira,
Nec Meleager atrox perfodit viscera ferro.
Mors tacita obrepsit subito fecitque ruinam,
Quae tibi crescenti rapuit iuvenile figuram.

1172.

Philotis.

Hic iacet ereptus matura morte Philotes.
Plus reliqui huic mors quam vita datura fuit.
Non habuit vivus, calcem quo sistere posset;
Nunc spatium extincti grande cadaver habet;
Nec natos fraudasse bonis credatur avitis:
Quod pater huic, natis ipse reliquit idem.

1173.

Vitalis mimi.

Quid tibi, mors, faciam, quae nulli parcere nosti?
Nescis laetitiam, nescis amare iocos.
His ego praevalui tota notissimus urbe,
Hinc mihi larga domus, hinc mihi census erat.

Gaudebam semper. Quid enim, si gaudia desint,
Hic vagus ac fallax utile mundus habet?
Me viso rabidi subito cecidere furores,
Ridebat summus me veniente dolor.
Non licuit quemquam mordacibus urere curis,
Nec rerum incerta mobilitate trahi.
Vincebat cunctos praesentia nostra timores,
Et mecum felix quaelibet hora fuit.
Motibus ac dictis, tragica quoque voce placebam
Exhilarans variis tristia corda modis.
Fingebam vultus, habitus ac verba loquentum,
Ut plures uno crederes ore loqui.
Ipse etiam, quem nostra oculis geminabat imago,
Horruit, in vultu se magis esse meo.
O quoties imitata meo se femina gestu
Vidit et erubuit totaque mota fuit!
Ergo quot in nostro videantur corpore formae,
Tot mecum raptas abstulit atra dies.
Quo vos iam tristi turbatus deprecor ore,
Qui titulum legitis cum pietate meum.
O quam laetus eras, Vitalis! dicite moesti!
Sint tibi, Vitalis, sint tibi laeta modo.

1174.

Hic ego, qui sine voce loquor de marmore caeso,
Natus in egregiis Trallibus ex Asia.
Omnia Baiarum lustravi moenia saepe
Propter aquas calidas deliciasque maris.
Cuius honorificae vitae non inmemor heres
Quinquaginta meis millibus, ut volui.
Hanc aedem posuit struxitque novissima templa
Manibus et cineri posteriisque meis.
Sed te, qui legis haec, tantum precor, ut mihi dicas:
Sit tibi terra levis, Socrates Astomachi!

1175.

Quaerere cessavi numquam, nec perdere desi:
Mors intervenit, nunc ab utroque vaco.

1176.

Sabini cursoris imperatorii.

Qui dolet interitum, mentem soletur amore:
Tollere mors vitam potuit, post fata superstes
Fama viget. Periit corpus, sed nomen in ore est.
Vivit, laudatur, legitur, celebratur, amatur
Nuncius Augusti, velox pede cursor, ut aura,
Cui Latiae gentis nomen patriaeque Sabinus.
O crudele nefas! tulit hic sine crimine mortem.
Damnatus periit, deceptus fraude latronum.
Nil scelus egisti: fama est, quae nescit obire.

1177.

Dis Manibus.

M. Publicii M. L. Unionis.

Te rogo, praeteriens, fac mora et perlege versus,
Quos ego dictavi, et iussi scribere quendam.
Est mihi terra levis merito, sed quiesco marmore clausus.
Reddidi depositum, coaglavi semper amicos.
Nullius thalamos turbavi, nemo queritur.
Coniunxs cara mihi mecum bene vixit semper honeste.
Praestiti, quod potui, semper sine lite recessi;
Unus amicus erat tantum mihi, qui praestitit omnia semper honeste.

T. Fl. Hermes V. Q.

Tunc meus assidue semper bene luxit amice focus.

Fecit Unio (vivo B.) sibi et Galliae Tyche optimae coniugi et Aemilio Isidoro vernae suo et posterisque suorum et coniugi suae et Isidori et eorum Posterisque et M. Publicio Felici alumno suo.

1178.

D. M. S. L.

Mindius Zosimus Senior.

Vivus mi feci, ne post me lentius heres

Conderet exiguo busta suprema rogo.
Si Sacri sunt manes, iaceo in tenebris.

Cum Successa coniuge Ae. sancta. S. M. T. L.

1179.

D. M. Successi Primigenia soror fecit fratri benemerenti et piissimo.

Iter septem annis ego iam fatale peregi:
Nunc rapior tenebris et tegit ossa lapis.
Desine, soror, me iam flere sepulcro:
Hoc etenim multis regibus hora tulit.

1180.

Functus honorato senio plenusque dierum
Evocor ad superos. Pignora, quid gemitis?
Reddere depositum lex est, ideoque petenti
Corpus humo, manes restituoque polo.
Sumite quod vestrum est, insignia, iura, parentis
Scilicet et titulos: plus satis urna mihi haec.

1181.

Monumentum absolvi hoc sumtu et inpensa mea,
Amica tellus ut det hospitium ossibus;
Quod omnes rogant, sed felices inpetrant.
Nam quid egregium quidve cupiendum est magis,
Quam ubi lucem libertatis acceperis,
Lapsum senectae spiritum ibi deponere?
Quod innocentis argumentum est maximum.

1182.

Laevini et Pontii.

Vester ego, Insubres, iaceo hic sub marmore, vester
Laevinus, Lyciae gloria gentis eram.
Quid mihi honos? quid opes? virtus me sola beavit,
Qua mortalibus et coelitibus placui.
Quae fuit in terris vestrae mihi cura salutis,
In superis eadem nunc quoque cura mihi est.

In eodem marmore.

Pontius hic pariter sua convicarius ossa
  Hic cum Laevino iussit humanda suo,
Ut quos viventes animus coniunxerat idem,
  Defunctos eadem iungeret urna duos.
Flete virum, quicumque illo superestis ademto,
  Gaudete ob civem dique deaeque novum.

1183.

Cassii Agrippini.

Ille ego, qui quondam praetor paucisque diebus
Praetextatus agri iudex finisque regendi
Iustitiam colui partesque aequaliter ambas,
Hic sum, quem cernis nunc, Cassius Agrippinus.

1184.

P. Aelii Ulpii II. et Exdec.

Hanc sedem longo placuit sacrare labori,
Hanc requiem, fessos tandem qua conderet artus
Ulpius emeritis longaevi muneris annis.
Ipse suo curam titulo dedit, ipse sepulcri
Arbiter hospitium membris fatoque paravit.

1185.

Telephus hac sede Iucunda Pothusque quiescent,
  Debita cum Fatis venerit hora tribus.
Hic locus heredi ne cesserit; inviolati
  Sint cineres tum, quos cana favilla teget.

1186.

Sic tibi contingat feliciter ire, viator:
  Immatura meo perlege fata loco.
Zelotos iaceo: vixi, dum fata sinebant;
  Si tamen haec vita est, tam cito posse mori.
Bis mihi septenis finis datur ultimus annis;
  Nomine me rapuit mors inimica meo.

1187.

Zoticus hic nomen nudum vanumque reliqui:
cineres corpus et in aethera vita soluta est.

1188.

Sex. Naevio L. F. Pub. Verecundo Sign. Coh. XIIII. nato Veronae.

Ossa relata domum: cinis hic adoperta quiescit.
Heredes titulum, versiculos *posuit.*

Cornelius Eroi Conlegae et amico.

1189.

Hic situs ille ego sum Merulator Publius, ipso
Qui vocitatus eram Baebius cognomine patris.
Roma mihi patria: nomen meum: primus in aevom.
Hos versus fraterque soror tumuloque dicarunt,
Qui pietate sua merito laudem posuere.

P. Baebius P. F. Pal. Myrtilus et Pomponia Spica unico fratri dignissimo et pio fecerunt.

1190.

Aquis Tarbellicis.

Urbis magnificae Paetus proconsul Aquensis,
Moribus et sensu maturus obit tener annis.

1191.

D. M.

L. Alfidio Urbano trib. Mil. Leg. VII. G. P. F. Antoninianae, homini in vita sua optimo, ex testamento eiusdem, arbiterio Corneli Rustici soceri.

Vive laetus, quisque vivis,
Vita parvom munus est.
Orta mox sensim vigescit,
Deinde sensim deficit.

1192.

Hic Chiae cubat amphorae maritus,
Mettus Fuffetius Corelianus

Pauper deliciis, gula atque luxu,
Dives, si mediocritate scisset
Uti, Socraticus tamen re in una,
Quod se scire nihil satis sciebat.,

1193.

Potatoris.

Vina dabant vitam, mortem mihi vina dedere,
Sobrius auroram cernere non potui.
Ossa merum sitiunt; vino consperge sepulcrum,
Et calice epoto, care viator, abi.

Valete potatores.

1194.

Humano generi legem natura creatrix
Hanc dedit, ut tumuli membra sepulta tegant.
Liberii soboles matrique patrique superstes.
Triste ministerium mente dedere pia.
Hic sunt membra quidem, sed famam non tenet urna:
Nam durat titulis nescia fama mori.
Rexit Romuleos fasces currentibus annis,
Successu parili Gallica iura tenens.
Hos non inbelli pretio mercatus honores,
Sed pretium maius detulit alma fides.
Ausoniis populis gentiles rite cohortes
Disposuit, sanxit foedera, iura dedit.
Cunctis mente pater, toto venerabilis aevo,
Ter denis annis proximus occubuit.
O quantum bene gesta valent! cum membra recedunt,
Nescit fama mori: lucida vita manet.

1195.

Optime, mutasti vitam cum morte, Sabelli,
Vita sed est potius morte secuta tua.
Nunc etenim vivis, nunc et felicius aevum
Ducis ab humana conditione procul;
Nunc et, in excelsa coeli regione locatus,
Cum superis nectar pascis et ambrosiam.

1196.

D. M.

P. Caulius.

Syntrophus hic situs est. Vixi sine crimine vitae.
Vos ego nunc moneo, semper qui vivitis avare:
Nudus natura fueras e matre creatus,
Nudus eris; obitis gratia nulla datur.

Ann. L.

1197.

Dum quaerit nomen multis notescere nostrum,
Contentus titulo nummos mihi reddidit heres.

1198.

Hospes, disce novum mortis genus. Inproba felis
Dum trahitur, digitum mordet: et intereo.

F e m i n a r u m.

1199.

Paulinae Valeriae.

Decipimur votis et tempore fallimur et mors
Deridet curas. Anxia vita nihil.

1200.

Tarquiniae Modestae, quae vixit ann. XV. M. VI. D. VI. Modestus et Laciva parentes, Lucentius maritus, cum quo vixit M. VI. D. VII.

Nam fuit eximia specie miroque decore:
Mens inerat vere corpore digna suo.
Vale vale dulcissima.

1201.

Cominius Firmus Oppiae.

Exemplum periit: castae lugete puellae.
Oppia iam non est, erepta est Oppia Firmo.
Accipite hanc animam numerosque augete sacrorum,
Arria Romano et tu Graio Laodamia.
Hunc titulum meritis servat tibi fama superstes.

1202.

Marcellinae.

Hic pietatis honos, haec sunt pia dona mariti.

1203.

Ariadnae.

Ne quis flere velit, si tumulum ac titulum
Viderit extructum: sic fatum voluit.
Vixi dum potui, tempore quo licuit.
Ignis habet corpus, ipsam coelum ani
Vexit aqua Porthmeus, terra habet h
Ignis, aqua, coelum, terra simul ca
Si nomen quaeris, quam Liber ra
Digna Ariadna polo nobile sidus
Amoque ego nec casta cessit Pen
Alcesti comes. aemula mors rap
Salvos erit coniunx, maior erit
Ter denos annos, menses un
Divisos fatis, ter sex vixi d
Annos bis septem virgo ag
Coniuge Alexandro Sosia c
Iungit carus amor, dividi

1

L

Siste gradum, quam
Sic fati nullus te
Lesbia, quam tule
Indicio sit amo
O... ...rentam

. M.
uricio
II.

rninae.

is,

o sinu
rus,
elo reddita est.

ptiae
et amomo.
riatur,
e meum et me.
o
aite dulci.
inam umbram,
cla maritae.
ritus ivit.
m animae.
sus ero, quod non

sque itidem est.

1

ytheris.
a conteget ossa,

Noluerunt superi: cito reddidit omne, (nefandum!)
Quod fuit, ad superos, quae nullis invida vixit.

1206.

Sanguine si nostro, nostra si morte liceret
  Pallentes Orco, pro dolor! eripere,
Et si, quae patimur crudeli funere fata,
  Hoc saltem nobis munere grata forent:
Taederet quantos coeli convexa tueri!
  Quantae saevirent in sua corda manus!
Et tu, quae fuerim, si nosses, candide lector,
  Nunc animam quoque tu purpuream vomeres,
Vivere quo rursus possem et superesse daretur,
  Fingere et innumeras nexa per ora animas.

1207.

Meretricis.

Forma atque illecebris Veneri vixi aemula. Livor
  Saxo hoc delicias invidus occuluit.
Artificis pietate iterum rediviva placebam,
  Ni me vidisset Cypria marmoream.

1208.

Candidae.

Mors, quae perpetuo cunctos absorbet hiatu,
  Parcere dum nescit, saepius ipsa favet.
Felix, qui affectus potuit dimittere tutos,
  Mortalem moriens non timet ille viam.
Candida praesenti tegitur matrona sepulcro
  Moribus, ingenio et gravitate nitens,
Cui dulcis remanens coniux natusque superstes;
  Ex fructu mater noscitur in sobole.
Hoc precibus semper, lacrimosa hoc voce petebat,
  Cuius nunc meritum vota secunda probant.
Quamvis cuncta domus numquam te flere quiescat,
  Felicem fateor sic meruisse mori.

Hic requiescit in pace Candida C. F. quae vixit P. M. ann. L. die IIII. Id. septem imperante D. N. Mauricio P. P. Augusto anno III. P. C. eiusdem ann. II. ind. quarta.

1209.

Polliae Saturninae, Titio Philippo, Aeliae Saturninae.

Inmatura quies quos abstulit, hic siti sunt tres,
Mater cum parvis pignoribus geminis.
Pollia Saturnina parens triginta per annos
Vixit et enituit docta sonare mele,
Octo puer Titius, proles cito rapta, Philippus,
Et fratri tenero carior una soror
Aelia Saturnina obiit uno insuper anno:
Nec cantus vitam protulit aut choreae.

1210.

Bassa, vatis quae Laberi coniuga, hoc alto sinu
Frugi matris quiescit, moribus priscis nurus,
Animus sanctus cum merito, si anima coelo reddita est.
(fornice interiecto sequitur.)
Parato hospitio cara iungunt corpora.
Haec rursum nostrae, sed perpetuae nuptiae
In spica et casia et bene odora stacta et amomo.
Inde oro, germenve novum vel flos oriatur,
Unde coronem amens aram carmenque meum et me.
Purpureo varium vitis depicta racemo
Quattuor amplexa est ulmos de palmite dulci.
Scenales frondes detexunt hinc geminam umbram,
Arboream, proceram et mollis vincla maritae.
Hic corpus vatis Laberi; nam spiritus ivit.
Illuc, unde ortus, quaerite fontem animae.
Quod fueram, non sum, sed rursus ero, quod non sum.
Ortus et occasus, vitaque morsque itidem est.

1211.

Rusticella M. L. Cytheris.

Quandocumque levis tellus mea conteget ossa,

Incisum et duro nomen erit lapidi.
Quod si forte tibi fatorum cura meorum,
Ne grave sit, tumulum visere saepe meum,
Et quicumque tuis umor labetur ocellis,
Protinus inde meos defluat in cineres.

1212.

Quid lacrumis opus est, Rusticelli, carissime coniux,
Extinctos cineres sollicitare meos?

Una domus cunctis, nec fugienda viris.

Ut quae volui tempore tempus habet
Nondum vicenos annos compleverat annus:
Supremum Parcae sorte dedere mihi.

1213.

In Neaeram, quae amore concita dedit se praecipitem in puteum.

Quod leges sanctique diu vetuere parentes,
Me scelus in tetrum compulit alma Venus.
Coniugii spe capta, Leon, tua facta Neaera,
Proh spreta ah! turpis fabula sum populo.
Coniuge desertam dum me vicinia latrat,
In puteum praeceps liqui animam atque diem.
Non diva es, sed dira, Venus, blanda, horrida, fallax,
Uris tu, aut maculas aut furibunda necas.

1214.
Aeliae Sabinae.

His iacet exanimis tumulis Aelia Sabina,
Tum sua nata simul, foetu quam procreat ipsa.
O fortuna, fidem quantam mutasti maligne.
Quam genuit genitrix, secum tenet in lare Ditis.

1215.
Clodiae Secundae.

O quanta pietas fuit in adolescentula,
Fides, amor, sensus, pudor atque sanctitas!

Noli dolere, amica, eventum meum:
Properavit aetas, hoc dedit fatum mihi.

1216.

In partu mortuae.

Lux, fatum, foetus, proles geminantur, et ante
Quam pariam, pereo: reddita utrumque fero.

1217.

(In anteriori facie.)

Servavi thalamum genio, dulcissime coniux,
Servandus nunc est pro thalamo tumulus.

(in altera facie.)

Ornasti et manes lacrimis, miserabilis uxor;
Haud optare alias fas erat inferias.

1218.

Petroniae.

Levitae coniux, Petronia, forma pudoris,
His mea discedens sedibus ossa loco.
Parcite vos lacrimis dulces cum coniuge natae,
Viventemque deo credite flere nefas.

1219.

Petroniae Thallusae.

Liberta et coniux Petronia, cara patrono,
Thallusa hoc tumulo condita luce caret:
Quae bis vicenos conplerat lucibus annos,
Erepta est subito coniugis e gremio.
Hanc sic adsidue deflet Petronius, ut iam
Deficiant oculos lumina cara suos.
Desine per terras infernas tendere ad arces;
Fata animam dederant, fata eademque negant.

1220.

Coeliae.

Aspecto paulum tumulo subsiste, viator,
Nescis dum vitae tempora parva meae.

Coelia nomen erat sapiens, proba, *fida marito,*
[Viximus annos tredecim, menses quatuor.]
Et sic me miseram destituere dei.
Sperabam Lethen defunctorumque *quietem,*
Nil mihi Lethei profuit *amnis aqua.*
Durat et infixus noster dolor ab . . .
Aetatis rap . . . coniug . . .

1221.

Una dies adimit crudeli clade peremtas,
Quis ara haec posita est, poena hominis miseri!
Filia namque perit, periit et mater: eundem
Deserit illa patrem, deserit ista virum.

1222.

Sicinia Q. F. Mater.
Sicinia C. F. Secunda.

Filia cum matre est, hospes, sei forte requiris,
Heic sita, quas rapuit mortis acerba dies.
Sed prius eripuit matri, qui in omnia pollet,
Crudelis casus filiolam e manibus.
Paene inmatura morte ereptam sibi gnatam
Heu quantum mater ın bıcıocıost
Nam postquam et monumento hoc condecoravit
Gnatam, per luctus reddidit ipsa animam.

1223.

Have Septimia
S. T. T. L.

Quisquis huic tumulo posuit ardente lucernam,
Illius cineres aurea terra tegat.

1224.

Samnis sum genere, Proculam dixere parentes.
Firminum genui, Firmino iuncta marito.

1225.

Luciolae.

Luciola, effigies illorum iudice quovis,
Quos peperit quondam morum fecunda vetustas,

Hic tegitur, laudis monumento cuncta superstes.
Nobilitas patriae Treveri praeclara, patrumque
Arvernum hospitium civem se adscisse supernis.
Pignorat haec tellus terrae felicis alumnam.
Fundorum spatiis cinerum est possessio maior
Coniuge Fortunato equitum peditumque magistro.
Omni humili officio dum se gerit, auxit honores:
Altior invidia, qui non succumbit honori, est.

1226.

Apusulena Geria vix. ann. XXV.

Quod quisque vestrum mortuae optarit mihi,
Eveniat illi semper vivo et mortuo.

1227.

Atiliae L. F. Pomptillae.

Urbis alumna graves casus hucusque secuta
Coniugis infelicis, Atilia, cura Philippi,
Hic sita sum, manibus gratis sacrata mariti,
Pro cuius vita vitam pensare precanti
Indulsere dei; ne cesset fama, meremur.

Quod credis templum, quod forte, viator, adoras,
  Pomptillae cineres ossaque parva tegit.
Sardoa tellure premor, comitata maritum,
  Proque viro fama est me voluisse mori.

In latere sinistro.

Hic Pomptilla iacet cineri coniuncta Philippi,
Coniugis hilaris includi . . . ad votum
Quae fecit ad . . . memine . . . argumentum
Iunonis sedes infernae cernite cuncti,
Numine mutato fulget Pomptilla per aevum.

Unum et viginti vix iuncti viximus annos,
  Una fides nobis gaudia multa dedit.
Et prior ad letum cum sim Pomptilla recepta,
  Tempore tu, dixi, vive, Philippe, meo.
Nunc aeterna quies Ditisque silentia moesta
  Hanc statuere mihi pro pietate domum.

Languentem tristis dum flet Pomptilla maritum,
Vovit pro vita coniugis ipsa mori.
Protinus in placidam delabi visa quietem
Occidit. O celeres in mala vota dei!
Has audite preces, vitam servare marito,
Ut pereat vita dulcior illa mihi!

Puerorum et Puellarum.

1228.

Floridi.

Quod vixi, flos est. Servat lapis hoc mihi nomen.
Nolo deos manes, flos satis est titulo.

1229.

. . . nec duro iam doleas obitu.
Nec tibi nec nobis aeternum vivere cessit.
Quod pueri occidimus, fata querenda putas?
Dum sis in vita, dolor est amittere vitam.
Dum semel occidimus, omnia despicias.
Orbem sub leges si habeas, dum vivis, ad Orcum
Quid valet? hic nulla est divitis ambitio.

1230.

Sulpicii.

Si iuvenis, si vir peccat, si numina temnunt,
Et claudunt fatum saepius ante diem:
Arbiter haec aevi recte dispensat. At urna haec
Sulpicii pueri maesta tegit cineres.

1231.

In puerum modo natum.

Funere non aequo puer inmaturus obivi
Marmoreisque meis hic iaceo tumulis.
Non potui parvus puerilem inplere iuventam,
Nec vestire meam flore novo faciem,
Nec senior capiti niveos mutare capillos,
At fati victus sorte puer perii.

Heu crudele nefas! Quae me generaverat hora,
Haec eadem vitae terminus hora fuit.

1232.

Non ego, quod perii, doleo, sed parvulus infans
Quod, cum plus saperem, spem merui dubiam.
Si vita incolumis potuisset vincere fata,
Crevisset generis gloria magna mei.
Fortuna invisa est, spes et frustrata iacentem:
Mors cuncta eripuit, dira quies hominum.

1233.

Duo. Iuvav. Lupi et Afri.

Una Iuvavonis domus hos produxit alumnos,
Libertatis opus contulit una dies.
Naufraga mors pariter rapuit, quos iunxerat ante,
Et duplices luctus sic periniqua dedit.

1234.

Ummidiae manes tumulus tegit iste simulque
Primigeni vernae, quos tulit una dies:
Nam Capitolinae conpressi examine turbae
Supremum fati conpetiere diem.

Ummidiae C. F. et P. Ummidio Primigenio vix an. XIII. P. Ummidius Panoptes fecit.

1235.

Quintum annum et decimum Narcissus flore iuventae
Hoc iacet abreptus conditus in tumulo.
Quisquis ades, lector, fatum miserabile cernis;
Parcae tam inpubem quem rapuere mihi.
Maeret cara soror, quae fratrem luget ademptum,
Mater hebet. Natum florem lux candida torquet.

Hic septimum decimum frumentum publicum accepit, sextum decimum vendidit.

1236.

Pagi pueri.

Quicumque es, puero lacrimas effunde, viator.
Bis tulit hic senos primaevi germinis annos

Deliciumque fuit domini, spes grata parentum,
Quos male deseruit longo post fata dolori.
Noverat hic docta fabricare monilia dextra
Et molle in varias aurum disponere gemmas.
Nomen erat puero Pagus, at nunc funus acerbum
Et cinis in tumulo iacet et sine nomine corpus.

Qui vixit annis XII. mensib. VIIII. diebus XIII. ho. VIII.

1237.
Iuli Saturni.

Patris eram quondam spes et solamen Iulus,
Nunc desiderium mortuus et lacrimae.

1238.

Hic puer octavo fraudatus clauditur anno,
Inpia quem fati saeva ruina premit.
Nomen erat Clemens, minime laedendus, et annis
Spes erat in puero, nunc cinis et gemitus.

1239.

Si fructus proprio subdit de germine tellus,
Si reparat sparsis debita seminibus,
Nascentur tumulo formae, nova messis, honores,
Et lepor et suavis germina nequitiae.

1240.

Inclusit tenerum pretioso marmore corpus
Aeternam in sedem nominis Itacii.

1241.

Sic tibi praeterito redeat felicior annus
Caper, et ex facili vita regatur ope.
N . . durae mortis sacratos laedere manes,
Ecce monent leges et levis umbra rogi.

1242.

Parvulus hic situs est: vixit tres usque per annos
Inque novem menses invalidosque dies.

Nomine Chrysologus amabilis usque erat infans,
Flebilis et misere raptus ad inferias.

Saturninus filio. Velia Lalema delicato suo posuit.

1243.

Ori pueri.

Lege aeviterna traditus leto puer
Bis octo in annis hocce sub tumulo iacet,
Quem cuncta flevit turba, multo plus herus,
Speciem obtinentem moribus cum vinceret.
Hic Phocaeensium civis in patrio solo,
Nunc Italorum, Ditis intra terminos
Nomen tenebit Isidis nati puer.

1244.

Restitutae.

Hoc castae in tumulo iacet aetas prima puellae,
Orbati dolor infelix utriusque parentis.
Coniugis aeternum lacrimoso crimen amore
Et cito desertae subolis lacrimabile fatum.
Da, quicumque legis, fletus et parce sepulcro.

1245.

Antillae.

Heus tu, qui transis secura mente, viator,
Siste gradum, hoc tumulo et verba notata lege.
Antilla hic iaceo nondum trieteride plena
Bis mihi cum vita carior omnis erat.

1246.

Magnillae.

Umbrarum secura quies animaeque piorum
Laudatae, colitis quae loca sancta Erebi,
Sedes insontem Magnillam ducite vestras,
Per nemora et campos protinus Elysios.
Rapta est octavo fatis instantibus anno,
Carpebat vitae tempora dum tenerae.

Formosa et sensu mirabilis et super annos
Docta, decens, dulcis, grataque blanditiis.
Perpetuo talis gemitu lacrimisque colenda,
Infelix aevo tam cito quae caruit.
An felix aegrae potius subducta senectae?
Sic Hecubâ flevit Penthesilea minus.

1247.

Felix haec visa est nascendi lege puella,
Quae non est miseros ture potita lares,
Sed legem fatis Parcae dixere cruentam,
Primus natalis condat ut ossa sua.
Cognomen pater huic fuerat natale daturus.
Abstulit atra dies una cum corpore nomen.

1248.

Remi et Archontiae, qui natione Galla germani fratres adulti una die mortui et pariter tumulati sunt.

Haec tenet urna duos, sexu sed dispare fratres,
Quos uno Lachesis mersit acerba die.
Ora puer dubiae signans lanugine vestis,
Vix hiemes licuit cui geminasse novem.
Nec thalamis longinqua soror trieteride quinta
Taenarias crudo funere vidit aquas.
Ille Remi Latio fictum de sanguine nomen,
Sed Gallos claro germine traxit avos.
Ast haec Graiugenam resonans Archontia linguam
Nomina virgineo non tulit apta choro.
Depositi Nonis Novembr. Cons. Dioscoro V. C.

1249.

Sum castae cinerum lapis puellae
Custos: me relegens pius viator,
Huius cognita si tibi fuisset
Virtus, lacrimulis tuis rigares.
Evodiae Cyparae ann. VI.

1250.

C. Acili Erotis et Aciliae Romanae.

Quamvis inscriptum ferali carmine saxum
Saepe legas, nostro nil puto flebilius.
Siste gradum parvamque moram concede, viator,
Aspicies, quantas liquerimus lacrimas.
Una forte die duplici nos pondere mater
Edidit, heu similes, heu male dissimiles!
Invida bis denos Lachesis concesserat annos,
Nondum alio pleno, quod dederat, rapuit.
Nomine Acilianus, quo nomine nunc soror orba est,
Vivat et a fatis sit procul usque meis.
. . adhuc misero quod erit mis . . . .

1251.

Domitii.

Quam male sors leti confundit prospera vitae,
Ut citius terris, quod placet, eripiat.
Protulerant iuvenem coelesti munere secla,
Cui pietas fidei, gratia comis erat,
Iustitia clarum, meritis animoque beatum,
Moribus eximiis, nobilitate probum.
Sed breve tempus habet munus quodcumque deorum,
Invida Domitium fata tulere sibi.
Communis, sapiens, humilis, moderatus, honestus:
Credere vix possis, ista potens habui.

1252.

M. Annaeus M. F. Esq. Longinus Maccus vixit dulcissime cum suis ad supremam diem. C. Gavius Primigenius vix. ann. VII.

Desine iam mater lacrimis renovare querellas,
Namque dolor talis non nunc tibi contigit uni.

1253.

Iucundus Liviae. Drusi Caesaris. F. Gryphi et Vitalis.

In quartum surgens comprensus deprimor annum,
Cum possem matri dulcis et esse patri.

Eripuit me saga manus crudelis ubique,
Cum manet in terris et nocet arte sua.
Vos vestros natos concustodite, parentes,
Ne dolor in toto pectore fixus eat.

1254.

Eutreptus iustis bissenos cursibus annos
Egit, at ante diem mors illum mersit acerbo
Funere, nec potuit cuiquam superare suorum.

D. P. D. N. Anastasio agente.

1255.

Crocalae.

Artibus ingenuis cura perdocta suorum,
Sortita egregium corporis omne decus,
Nondum bis septem plenis praerepta sub annis
Hac Crocale casta condita sede iacet.
Ludite felices, patitur dum vita, puellae.
Saepe et formosas fata sinistra trahunt.

1256.

Rufini et Rufinillae.

Quisquis es, huc oculos paulum converte, viator,
Et lege, quod nomen hic titulus teneat.
Antoni fratres, vivorum plaga parentum,
Perfuncti fato hic tenuere locum.
Ambo per invidiam crudeli funere rapti,
Rufinus prior et Rufinilla dehinc.

1257.

Rhanidi Sulpiciae L. Delicio.

Nata brevi spatio, partu subiecta nec ante,
Testatur busto tristia fata Rhanis.
Namque bis octonos nondum conpleverat annos
Et rapta est vitae, rapta puerperio.
Praesens hic tumulus duo funera corpore in uno,
Exequias geminas nunc cinis unus habet.

Sulpicia Trionis L. Rhanis.

1258.

Theodotae.

Virginis hic tenerae, lector, miserere sepultae,
Unius huic lustri vix fuit acta dies.
O quam longinquae fuerat dignissima vitae,
Heu! cuius vivit nunc sine fine dolor.
Addamus meritis lacrimas tam mortis acerbae;
Nam quae grata forent, sunt modo flenda diu.
Haec Theodote habuit nomen, quae gaudia matris
Perculit aeterno vulnere rapta cito.
Sola tamen tanti restant solatia luctus,
Quod tales animae protinus astra petunt.

1259.

Mortua cum fueris, fati quod lege necesse,
Usta cinis proprio contegat ossa solo.
Sacratam cunctis sedem ne laede, viator.
Hanc tibi nascenti fata dedere domum.

1260.

Fato crudeli si qua est erepta puella,
Certe ego, quae dominae cara puella fui.
Quae me omnes artes docuit: doctissimacumque
Essem, rapta Scope, nunc tegor hoc tumulo.

1261.

Deiphobes.

Deiphobe iacet hic, prima intercepta iuventa
Et secli et sexus gloria rara sui;
Quae, dum vita fuit, superos ipsumque Tonantem
Torserat, inferno nunc movet arma Iovi.

1262.

Vincentiae.

Connubii decus egregium, lux alma parentum,
Eximiumque bonum corporis atque animi.

Invidia fati rapitur Vincentia florens,
Et nunc ante patrem conditur Helyonem.
Quin potius corpus: nam mens aeterna profecto
Pro meritis potitur sedibus Elysiis.

1263.
Probae.

Germine sublimi Proba nomine, mente probata,
Quae subito rapta est, hic tumulata iacet.
In quam, quidquid habent cunctorum vota parentum,
Contulerat tribuens omnia pulchra deus.
Hinc moestus pater est, aviae matrique perennis
Hinc dolor. Heu facinus! quanta perit pietas.
Accipe, qui lacrimis perfundis iugiter ora:
Mors nihil est, vitam respice perpetuam.

Quae vixit annis V. menses VIIII. obiit sd. (i. e. sub die) *III. Ids. Octobris Paulino V. K.*

1264.

D. Laelius D. F. Pal. Marsilius
D. Laelius Mercatori frat.
D. Laelius mercator pater
Laelia Nebris mater filio.

Quod tu debueras frater post tempora no*stra,*
Maiorum ut faceres morte suprema mi*hi,*
Feci ego cum miseris, miseros quos den*ique linquis,*
Invida quod pietas lege sinistra tulit.

1265.

Hoc, Anuline, mei memorantur carmine Manes,
Parvola quae vix denos . . . menses:
Sed mea divina non est itura sub umbras
Coelestis anima. Mundus me sumpsit et astra,
Corpus habet tellus et saxum nomine inane.

1266.
Argenteae puellae.

Mors tibi sub teneris, Argentea, contigit annis,
Cuius fausta patrum secula nomen erant;

Quae nos non aliter quam te consumpsit amantes,
Quorum sensus adhuc quod dolet, intus amat.
Non bene pensantur leti dispendia luctu:
Plus moritur, vivens qui valet esse miser.
Sume igitur lacrimas, quarum solatia sensus
Nulla tui, sed nos, quos nocuere, iuvant.
Frangitur explicitis tristis fortuna querelis
Et reserata minus pectora vulnus habent.
Nomen dulce matris solumque, Argentea, pignus,
Heu mihi! quam subito funere rapta iaces.
Vernantes gelido decoxit frigore flores
Et gemmam in fructu mors inimica tulit.

1267.

Volumniae Isiacae.

Ossa sub hac lapidum felicia mole quiescunt,
Sacra animam innuptae virginis aula tenet.

1268.

Xantiae et Tydonii.

Hoc hoc sepulchrum respice,
Qui carmen et Musas amas,
Et nostra communi lege
Lachrumanda titulo nomina:
Nam nobis pueris simul
Ars varia, par aetas erat;
Ego consonanti fistula,
Sydonius aera perstrepens.

Hoc carmen, haec ara, hic cinis
Pueri sepulchrum est Xantiae,
Qui morte acerba raptus est,
Iam doctus in compendia
Tot literarum et nominum
Notare currenti stilo,
Quot lingua currens diceret.
Iam nemo superarat legens,
Iam voce herili coeperat

Aurem vocari ad proximam,
Heu morte propera concidit,
Arcana qui solus sui
Sciturus domini ſuit.

1269.

Epitaphium Cassandrae virginis.

Xandra est haec, omnes quam dilexere poetae,
Quam Venus Ascanio praefert alma suo.
Haec Iovis ardentes merito superabat amores,
Quos Ganymedeo pertulit igne deus.
Cuius et in parvo Musae scripsere sepulchro
Carmina, post manibus thura dedere suis.
Quae poterat ſorma cunctas vicisse puellas,
Hoc Xandram tumulo contegit urna brevis.

1270.

Ephebus Aucti f. bimus et mensum III. dies XIIII. vixit.

Nolite dolere parentes eventum meum.
Properavit aetas: hoc dedit ſatum mihi.

1271.

Hic tegitur, pulcri si quid in orbe ſuit.

1272.

D. M.

Q. Volusi Sp. f. Lem. Anthi.

Parvolus in gremio communis ſorte parentis
Dum ludit, fati conruit invidia.
Nam trucibus iunctis bubus tunc ſorte noveli
Ignarum rector propulit orbe rotae.
Maestus uterque parens postquam miserabile funus
Fecit, *et* inferiis munera summa dedit,
Hunc Antho tumulum male deſlorentibus annis
Pro pietate pari composuere suo.

Q. Volusius Q. l. Anthus pater fecit sibi et Siliae d. l. Feliculae coniugi sanctissimae, Volusiae Q. f. Nice, Q. Volusio Q. f. Antho, Siliae d. l. Nice, C. Silio Antho.

1273.

M. Ennius M. f. Macedo sibi et Polliae Syntycheni Enniae Iucundillae.

Quicumque Albana tendis prope *parte*, *viator*,
Paulisper celeres, te rogo, siste pedes,
Neu grave sit, tenerae cognoscere fata puellae,
Neu grave sit, nostra morte dolere sini.
Bis mihi iam senos aetas compleverat annos,
Spemque dabat thalami coniugiumque viri,
Cum mors festinans crescentis *sustulit annos:*
Flevit et assiduo maestus uterque parens.
Nunc ita in aeterna requiesco *sede sepulta,*
Et finem fati conqueror ipsa mei.
. . et Maxsim . . .

Mariti Uxoribus.

1274.

Atimetus Pamphili Ti. Caesaris Aug. L. L. Anterotianus sibi et Claudiae Homonoeae Collibertae et Contubernali.

Tu qui secúrá procedis mente, parumper
Siste gradum, quaeso, verbaque pauca lege.

[*Homonoea*]

Illa ego, quae claris fueram praelata puellis,
Hoc Homonoea brevi condita sum tumulo,
Cui formam Paphié, Charites tribuere decórem,
Quam Pallas cunctis artibus erudiit.
Nondum bis dénos aétas mea viderat annós,
Iniécere manus invida fáta mihi.
Nec pro me queror hoc, morte est mihi tristior ipsa
Moeror Atiméti coniugis ille mei.

[*Atimetus*]

Si pensáre animas sinerent crúdelia fáta
Et posset redimi morte aliena salus,
Quantulacumque meae debentur tempora vitae,
Pensarem pro te, cara Homonoea, libens.
At nunc, quod possum, fugiam lúcemque deosque,
Ut te matura per Styga morte sequar.

[*Homonoea*]

Parce tuam, coniux, fletu quassare iuventam
Fataque maerendo sollicitare mea.
Nil prósunt lacrimae, nec possunt fata moveri.
Viximus: hic omnes exitus unus habet.
Parce: ita non umquam similem experiare dolórem,
Et faveant vótis numina cuncta tuis,
Quodque mihi éripuit mors immatura iuventae,
Id tibi victúro proroget ulterius.

[*Atimetus*]

Sit tibi terra levis, mulier dignissima vita,
Quaeque tuis olim perfruerere bonis.

[*Homonoea*]

Ἡ πολὺ Σειρήνων λιγυρωτέρη, ἡ παρὰ Βάκχῳ
Καὶ θοίναις αὐτῆς χρυσοτέρη Κύπριδος,
Ἡ λαλίη φαιδρή τε χελιδονὶς ἔνθ' Ὁμόνοια
Κεῖμαι Ἀτιμήτῳ λειπομένη δάκρυα.
Τῷ πέλον ἀσπασίη βαιῆς ἄπο, τὴν δὲ τοσαύτην
Δαίμων ἀπροΐδὴς ἐσκέδασεν φιλίην.
Permissu Patroni.

1275.

Perpetuas sine fine domos mors incolit atra
Aeternosque levis possidet umbra lares.
Vita subit coelum, corpus tellure tenetur.
Omnia sic repetunt iura locosque suos.
Sic rerum natura iubet, sic temporis ordo;
Quae modo sunt, pereunt, quaeque futura, cadent.

Suscipe nunc, coniux, si quis post funera sensus,
 Debita sacratis manibus officia.
Multorum invidia tandem caruisse memento.
 Ne quidquam paveas, templa quietis habens.

Hic Probina iacet, Gracili cito rapta marito,
 Diebus post paucis est comitata suos.
Invida sors rerum fatis quid mergis acerbam,
 Nec te coniugii flectere novit amor?
Heu miseranda mihi auspiciis coniuncta sinistris;
 Quo fato traheris, hoc veniente peris.
Quid, Probina, tibi foecundae viscera prosunt?
 Concipis adfectum, luctus et ipse parit.
Nil te dura movent communis funera leti,
 Cum tuus in nostro pectore vivat amor.

1276.
Claudiae.

Hospes, quod deico, paullum est, asta ac pellige.
Heic est sepulcrum haud pulcrum pulcrai feminae.
Nomen parentes nominarunt Claudiam.
Suom mareitum corde deilexit souo.
Gnatos duos creavit; horunc alterum
In terra linquit, alium sub terra locat.
Sermone lepido, tum autem incessu commodo.
Domum servavit. Lanam fecit. Dixi. Abei.

1277.
Anchialus Lesbiae.

Hospes, sta et lacruma, si quidquam humanitus in test,
 Ossua dum cernis consita moesta mihi.
Quoius laudati mores et forma probatast
 Anchialo, quem cura anxia debilitat.
Lesbia sum, quae dulcis mores sola reliqui
 Et vitam vivens parui in officiis.
Sei nomen quaeris, sum Lesbia; si duo amantes
 Anchialus dulcis cum suo homine Spurio.
Sed quid ego haec cerno? mea sunt hic ossua in olla
 Consita. Vive hospes, dum licet, atque vale.

1278.

M. Annidius M. L. Ponticus sibi et Sabidi.

Docta lyra, grata et gestu, formosa puella,
Hic iacet, aeterna Sabis humata domo.
Cuius fatales pensare optaverat annos,
Ponticus huic coniux ultima dona dedit,
Hunc titulum, socios manes, commune sepulchrum.

1279.

Iulia Procilla vix. an. XIX. Amaranthus Caesaris aedituus ab Concordia coniugi bene meritae posuit.

Hunc tibi perpetuo titulum, gratissima coniunx,
Corporis extincti dedicat ipsa fides.
Vixisti mecum iuvenis carosque per annos,
Quos vita exegi dulciter ipse mea.
Opto, si qua fides remanet telluris amicae,
Sit tibi perpetuo terra levis tumulo.

1280.

Menophilus Popiliae Feliculae.

Hunc tibi nunc titulum statuo, carissima coniunx,
Luctuosumque mihi, qui scio, quid fueris.
Extremum officium quoniam tibi reddere cogor,
Et merito hoc fieri testis et ipse loquor.
Nunc vos contestor manes, quibus ossa relinquo:
Tellus, huic tumulo ne gravis esse velis.

1281.

Memmia Ɔ. L. Anna.

Ac veluti formosa rosast, cum tempore prodit,
Arescit certo tempore deinde suo,
Sic tu coepisti primo formosa videri
Tempore, sed subito desinis esse mea.
Hoc Stabilis tuus heu! quo possum munere parvo,
Prosequor, atque opto, Sit tibi terra levis.

1282.

Iuliae.

Iulia, quae longa fueras dignissima vita,
Occidis e nostro rapta puella sinu,
Sed comes ardenti nunc degis iuncta Coronae,
Nunc Helicen propius cernis et Andromedan.
Me cruciat, coniux, miserumque absumit amantem
Saevus amor nullis ignibus inferior.
Namque ego seu rebus fuerim districtus agendis,
Seu dederim vacuo languida membra toro,
Tu mihi semper ades, tua praesens semper imago est,
Quae misero moveat flebile cordolium.
Inpia cur teneros, o mors, disiungis amantes,
Quos bene conveniens conciliavit amor?

1283.

Pedanae.

Ingratae Veneri spondebam munera supplex
Erepta, coniux, virginitate tibi.
Persephone votis invidit pallida nostris
Et praematuro funere te rapuit.
Supremum munus, versus donamus et aram,
Et gratam cessit docta Thalia chelyn.
Me nunc torquet amor, tibi tristis cura recessit,
Lethaeoque iaces condita sarcophago.

1284.

Hermes Cocceiae Nicae.

Aeternam tibi sedem Hermes aramque dicavi,
Nice, praeissemque utinam tua fata, superstes
Ut mihi tu faceres, sed iniqua sorte maligna
Rapta iaces, viduata tuis iuvenilibus annis.
Lac tibi sit Cybeles, sint et rosa grata Diones,
Et flores grati Nymphis et lilia serta,
Sintque precor, meritae qui nostra parent tibi dona
Annua, et hic manes placida tibi nocte quiescant,
Et super in nido Marathonia cantet aëdon.

1285.

Calpurnianus Maturae.

Hic sita, quae vixi duodetriginta per annos
Unanimi Calpurniano sociata marito.
Nomine Maturae. Tuder est mihi nota propago,
Aufidius genitor, genuit me Plania mater.
Quadraginta duos mecum fero flebilis annos
Rapta meis fatis: Superi sic namque iubebant.
Ima penetrali Lucinae sacra petenti

. . . .

. . . .

1286.

Servilia Irene reverens, pia, casta, pudica,
Bis quinos denos et sex provecta per annos.
Sit tibi terra levis, cineres quoque flore tegantur.
Chryses B. M.

1287.

Hic erepta iacet supremo funere coniux
Nomine Thecla, mihi quae caro pectore praegnans
Emisit geminum pignus, si fata dedissent.
Crudelis tabes consortem sustulit unum.

1288.

Laeliae Clementinae uxori incomparabili Q. F. Secundus maritus.

Functa iaces hic, sed vivis vivesque Secundo
Laelia tuo, debent nec benefacta mori.
Te, Tellus, sanctosque precor pro coniuge manes,
Vos sitis placidi, tu levis ossa tegas.

1289.

Aurelius L. L. Hermialanius.

Haec, quae me fato praecessit, corpore casto
Coniux una meo perdite amata animo,
Fido fida viro vixit studio parili, quin
Nulla in amaritie cessit ab officio.

1290.

Aurelia L. L. Philematio.

Viva Philematium sum Aurelia nominitata,
Casta, pudens, volgi nescia, fida viro.
Vir conlibertus fuit eidem, quo careo eheu!
Re fuit e vero plus superaque parens.
Septem me natam annorum gremio ipse recepit,
Quadraginta annos nata necis potior.
Ille meo officio assiduo florebat ad omnis.

. . .

1291.

Antoniae L. F. Maurae maritae piissimae dulcissimae rarissimae castissimae Ti. Claudius Speratus maritus infelicissimus v. a. XXIII. d. XXXIX.

Itala me rapuit crudeli funere tellus,
Dum foveo assidua sedulitate virum.

1292.

M. Aemilius M. F. Ianuarius Catiliae Martianae coniugi.

Invide, quid gaudes? illa hic mihi mortua vivet,
Illa meis oculis aurea semper erit.

1293.

Zoe.

Dulcis aput manes Zoe benedicta moraris,
Tu secura iaces, liquisti morte querelas.
Praecesti, hospitium dulce parare tuis.

1294.

C. Asinius Malchio coniugi.

Coniugium inceptum quam, Malchio, dulce memento,
Quae fuerit nobis consociata fides.
Desine iam flere. Fatalis me hora manebat:
[Quae] coniugio dulci distulit illa tuo.
Tunc tu talis eris, qualem tua dextera nobis
Sollicitum praestes, si capit illa fides.

1295.

Glyconis.

Hoc iacet in tumulo secura Glyconis honesto.
Dulcis nomine erat, anima quoque dulcior usque,
Quae numquam tetricos egit sibi lucis honores,
Sed mage lascivos, suaves; Bacchoque madere,
Simplicitate sequi cantus, mollesque choreas
Lusibus ipsa suis generabat, saepe et amores.
Dulce sibi natisque suis, quos pube reliquit,
Castorea fratres sub imagine quos generavit.
Digna quidem frui perpetua de luce benigna,
Sed celerat. quo nos fata severa vocant.
P. Mattius Chariton coniugi B. M. F.

1296.

Rubriae Tertullae v. a. XX. m. IIII. d. IIII. coniugi optimae C. Refanius Macrinus.

Livia me tellus aluit geminamque sororem,
Egregio de patre satas, sancta genetrice.
Kara fui casto bene iuncta pudica marito,
Invida sed fati lex reddidit inrita vota,
Et tantum miserae solatia liquit amanti,
Coniugis in manibus licuit quod ponere vitam.

1297.

Athenaidi et Probo uxori et filio.

Heu crudele nimis fatum! duo funera maerens
Plango vir et genitor flebile mersa deo.
Sat fuerat, Porthmeu, cymba vexisse maritam
Abreptamque mihi sede iacere tua.
Adiecit Clotho iteratum rumpere filum,
Ut natum raperet tristis, ut ante, mihi.
Me decuit morti prius occubuisse supremae
Teque mihi tales, nate, dare exequias.
At tu ne propera, simili qui sorte teneris,
Nunc annos titulo, nomina ut ipsa legas.
Illa bis undenos vixit, natus quoque senos,

Nomen huic Probus est, huic quidem Athenaidis.
Quas ego, quas genitor pro te dabo, nate, querelas!
Raptum quem Stygio detinet unda lacu.
Quam bene bis senos florebas, nate, per annos
Credebamque deis vota placere mea.
Stamina ruperunt subito tua candida Parcae,
Abstuleruntque simul vota precesque mihi.

Cum te, nate, fleo, planctus dabit Attica aedon
Et comes in lachrimas veniet pro coniuge Siren,
Semper et Alcyone flebit te voce suprema,
Et tristis mecum resonabit carmen et Echo,
Oebaliusque dabit mecum tibi murmura cycnus.

1298.

C. Iulius C. L. Antiochus Veratia C. L. Eleutheris.

Sic florem aetatis tenuit Veratia caste,
Nulla ut perciperet gaudia dedecoris.
Coniuge namque uno vixit contenta probato.
Cetera digna bonis femina facta tulit.

1299.

Debita coniugio Apelles pia carmina scribit,
Quam rapuit . . mors inimica viro.
Haec debent memores postrema in morte referre
Ob requiem gratam, quam pia cura dicat.
Coniugis officium testatur carmine parvo
Extremumque tibi refero munus . .
Dulcis, casta, viri reverens, pia, cara, fidelis:
Tot damna amissa coniuge iure fleo.
Te, lapis, obtestor, leviter super ossa quiescas,
Et mediae aetati ne gravis esse velis.
Sex. Pompeius Apelles coniugi incomp.

1300.

Firma Epaphroditi.

Ann. XXIIII.

Firma satis felix, cum me mea vita maneret,
Coniugis obsequio cum pietate fui,

Coniugis illius, quem vix aequare mariti
Adfectu poterunt aut bonitate pari.
Conlibertorum vultus animosque meorum
Placatos merui sedulitate mea.
Placatos merui per te magis, omnis ut aetas
Sanguine me iunctam crederet esse sibi.
Qui tecum pia castra sequi consuetus, et ille,
Quem lex servitii distrahit a domino:
Hos omnes tibi pro meritis, qui sidera torquent,
Secum placatos semper habere velint.
H. S. E. S. T. T. L.

1301.

Marcanae C. F. Verae T. Caesius Lysimachus coniugi sanctissimae et sibi vivus posuit.

Ver tibi contribuat sua munera, florea grata,
Et tibi grata comis nutet aestiva voluptas,
Reddat et autumnus Bacchi tibi munera semper,
Ac leve hiberni tempus tellure dicetur.

1302.

Q. Fabio Augurino et Careiae Sabinae coniugi rarissimae Q. Fabius Augurinus de se benemeritis fecit.

Per haec sepulcra perque, quos colis, manes
His parce tumulis ingredi pedem saepe:
Sic numquam doleas atque triste suspires,
Quantum doloris titulus iste testatur.

1303.

Q. Egnatius Q. L. Blandius sibi et Minuciae Urbanae uxori.

Pro paupertate hic summo tibi tempore, coniunx,
Ut potui, meritis parvula dona dedi.

1304.

D. M.

Ille ego, qui varios cursus variumque laborem
Sustinui, ut multas conciliarem opes,

Transmisi moriens, rerum quaecumque paravi:
  Haec tamen ad manes pertinet una domus.
Et iuxta coniunx meritos testatur honores,
  Aeternum retinens consociata torum.
Nos aetate pares, dulcis dum vita manebat,
  Unus amor iunxit, nunc premit una quies.
Discite, qui legitis, factis extendere famam,
  Ut probat hic titulus: non perit esse bonos.

1305.

Vibiae.

Nonum post decimum conpleras nubilis annum,
  Vibia, crudeli funere rapta viro.
Dum tibi progenies, animo dum fidis in illa,
  Heu facinus victrix! me tua vota gravant.
Molliter ad matrem placidi descendite manes,
  Elysiis campis floreat umbra tibi.
    M. Ateius Epaphroditus.

1306.

Sallustiae Epaphrodite Congidius L. F. coniugi bene merenti, cum qua vixit annis XXVII, mensibus VIII, diebus VI.

Quod viva emerui, moriens quod et ipsa rogavi,
  Coniugis hic maesti reddidit ecce fides.
Sit licet infernae noctis tristissimus horror,
  Me tamen illius credo iacere toris.

. . .

  Te, pie possessor sive colone, precor,
Ne patiare meis tumulis increscere silvas.
  Sic tibi dona Ceres larga det et Bromius.

1307.

Q. Vibius L. F. Sca. Maximus Smintius aerarius sexvir sibi et Meminiae Q. F. Maximae uxori dulcissimae et Q. Vibio Q. F. Vero et L. fratri suo.

Hic lapis et tutamen erit post morte sepulcro,
Et dabit indicium, obitos hic esse sepultos,

Si tamen ad manes credimus esse aliquid.
Vivere quid prodest, nisi si post morte cavemus?
Nomen, fama volat, tantum corpusque crematur,
Aeternamque domum petimus et sine laborum.
Dum legis hoc, disce ponere et ipse tibi.

1308.

C. Rubellius Cintius Marciae L. F. Heliadi Cassiae Sulpiciae C. F. Crassiliae coniugibus carissimis posterisque omnibus suis.

Qui legis hunc titulum, mortalem te esse memento.

1309.

Rubriae Postumae.

L . . . haec, coniux, posui tibi dona merenti,
Hic erit et nobis una aliquando domus.

1310.

Rusticae.

Rustica, perpetuae non te sors pallida vitae
Sustulit, interitum nec tibi morte dedit.
Purior aetherias graderis sine carne per arces;
Nam vitam castae funere nobilitant.
Quod mirum viduata tibi sat constitit aetas,
Coniugis ad natum cum bene ductus amor.

1311.

Vibia Phryne vixit ter senos annos.

Cara meis vixi, subito, fatale! rapina,
Florentem vita sustulit atra dies.
Hoc tumulo nunc sum: cineres simul namque sacrati,
Per matrem caram sunt positique mei.
Quos pius saepe colit frater coniunxque puellae,
Atque obitum nostrum fletibus usque luunt.
Di manes, me unam retinete, ut vivere possint,
Quos semper colui viva libente animo,
Ut sint, qui cineres nostros bene floribus sertis
Saepe ornent, dicant: Sit mihi terra levis.

1312.

Iuliae Feliculae coniugi.

Hospes ad hunc tumulum ne meias, ossa precantur
Tecta hominis. Si gratus homo es, misce, bibe, da mi.

1313.

Iulia Methe.

His foribus carae recubant mihi coniugis ossa,
Expectantque, suis ut mea contribuam.
Tossius ista tibi promisit saepe petenti.
Praestabit, manes si modo tangit amor.

1314.

Cassiae A. F. Dignae Orestinae coniugi castae.

Pro meritis vitae, pro pectore simplice gratus
Tusidius Cyrus hunc titulum fecit amatae.

1315.

Vettius Agorius Aconiae Fabiae Paulinae coniugi.

Paulina, veri et castitatis conscia,
Dicata templis atque amica numinum,
Sibi maritum praeferens, Romam viro,
Pudens, fidelis, pura mente et corpore,
Benigna cunctis, utilis Penatibus.

Paulina, nostri pectoris consortio
Fomes pudoris, castitatis vinculum,
Amorque purus et fides coelo sata,
Arcana mentis cui reclusa credidi,
Munus deorum, qui maritalem torum
Nectunt amicis et pudicis nexibus.
Pietate matris, coniugali gratia,
Nexu sororis, filiae modestia,
Et, quanta amicis iungimur fiducia,
Aetatis usu consecrandi foedere,
Iugi, fideli, simplici concordia
Iuvans maritum, diligens, ornans, colens.

Splendor parentum nil mihi maius dedit,
Quam quod marito digna iam tum visa sum,
Sed lumen omne vel decus nomen viri,
Agori, superbo qui creatus germine
Patriam, senatum coniugemque inluminas,
Probitate mentis, moribus, studiis simul,
Virtutis apicem qui supremum nanctus es.
Tu namque, quidquid lingua utraque est proditum
Cura sophorum, porta quis coeli patet,
Vel quae periti condidere carmina,
Vel quae solutis vocibus sunt edita,
Meliora reddis quam legendo sumpseras.
Sed ista parva: tu piu' moves te sacris
Teletis, reperta mentis arcano premis,
Divumque numen multiplex doctus colis,
Sociam benigne coniugem nectens sacris
Hominum deumque, consciam ac fidam tibi.
Quid nunc honores aut potestates loquar
Hominumque votis adpetita gaudia,
Quae tu caduca ac parva semper autumans
Divum sacerdos infulis celsus clues?
Tu me, marite, disciplinarum bono
Puram ac pudicam sorte mortis eximens
In templa ducis ac famulam divis dicas.
Te teste cunctis inbuor mysteriis,
Tu Dindymenes Atteosque antistitem
Teletis honoras taureis consors pius,
Hecates ministram trina secreta edoces,
Cererisque Graiae tu sacris dignam paras.
Te propter omnes me beatam, me piam
Celebrant, quod ipse me bonam disseminas
Totum per orbem. Ignota noscor omnibus:
Nam te marito cui placere non queam?
Exempla de me Romulae matres petunt,
Subolemque pulcram, si tuae similis, putant,
Optant probantque nunc viri, nunc feminae.
Quae tu magister indidisti insignia,
His nunc ademptis maesta coniunx maceror.

Felix, maritum si superstitem mihi
Divi dedissent, sed tamen felix, tua
Quia sum fuique postque mortem mox ero.

Uxores maritis.

1316.

Iulia Marcella Clodio Fabato marito.

Terrenum corpus, coelestis spiritus in me.
Quo repetente suam sedem, nunc vivimus illic,
Et fruitur superis aeterna in luce Fabatus.

1317.

Chryses B. M.

Te, lapis, obtestor, leviter super ossa residas,
Ne nostro doleat conditus officio.

1318.

Nymphius aeterno devinctus membra sopore
Hic situs est, caelo mens pia perfruitur.
Mens videt astra, quies tumuli conplectitur artus,
Calcavit tristes sancta fides tenebras.
Te tua pro meritis virtutis ad astra vehebat
Intuleratque alto debita fama polo.
Inmortalis eris: nam multa laude vigebit
Vivax venturos gloria per populos.
Te coluit proprium provincia cuncta parentem,
Optabant vitam publica vota tuam.
Exeruere tuo quondam data munera sumptu
Plaudentis populi gaudia per cuneos.
Concilium procerum per te patria alma vocavit
Seque tuo duxit sanctius ore loqui.
Publicus orbatas modo luctus conficit urbes
Confusique sedent, anxia turba, patres,
Ut capite erepto torpentia membra rigescunt,
Ut grex amisso principe maeret iners.
Parva tibi, coniux, magni solatia luctus
Hunc tumuli titulum maesta Serena dicat.

Haec individui semper comes addita fulcri
Unanimem tibi se lustra per octo dedit.
Dulcis vita fuit tecum, comes anxia lucem
Aeternam sperans hanc cupit esse brevem.

1319.

L. Petronius L. F. Primus hic situs est.

Uxor cara viro monumentum fecit amanti.
Optaram in manibus coniugis occidere.
Quem quia fata nimis rapuerunt tempore iniquo,
Ossibus, opto, tuis sit pia terra levis.

1320.

Si quis forte velit tumuli cognoscere fatum,
Et quorum moestus contegat ossa lapis,
Accipiat paucis, ne sit mora longior aequo,
Si tumulus teneat, quem vocat ipsa via.
Hic situs est annis plenus vitaque beatus
Et laetus omni more Rhodanthidion.
Nec sit mirum, quod comis, quod dulcis, amoenus
In vita fuerit: nomine floris erat.
Hunc coniunx talem nimio dilexit amore
Inque diem vitae una fide coluit.
Et postquam fatis morientia lumina solvit,
Supremumque suis reddidit officium.
Invita hoc munus coniunx Victoria fecit,
Quodque virum vicit, aegra dolore fuit.
Sed quoniam fatis nulli est obstare potestas,
Quin teneant cursum, quem statuere semel,
Quod solum licuit, coniunx fidissima fecit:
Post illum nulli fas violare toros.
Servatamque diu vitam habitamque pudice
Post mortis casum pertulit ad tumulum.
Namque simul posita est fatoque tenetur eodem,
Quoque modo potuit, morte secuta virum.
Haec est sancta fides, haec sunt felicia vota,
Amplexus vitae ei reddere post obitum.

Fortunati ambo, si qua est ea gloria mortis,
Quos iungit tumulus, iunxerat et thalamus.

1321.

Suscipe me sociam tumuli, dulciss*ime coniux*,
Cui mors est tecum non meruiss*e mori*.
Hic mea mens simul est, simul hic mea *vita sepulta*,
Mortem ferre tuam mors mihi *maior erit*.
Sanguine fortunis anima formi . . .
Et quantum in thalami foede
Publica cura tuae fidei commiss
Illustrem tribuit te in
O si Romuleos fas sit
Conf.

1322.

Coniu . . . spatium breve contigit aevi,
Non capiunt longas gaudia magna moras.

1323.

Quid sibi volt, quaeris, tellus congesta, viator:
Ossibus hic uxor miscuit ossa meis,
Nobilis Euphrosyne, facilis, formosa puella,
Docta, opulenta, pia, casta, pudica, proba.
Fortunam mirare meam, verum exitus hic est.
Omnia mecum uno hoc composui tumulo.
I nunc, et quidquam votis melioribus opta,
Absumet tecum singula sarcophagus.
Hermodoro Paraginio Euphrosynae Paraginiae
Hermodorus praetori nomenclator posuit.

1324.

Lux patriae, sublime decus, pater Osius urbis,
Mundo flente iacens conditur hoc tumulo.
Hunc Mediolani populus nunc lugeat omnis,
Noverit ut tanti pignus obisse viri.
Communis, placidus, hilaris, iocundus, honestus
Moribus his urbem fecerat esse suam.

Celsa domus, proavusque potens, Venetae arbiter orae,
Sed meritis mentis vicerat iste genus,
Privatae comes atque rei provectus in altum
Sacrarum meruit sumere iura comes.
Patricium culmen gradibus conscendit honoris,
Crevit et ex tanto praesule census honor.
Domnica sed coniux retinet commune sepulcrum,
Iuncta toris quondam iungitur et tumulis.

1325.

Suetrius Hermes hic situs est, cui Tertia coniux
Aram constituit digno meritoque marito,
Cum quo concordem vitam multosque per annos
Vixit, et heu tenero casu subtracta marito est.
De cuius fama multi cum laude loquuntur,
Quod fuerit cultor domini rerumque et amator.
Tu qui . . .

Parentes Liberis.

1326.

Securitati Sacrum. Valerius Iulianus Italico filio infelicissimo et Honoratae mammulae huius fecit.

Dispar damna leges, Parkarum crimina dispar,
Haec ridenda mihi est, hic lacrymandus erit.
Haec namque emeritos bis quadraginta per annos
Vixit, at hic terno consule natus obit.
Cur modo tam praeceps, iterum tam sera fuisti?
Funeris amborum dic rea, Persephone.
Vix lucem vidisse satis, qui vivere posset,
Vivere quae nollet, vix potuisse mori!

1327.

Aquilae.

Hic Aquilae cineres miserabilis urna sepultos
Contegit et fatis exproperata nimis.
Occidit infelix coepto modo flore iuventae,
Quem finiit annus septimus et decimus,

Formosus, frugi, doctus, pius a patre maesto
Accepit tumulos, quos dare debuerat.

1328.

Vitae Palladii raptum flevere Camoenae.
Fleverunt populi, quos continet Ostia dia.
Iulius Nicephorus pater infelix fecit.

1329.

Vota supervacua fletusque: et numina divûm,
Naturae leges fatorumque arcuit ordo.
Praecesti patrem matremque, miserrime nate,
Elysios campos habitans et prata beatûm.

1330.

Quae tibi cumque mei potuerunt pignora amoris,
Nata, dari, populo sunt lacrumante data.
Et volui maiora nimis, sed cura meorum
Fida tui prohibet me cinerem esse rogi.
C. Rabirius P. L. Hilarus Vibia C. L. Strabena.

1331.

Vibius Helenius Vibiae L. Latinae.

Vixisses utinam, et potius mea Musa taceret,
Quam mihi scribendi causa, Latina, fores.
Vixisses, neu te surgentem in vota tuorum
Adspicerem addictam manibus ire sacris.
Sed quoniam Parcis vetitum est nihil, accipe nostri
Aeternas eheu! carminis exequias.

1332.

Quamvis, nate, tuos mors invida ruperit annos,
Abstulerintque tuum dura sepulcra decus,
Non tamen has secum potuit deducere laudes,
Quas vivens semper fama superstes habet.
Maiorum longa veniens de stirpe senator
Auxisti mentis nobilitate genus.

Iudicis imperium servans bonitate magistra,
  Tum tibi subiectis tu quoque mitis eras.
Urbanos fasces gaudens tibi Roma parabat,
  Consilio fratris nunc moderata tui.
Fidus amicitiae custos, ambitor honesti,
  Iustitiae cultor, pacis amator eras,
Gratus, dulcis, ovans, humilis, pius. Hei mihi! quantis
  Privavit miserum mors inimica bonis.
Te Levita pater, soboles, coniuxque fidelis,
  Te mixtis lacrimis luget amata domus.
Nil tibi defendens famulum mihi, nate, parasti,
  Ut tibi servitii cresceret alter amor.

1333.

Nomine Iuliano menses excedere septem
  Haud licitum. Multum flevit uterque parens.

1334.

Hic situs Amphion ereptus prima iuventa .
Nondum terdenos numerabat temporis annos.
  Heu! inmatura mors properata tibi.
    C. Marcius Paulus C. nato pientissimo.

1335.

An. I. M. V. D. X.
Primilia F. suo Ismaro.

Hunc tibi dat tumulum pietatis nomine mater
  Et properat merito solvere iusta. Vale.

1336.

Iuliae Secundae filiae, Corneliae Tychae uxori.

*I*am datus est finis vitae, iam pausa malorum
*V*obis, quas habet hoc, natam matremque, sepulcrum,
*L*itore Phocaico pelagi vi exanimatas:
*I*llic, unde Tagus et nobile flumen Hiberus
*V*orsum ortus vorsum occasus fluit alter et alter,
*S*tagna sub Oceani Tagus et Tyrrhenica Hiberus.
*S*ic etenim duxere olim primordia Parcae,

Et nevere super vobis fatalia fila,
Cum primum Lucina daret lucemque animamque,
Ut vitae diversa dies foret unaque leti.
Nobis porro alia est trino de numine fati
Dicta dies leti, quam propagare suopte
Uisum ollis tacito arbitrio cum lege perenni,
Sisti quae cunctos iubet ad vadimonia mortis.

1337.

Ninnia Cronis.

Quod decuit natam patri praestare sepulto,
Hoc contra natae praestitit ipse pater.

1338.

C. Caninius C. F. Arn. Labeo pater.

Omneis mei heic sunt filius illum manu,
Ille illam merito misit et vestem dedit.
Quoad vixsi, vixsere omnes una inter meos.
Eundem mi amorem praestat puerilem senexs.
Monumentum indiciost saxo saeptum ac marmore,
Circum stipatum moerum multis millibus.

1339.

Prisco filio.

Florentem specie rapuere novissima fata,
Forma equidem puerum, Priscum at cognomine quondam,
Quem genitor, cives, cuncti flevere propinqui.

L. Destinius Epigonus pater infelix filio suo dulcissimo innocentissimo.

1340.

Murrae et Verecundo Murrani filiis.

Qui legis, has pueri moribundas perlege voces
Et lacrimam fatis da gemitumque meis.
Murra patris primum referens e nomine patrem,
Amborum effigiem matre favente tuli.

Bis mihi septenos aetas ostenderat annos
Certaque iam nostri fama pudoris erat,
Cum subitae mortis pro! fallax causa fuisti,
Lusus et aequalis non inimica manus.
Nam temere emissus, non ad mea funera clavus
Haesit et in tenero vertice delituit.
primum perculsi volnere manes
Parcite iam luctus sollicitare meos.
posuistis funere nati.
Trimus et in decimo mense sepulte iaces.
vocarunt
Inmunes, nostris ossibus urna sat est.

1341.

Iulia Quinti Ranci filia.

iberti Proti quoi fatum grave
riae ac finem vitae statuerunt,
et bis decem annis nata, indigniter
oncepit liberum semen duplex,
pareret patrono auxilium ac decus;
ta commoda atque incommoda
os eripuit suis parentibus
ummo in luctu ac sollicitudine
rio gnatae fletus in dies
Edunt, sibei esse talem ereptam filiam.
Pater mei et genitrix germana, oro atque o . .
Desinite luctu, questu lacrumas fundere,
Si in vita iucunda vobis voluptatei fuei
Viro atque amicis notisque omnibus.
Nunc quoniam fatum se ita tollit, animo volo
Aequo vos ferre concordesque vivere.
Quas ob res hoc monumentum aedificavit
Suae gnatae, sibeique uxori hanc constituit
Aeternum ubei omnes pariter aevum degerent.

1342.

T. Peticius L. F. Chirurgus.

Labore et cura vivus perfeci hanc domum,

Sed filio ante, huic homini iucundissimo:
Paravi tribus, ubei ossa nostra adquiescerent.
Mors me adsequetur, tunc mihi demetur dolor.
Valete et memores este pietatis patris.

1343.

Q. Marius Optatus.

Heu iuvenis tumulo qualis iacet *abditus isto,*
Qui pisces iaculo captabat, missile dextra
Aucupium calamo praeter studiosus agebat.

1344.

Nunc pater et mater nato fecere sepulcrum
Ossaque funestis fluctibus abluerunt.
Sed quoniam multi talem sensere dolorem,
Nec quisquam leti vincere vim potuit,
Desinite extinctum dulces me flere parentes,
Desinite et fati tristia iura queri.

1345.

Felicitati.

Quod dulces nati, quod cara pignora praestant,
Continet hic tumulus, membra qui parva retentat.
Dolorem sine fine dedit Felicitas, isto
Clauditur infelix falso cognomine dicta.
Nam cui prima dies in lucem protulit annos
Quatuor, et male cum quintum sumeret ortum,
Abstulit atra dies et funere mersit acerbo.
Haec mater et genitor conscribunt carmina busto,
Quo legenti simul redeat sub corde figura
Et siccato saepe madescant lumina fletu.
Sic medicatur amor nec curant carmina manes.
Dep. in pace. D. N. Theodosio Aug. et Fl. Rumorido V. C. coss.

1346.

Rapta sinu matris iacet hic miserabilis infans,
Ante novem plenos Lunae quam viveret orbes.

Hanc pater et mater moesti flevere iacentem
Parvaque marmoreo clauserunt membra sepulcro.

1347.

. . . usta igni fidissimus atro
Corpora quae rapuit, condidit hoc tumulo.
Nec sibi nec matri natos aetas sua plorat,
Bissenos annos non habuere supra.
At ne terra aliena ignoti nomine obissent,
Hic titulus parvo proloquitur lapide.

1348.

Viator audi, si libet, et intus veni,
Tabula est aliena, quae te cuncta perdocet.

1349.

Q. Caecilio Q. f. Pal. Optato vixit an. II. M. VI.
Q. Caecilius Q. et Ɔaiae L. Hermes sevir Aug. et Licinia Repentina parentes piissimi posuer. et Q. Caecilius Q. F. Pal.
Paelinus frater.

Hic iacet Optatus, pietatis nobilis infans,
Cui precor, ut cineres lilia sintque rosae,
Terraque, quae mater nunc est, sibi sit levis oro:
Namque gravis nulli vita fuit pueri.
Ergo, quod miseri possunt praestare parentes,
Hunc titulum nato constituere suo.

1350.

Gerontio et Constantio.

Vos equidem, nati, coelestia regna videtis,
Quos rapuit parvos praecipitata dies.
Sed mihi quae requies onerosa in luce moranti,
Quoi solus superest et sine fine dolor?
Quam male de vobis fallacia gaudia vidi
Et decepturus me iugulavit amor.
Reddebar teneris in vultibus, ipsaque per vos

Tempora credebam lapsa redisse mihi.
Sentio, quid faciat spes inrita: pessima sors est
Supplicii afflicto, quem sua fata premunt.

1351.

Quae mihi debebas supremae munera vitae,
Infelix solvo nunc tibi, nate, prior.
Fortuna inconstans, lex et variabilis aevi.
Debueras cineri iam superesse meo.

1352.

Nomine quo genitor mihi dicitur, hoc ego vixi.
Telephus est genitor, Telephus ipse fui.
Augustina parens quarto me flebilis anno
Terdecimoque die perdidit orba satum.
Nonne igitur, lector, lacrimes? decepit utrosque
Maxima mendacis fama mathematici.

1353.

Conditus hic Amor est, dictus de nomine patris.
Heu miseri patris! conditus hic Amor est.
Gallia quem genuit de gente Novempopulana,
Itala terra tegit, Gallia quem genuit.
Nobilis ingenio docuit ius inclita Roma,
Oppetiit fatis nobilis ingenio.
Laeseris hunc tumulum si quisquam, in Tartara pergas
Atque expers tumuli laeseris hunc tumulum.

1354.

Hipparcho alumno Valeria Novella mater.

Bis quinos *vitae* vixdum conpleverat annos,
Et nimium . . to citius depulsus in antro est,
Nec licuit lumen fato superare parentes.
Venit iniqua dies et acerbae terminus horae,
Ut titulum miseri lacrimis inpleret acerbis.
Vivite felices, quorum fortuna beata est.

1355.

C. Curtius Antiochus et Aricinia Nais Basso filio.

Debuit hoc natus nobis praestare duobus,
Ut cineres patrios dederet inferiis,
Sed quoniam dirae genuerunt fata volucres,
Te, Basse, ereptum flevimus ante rogum.

1356.

Q. Aricinus Bassus.

Debuit haec patrum natus duo corpora humare,
Corpora semianimes corpus inane colunt;
Qui quia non possunt donis aequare merentem,
Respondere queunt, Basse, tuis meritis.

1357.

Caesia Gemella Successo.

Quod fas parenti facere fuerat filium,
Mors inmatura fecit, ut faceret parens.

1358.

Verius hunc titulum matri, tu nata, Dicasses,
Quem mater miserae nunc tibi, nata, facit.
Bis senos complentem annos te, filia, matri
Eripuit miserae mortis iniqua dies.
Obtestor manes meritae sanctaeque patronae, et
Conprecor, ut leni terra tegat tumulo.

1359.

Apoloniae.

Apolonia quae vocitabar,
Lapide hoc inclusa quiesco.
Ipso mihi flore iuventae
Ruperunt fila Sorores,
Atque annos post decem et octo
Vetuerunt visere lumen.
Unum sortita maritum

Servavi casta pudorem.
Mater misera hoc monumentum
Extruxit Olympias amens.
Haec sunt: bene vive, viator.

1360.

Petali.

Si non fatorum praepostera iura fuissent,
Mater in hoc titulo debuit ante legi.
Quae rogat, ut dicas motus fatalibus annis:
Terra sit haec Petalo non onerosa, precor.

1361.

Ti. Claudius Esquilina Aug. Tiberinus hic situs est. Fecit Tampia Hygia mater filio pientissimo.

Tu quicumque mei veheris prope limina busti,
Supprime festinum, quaeso, viator, iter.
Perlege. Sic numquam doleas pro funere acerbo:
Invenies titulo nomina fixa meo.
Roma mihi patria est, media de plebe parentes,
Vita fuit nullis tunc violata malis.
Gratus eram populo quondam notusque favore:
Nunc sum defleti parva favilla rogi.
Quis bona non hilari vidit convivia vultu,
Adque meos mecum pervigilare iocos?
Quondam ego Pierio vatum monumenta canore
Doctus cygneis enumerare modis;
Doctus Maeonio spirantia carmina versu
Dicere Caesareo carmina nota foro.
Nunc amor et nomen superest de corpore toto,
Quod spargit lacrimis moestus uterque parens.
Serta mihi floresque novos, mea gaudia, ponunt;
Fusus in Elysia sic ego valle moror.
Quot meat in stellis Delphin, quot Pegasus ales,
Tot mea natales fata dedere mihi.

1362.

M. Laelio Africano M. Laelius Africanus et Flavia Optata parentes B. M. F. qui vixit annis XXI. M. VI. D. X.

Musicus in scena docte cantare solebat,
Acceptus multis magnifico ingenio.
Receptus inter vina iocosque prior
Celebri favore artem exponens suam,
Ut quemvis raperet mirifico ingenio
Leniretque animum carmine doctiloquo.

1363.

Viderat exanimem mater Byzantia natum,
Forte facit patriis dum sua vota sacris,
Inpositumque suis iuvenem, quae gesserat, armis
Et madida hostili tela manusque nece.
Mox nec scissa comam mater, nec territa casu
Femina, fortuna celsior ipsa manu,
Nate, ait, egregium patriae per secula nomen,
Quam non degeneri funere, nate, iaces!
Nunc demum peperisse iuvat, dolor omnis abesto,
Numquam ego te nato non bene mater ero.

1364.

T. Arrio T. F. Trom. Tertio Ann. XXI. Mucia T. F. Modesta mater viva fecit sibi et T. Arrio M. f. viro.

Invida florentem rapuerunt fata iuventa,
Nec licuit misero me superesse meis.
Flevit praesentem mater, flevere sodales
Et mater tepido condidit ossa rogo,
Quae prius hoc titulo debuit ipsa legi.
In agro P. XX. in fronte P. XX.

1365.

T. Trupicus T. F. Papiria T. F. Tertia.

Cernis, ut orba meis, hospes, monumenta locavi:
Et tristis senior natos miseranda requiro.

Exemplis referenda mea est deserta senectus,
Ut steriles vere possint gaudere maritae.
T. Trupicus T. f. fecit.

1366.

Haec quaecumque legis devoto pectore, mater,
Da lacrimas et me sic peperisse dole.
Hic iacet extinctus crudeli funere natus,
Ultima vivendi qui mihi causa fuit.
Maxima praestabat miserae solatia matri,
Consilio fratres et pietate colens.
Plurima restituit curando corpora vitae,
Quem mihi tam subito mors properata tulit.

1367.

Caecinae Sex. f. Bassae.

Hic sum Bassa sita, pia filia, virgo pudica,
Excedens cunctas ingenio aequales.
Cum mihi bis quinos annos mea fata dedissent,
Undecimum me non licuit perducere annum:
Cumque pater materque deos pro me adularent,
At saevus Pluto rapuit me ad infera templa.
Obside me Parcae finem fecisse videntur,
Cum ante alios vernas tres rapuere mihi.
Si quis forte mea gaudet de morte iniqua,
Huic sit iniqua Ceres perficiatque fame.

1368.

P. Hostilio P. F. Pob. Campano venatori P. Hostilius Tertius.

Florentes annos mi mors sine crimine vitae
Eripuit.
Vivite felices, moneo, mors omnibus instat.
Exemplum a nobis discite, qui legitis.

1369.

Heu quantos luctus renovas, gratissime fili,
Bonite moriens, o decus atque dolor.

Quam bene cum ingenio florebas, Barbula, grato;
Moribus ornatus, pulcher et acer eras.
O mihi quam subito requiescis, nate suävis.
Heu spes clara mihi, te sine vita gravis.
Hoc genitor cecinit Taurus lacrimabile carmen,
Cuius flamma urit pectus amore pio.

Hic requiescit Bonitus, qui vixit ann. XXIII. depositus VII. Id. Aug.

1370.

Iulia C. L. Aphe virguncula annorum XI. deducta iam ad C. Iulium Apollonidam pia et sancta suo et parentibus vixit annos XV.

Ereptam matri mater me terra recepit,
Cum ad mortem matris de gremio rapior.
Omnibus cara fui, vivae carissima matri,
Adversis quae me sustulit ominibus.
Desine iam frustra, mater mea, desine *fletu*
Te miseram totos *exagitare dies.*

Tu, qui adstitisti, mei monumenti memor, ambula et te esse hominem fac cogites.

1371.

Sabidia Ↄ. L. Fusca V. A. XIIX.

Tu, qui tendis iter properatim, siste parumper,
Si grave non animost, fataque acerba lege.
Ter senos aetas mea cum processit in annos,
Et specie florentem me videre sodales,
[Fratrem flentem ex parte altera dolere mater noli.
Faciundum hoc fuit, properavit aetas: voluit hoc fatus meus]:
Praevenere diem vitae crudelia fata,
Et raptam inferna me posuere rate.
Hoc lecto elogio iuvenis misereto iacentis
Et dic discedens: Sit tibi terra levis.

L. Faenius Malchio. P. Faenia Ↄ. L. Hilara. Na(?) P. Sabidius Fortun. F.

1372.

Aeliae Sabinae Aelius Trophimus et Longinia Sabina parentes fecerunt.

Quisquis ades celeri gressu, precor, ito viator,
Ito procul et linque nefas, tibi dico, viator.
Parce oculis, nec nostra velis cognoscere fata,
Sanguinea palla quae texit provida Clotho,
Et pavit rupisse suas quoque fila sorores
Luctifica properante manu. Iam siste, viator,
Ne tibi sim penitus quaerenti causa doloris.
Sede sub hac parva titulo parvoque tenetur
Parva anima, dolor inmensus crudeleque funus.
Orbatusque parens geminus. Spes dura trienni!
Diraque sors leti! Placet hoc, Fortuna, sepulcrum.

1373.

L. Licinius Priscus et Fabia Euplia L. Licinio Severo filio pientissimo parentes.

De genitore mihi domus Umbria, de genetrice
Ostia. Tibris ibi vitreus, Nar hic fluit albus.
Ille ego, qui vixi bis deno circine solis,
Flore genas tenero vernans et robore pollens:
Miles eram, sum deinde cinis de milite factus.
Nec solum hoc, quia me rapuit, fatum male fecit.
Quod pater et mater plangunt, hoc plus male fecit.
Actum est, excessi. Spes et Fortuna valete,
Nil iam plus in me vobis per secla licebit.
Quod fuerat vestrum, amisi: quod erat meum, hic est.

1374.

Speratus vixit men. VIIII.

Flet domus et cari lugent sine fine parentes
Abreptum fatis. Contegor hoc tumulo.
Quis non exemplo doleatur mortis acerbae?
Si me vidisses aut si mea funera nosses,
Fudisses lacrimas, hospes, in ossa mea.
Speratus Attalus. Politice mater.

1375.

Severino.

Nate, patris matrisque amor et suprema voluptas,
En tibi, quae nobis te dare sors vetuit,
Busta eheu! tristesque notas damus, invida quando
Mors inmaturo funere te rapuit.

1376.

Caesia T. F. Celsa.

Quod voto petiere suis plerumque parentes,
Cuncta tibi dignae, Caesia, contigerunt.
Lanifici praeclara fides, pietatis alumna,
Priscae praecipue fama pudicitiae.
Te rogo praeteriens dicas: S. T. T. L.

1377.

M. Acilius L. F. Fortanus.

Eripuit nobeis undevicensumus annus
Ingressum iuvenem militiam cupide.
Parcae falluntur, Fontanum quae rapuerunt,
Cum sit perpetuo fama futura viri.

1378.

Servilia C. L. Hilara viva sibi et suis fecit.

Hunc puerum *octen*nem amisit lectissima mater,
Ut vita insontem, sic pietate bonum.
Amissum luxit, lugebit et usque sepultum,
Nec, nisi defuerit, desinet esse dolor.

1379.

Melitine ann. VIIII. m. VI. dier. VII.

Hic sita est infans, patri per secula flenda,
Quam raptam adsidue mater maerore requirit,
Grata blandit . . . una que
Quales quisque sibi cupiat producere natos.
Hanc annus decimus privavit munere lucis.
Casum quisque legat, fato maledicat iniquo.

S. T. T. L. Carpophorus pater, Titilicuta mater filiae pientissimae.

1380.

M. Mario Proculo. vix. ann. III. M. IIII. D. VIIII. M. Marius Fronto et Cosconia Hygea parentes infelicissimo filio piissimo fecerunt.

Si non fatorum praeceps hic mortis obisset,
Mater in hoc titulo debuit ante legi.
Praeteriens dicas, Procule, sit tibi terra levis.

1381.

L. Vettius Nymphius aurifex v. A. XVII.

Et te, terra, precor, leviter super ossa residas,
Sentiat ut pietas praemia, quae meruit,
Et, quicumque suis sincere praestat honorem,
Felicem cursum perferat ad superos.

1382.

L. Manilio L. F. Ouf. Montano L. Manilius Glaucio sibi et Animisiae C. L. Restitutae ux. L. Manlio L. F. Ouf. Apro.

Manlius hic situs est Montanus, raptus iniqua
Femineaque manu. Insperans incidit aetas.
Fas erat, ut potius natus pia munera nobis
Penderet et dignos coleret manesque patresque,
Si fortuna pie servasset vota parentum.

1383.

C. Satellio Clementi C. Satellius Asper et Glitia Mansueta, filio piissimo.

Viginti duo erant anni, si fata dedissent,
Cum me florentem rapuit sibi Ditis ad umbras.
Abrupit dirae sortis iniqua dies.
Heu nimium cito rapte patri, cito reddite fatis
Et matri cito rapte tuae, cito redditus umbris!

H. M. N. S. H.

1384.

Herenniae Nice V. A. III. M. VIII. D. XVI. Anicetus pater.

Condita sum Nice, quae iam dulcissima patri,
Ducens aetatis tenerae *vix* quattuor annos.
Abrepta superis flentes iam liqui parentes.

1385.

Zethus T. Vini Atriens. V. A. XX.

Ossa sub hoc tumulo pia sunt, sed acerba parenti.
Amphio mi frater hunc titulum posuit.
Parcite, fata, meis: valeant fratresque sorores;
Sit tamen in vestro pectore cura mei.

1386.

Thetis, eadem Byrgaena, Italico Corisco Aug. lib. coniugi caro ann. XXVI. et Perinthio filio ann. XII.

Si fortuna suos potuisset flectere Manes,
Hunc titulum patri ponere debueram.
Italicus sibi et suis V. F.

1387.

Discite mortales et fati nescia turba,
Si vitam aeternis volvitis auspiciis:
Una viximus inter nos, nunc vivimus una
Inter nos. Lacrimas et pia vota date.

1388.

Cinyra mater sibi et filiis.

Hoc Epios tumulo Cinyra est cum fratre sepultus,
Ante suos annos quos tegit atra cinis.
His tumulum parvum mater cum carmine fecit,
Ingenio quorum terram optate levem.

1389.

Iuliano filio L. Umbrius Saturninus.

Di Manes Manes sitis: iam morte misellis
Praepropera senibus sero datum rapitis.

Hic etenim puer est Umbri de sanguine cretus,
Invida quem tenerum Parca tenax rapuit.
Quae matri multos scripsit, multos quoque patri
Ingratis annos. Vota satis misera;
Nam solos septem proles quos duxerit orbes,
Septuaginta forent, ni miseros cuperet.
Qui pro vinetis, fundis, terraque marique
Hoc solum proli, hoc peperere solum.

1390.

Havete animae bonae.

Finitum Evhodiae fatum qui conspicis, hospes,
Desine mirari: corpus inane iacet.
Evhodus *aeternum* ut valeat, pater optumus, opto.

1391.

Maximus hic situs est: primaevo flore iuventae
Fratribus et nobis dulcis amicus obit.
Olli quippe aetas viginti est acta per annos,
Quintum post mensem quartum ad usque diem.

1392.

Cn. Flavius Cn. L. Sosia. Cn. Flavius Cn. L. Apollonius.

Sei qua renascentes optant certamina laudis,
Ex nostra aspiciant facta priora fide.
. . .

1393.

Iuliae Helpidis.

Ossa pia cineresque sacri hic ecce quiescunt.

1394.

C. Fonteio Spuriano.

Nec gravius pote, nec brevius superante parente,
Hic iacet aeterna filius in requie.

1395.

Veturiae C. F. Bellae.

Heu positae gnatae tristes posuere parentes.

C. Veturius Q. F. C. N. Ouf. Iuliana C. F. Scapt. libb. mer.

1396.

T. Sextio Iuvenali Iuvenalis et Restituta fil. dulcissimo et frater et sorores. Qui vixit ann. XXIII.

Fecimus hunc titulum miseri dulcissimo nato,
Ut doleat plus . . . donec mors finiat una

1397.

Filius hic situs est Iuli Bassi Bassianus,
Annos qui vixi X et XIIII. soles.

Quem quoniam Manes ut alumnum di rapuerunt,
Ne calcare velis, nec gravis esse loco.

1398.

Valeria Ↄ. L. Lycisca XII. annorum nata Romam veni.

Quae mihi iura dedit civis, dedit et mihi vivae,
Quo inferrer, tum cum parvola facta cinis.

1399.

Petilii Processi.

Post mortem si vivit amor, si gratia prisca
Durat in arcanum mentis adacta bonum,
Quamvis luctificum fratris tamen accipe carmen,
Ne male sit tumulis extera lingua tuis.
Te natura parens omni depinxerat arte,
Moribus, ingenio, corpore, mente, fide,
Purus amicitiae cultor, servator honesti,
Eloquio miseros vel pietate fovens.
Hinc est, quod toto semper te flebimus aevo,
Quod fuerit iuveni vis tibi multa senis.

Te genetrix fratresque simul, te compare luctu
Perpetuis lacrimis plangit amata domus.

Hic requiescit in pace B. M. Petilius Processus V. S. Togatus in LL. PP. qui vixit P. M. ann. XXXVIII. Deposit. e. sub die VIII. Kal. Iun. Probo Iun. V. C. cons.

1400.
Eugenii.

Impia mors rapiens teneris te, nate, sub annis
Invidit meritis crescere magna tuis.
Te florale decus primo cum carmine coepto
Doctorum doctor vidit et obstupuit.
Vicisti priscos longaeva aetate parentes,
Annis parve quidem, sed gravitate senex.
Non luxus tibi cura fuit, non gratia pompae,
Doctiloqui cupidus carminis ardor erat.
Tu meritis ornate tuis monumenta relinquis,
Quae recolens semper sit sine fine dolor.
Morte tua genitrix optavit sumere mortem,
Se quoque felicem, si poteretur, ait.
Ter denos primum quum Luna resumeret ignes,
Coniunxit membris membra sepulta tuis.
Nunc commune nobis custos tu serva sepulcrum;
Quae nos, haec tecum mox teget urna simul.

Liberi parentibus.

1401.

Sic pia, sic felix, sic quod tibi vita beata
Contigit et cunctis auxilians bonitas,
Nos tamen hic cruciat dolor intimus et pia cura,
Quod te festinans abstulit atra dies.
Numina nunc inferna, precor, patri date lucos,
Quîs est pupureus perpetuusque dies.
Huic certe, ut meruit, cunctast data cura sepulcro,
Texeruntque favi de Siculis apibus.

1402.
Rufo Festo filius Placidus.

Ibis inoptatas sedes: nam Iupiter aethram
Pandit, Feste, tibi, candidus ut venias.

Iamque venis; tendit dextras chorus inde deorum,
Et toto tibi iam plauditur, ecce, polo.

1403.

Meiae.

Meia fui felix septem circumdata natis;
Dum vixi, adstabat turba tenella mihi.
Ut mihi grata vicem natorum turba referret,
Hoc mihi de Pario marmore struxit opus.
Manibus atque meis nati pia dona dedere,
Persolvere meis manibus inferias.
Postquam nulla mei, superi, vos cura fatigat,
Natorum memores este, precor, superi.

1404.

Claudiae Lepidillae ex provincia Belgica Ambianae. Fecerunt liberi eius Lepidus et Trebellius matri optimae.

Hic matris cineres sola sacravimus ara:
Quae genuit tellus, ossa tegit tumulo.

1405.

Marsidia Agathemeris Marsidia Stabilis Evhemeris filia.

Si pietate aliquem redimi fatale fuisset,
Marsidia Stabilis prima redempta forem.
Quamvis mater eram natarum prole decora
(Nam geminas habui carus eratque nepos).
Septuaginta super messes natalibus egi,
Summa senectutis praemia passa cremor.
Quod si non cineres Agathemeris inmatura
Auxisset nostros, mater et ipsa foret;
Tunc ego nobilior cunctarum sorte fuissem,
Quippe superstitibus robor . . .

1406.

Q. Fabius Q. F. Quir. Felix Proc. Aug. sibi libertisque suis.

Hoc turba in tumulo mei parentes,

Quorum pignus ego superstes unus
Has pro marmore divitique templo
. . . .

1407.

Detrahe serta comis et amorum oblita tuorum
Tristis, inops, pulla veste Thalia veni:
Non manus Idalia lasciviat inproba virga,
Nec fluat ante tuos lucida palla pedes.

1408.

Iulius haec feci Mellitus qui vocor olim,
Cupito patri matri et iusta meae.
Deposui coiugemque meam mihi iuncta rogatam,
Ut sit in aeternum condita fama loci.

Viximus ad satiem. Pietatem inplevimus ambo,
Praestitimus sobolem femineam duplicem.
Vos quoque, qui legitis versus, et facta probatis,
Discite, sic vestros merito sancire parentes.
Hos ut ego pius excolerem, titulosque relinquam,
Vivus ut hoc facerem, fata dedere mihi
Iulius hoc peto nunc a te, dominator Averni,
Cum moriar, iaceant ossa quieta mihi.

1409.

Manibus hoc sacrum certa pietate resolvo,
Hoc Novellus ego matri filioque sepultis:
Valentina tibi digno, dulcissima mater,
Nomen viget ecce tuum in titulo clarum.
Donum naturae meritis de carmine signo,
Felix ecce solum tegit haec duo nomina cara
Extricate fili ad planctus aviae dolentis.
Aelia Valentina vixit ann. LV. Iulius Extricatus vixit XII.

1410.

Sint licet exiguae fugientia tempora vitae
Parvaque raptorum cito transeat hora dierum,

Mergat et Elysiis mortalia corpora terris
Assidue rapto Lachesis male conscia penso,

. . . .

1411.

Nicarin. Munatiae L. L. Zozimae filia Hymnetria A. S.

Terra, precor, quaecumque iaces Nicario super ossa,
Sis levis in tenero corpore deposito.
Vixit annos XVIII.

1412.

D. M.

Liber nunc curis, fuerim qui, respice, lector.
Notus in urbe sacra vendenda pelle caprina
Exhibui merces popularibus usibus aptas.
Rara fides cuius laudata est semper ubique,
Uita beata fuit; struxi mihi marmora, feci
Secure solus semper fiscalia manceps,
In cunctis simplex contractibus, omnibus aequus,
Ut potui, nec non subveni saepe petenti,
Semper honorificus, semper communis amicis.
Maior adhuc stat laudis honor, potior quoque cunctis,
Ipse meis quod constitui tumulamina membris.
Talia qui feci non tam mihi providus uni,
Heredum quoque cura fuit: tenet omnia secum,
Re propria quicumque facit; me fama loquetur.
Exemplum laudis vixi, dum vita manebat,
Sollicitus multis requiem feci quoque multis.

L. Nerusius Mithres.

Altores alumnis.

1413.

. . felicis cerne viator
. . cara superstitibus
. . dedit uberis Anxia lactem
. . ratus amore dedit

. . trici fecit alumnus
. . Manibus hunc cinerem

1414.

Vettia Megiste et Vettius Onesimus Symphorusae alumnae.

Nata, sed in lacrimas solum (dolor omnibus instat)
Hic sita sum. Vixi tempus inane meum.
Annus erat vitae primus, mox deinde secundi
Liminibus rapuit me sibi Persephone.

1415.

Pudens Maxii Lepidi L. Grammaticus.

Procurator eram, Lepidae moresque regebam.
Dum vixi, mansit Caesaris illa nurus.
Philologus discipulus.

1416.

Ianuarius Floro alumno.

Florus ego hic iaceo, quondam bigarius, infans,
Qui, cito dum cupio currus, cito decidi ad umbras.

1417.

Q. Bucusus Crescens et Mindia Fortunata Attae alumno.

Musica cum cantu resonares carmina mire,
Attas, parve puer, dulci celebratus amore,
Morte gravi raptus, taetra defungeris hora,
Immeritus decimo praegressus nobilis anno.
Sed te noster amor memori pietate reformat:
At quamvis te terra tegat, miserabilis, ima,
Sic dolor in parvo crescit referente sepulcro.

1418.

M. Iunio M. F. Pal. Rufo Soterichus paedagogus fecit.

Hae sunt, parve, tuae meaeque sedes,
Haec certa est domus, haec colenda nobis,
Haec est, quam mihi suscitavi vivus.

Si qua tamen pietas gelidos movet anxia Manes,
Rumpe moras, spes haec sola est mihi gratia vitae.

1419.

. . .
Infelix mater tollit ad astra manus,
Incusatque deos, incusat denique Parcas.

1420.

Caius Tutilius Rufinus nominor ille,
Annos qui vitae linquo novem atque decem.
Heu scelus, heu crudele nefas facinusque tremendum!
Cum fateare, vides, quam miser est genitor,
Qui me conspexit moribundum, qui mea clausit
Lumina diversis aetatis vicibus.
Quos non ille prius, qua non ego voce rogavi
Infelix superos? nec valuere preces.
Sed vis maior agit mortis, iam iamque, parens, aut
Mecum semper eris, aut dolor una obiet.

Hoc sepulcrum F. Fl. Eutychianus M. M. Rufini alumni sui fecit L.

1421.

C. Publici Ampliati. c. Publicius Proculeianus alumno suo curantibus Publicio Dionysio et Aurelia Tyche parentibus.

Tempera iam genitor lacrimis, tuque optima mater
Desine iam flere: poenam non sentio mortis.
Poena fuit vita, requies mihi morte parata est.

1422.

Optatus Nireus Anthus, amici, sodales Pactolo de familia Q. Satrieni Pollionis.

Nos tibi digna tuae monumenta extrema favillae
Fecimus, at nobis tu gemitum adsiduom.

1423.

Turpilia M. L. Dionysia M. Turpilius M. Ɔ. L. Eros.

Aedis aedificat dives, sapiens monumentum.
Hospitium est illud, corporis hic domus est.
Illic paulisper remoramur, at hic habitamus,
Illud . . .

1424.

Diva, precor, tellus, alvo complectere, sancta,
Ossua, quorum in hoc nomina sunt lapide.

Fl. Ophelionis Fl. Bebrycis.

Patroni libertis, domini vernis et servis.

1425.

P. Lartius P. L. Saufeia A. L. L. Lartius P. F. P. Lartius P. F. L. Lartia A. Ɔ. L. Neicia Thalea. Rufus P. Larcius P. F. Brocchus. Larcia P. L. Horaea.

Boneis probata, inveisa sum a nulla proba.
Fui parens domineis senibus, huic autem obsequens:
Eita leibertate illei me, heic decorarat stola.
Apupula annos viginti obtimui domum
Omnem: supremus fecit iudicium dies.
Mors animam eripuit, non vitae ornatum abstulit.

L. Eprius Chilo viat. trib. pl. pri. ac pi. (*primus ac princeps?*)

1426.

Astorio meritam dicat hanc Octavius aram,
Acri homini atque alacri, forti, fido atque venusto,
Cui domus Assyriis, fuerat cui Quintio nomen.
Hic in flore cubat longum securus in aevum,
Post ter vicenos et tres bene conditus annos.

1427.

C. Fidiculanius C. L. Abdacus
C. Fidiculanius C. F. Arn. Rufus
Fidiculania C. L. Hippolite.

Fatalem hanc aedem Hippolite dedit ob pietatem
In commune sibi et gnato collibertoque.

1428.

Eutycheti aurigae ann. XXII. Fl. Rufinus et Semp. Diofanes servo B. M. F.

Hoc rudis aurigae requiescunt ossa sepulcro,
Nec tamen ignari flectere lora manu,
Iam qui quadriiugos auderem scandere currus
Et tamen a biiugis non removerer equis.
Invidere meis annis crudelia fata,
Fata quibus nequeas opposuisse manus,
Nec mihi concessa est morituro gloria circi,
Donaret lacrimas ne pia turba mihi.
Ussere ardentes intus mea viscera morbi,
Vincere quos medicae non potuere manus.
Sparge, precor, flores supra mea busta, viator,
Favisti vivo forsitan ipse mihi.

1429.

Decimus a prima sectatus castra iuventa
Circitor morior, praemia parca, senex.
Qui nulli gravis extiteram, dum vita manebat.
Hoc tumulo aeternum sit mihi terra levis.
Dat patruo ob meritum feralem Flavius urnam
Ninnius, et cinerem spargit odore gemens.

1430.

L. Sabinus P. L. Primigenius.

Ortus ab Iguvio medicus, fora multa secutus,
Arte feror nota nobiliore fide.
Me consurgentem valida fortuna iuventa
Destituit rapidis inposuitque rogis.

Clusino cineres flammae cessere sepulcro,
Patronus patrio condidit ossa solo.

1431.

P. Atilii P. F. O. V. F. Septiciani grammatici latini, cui ordo Comensium ornamenta decurionis decrevit, qui universam substantiam suam ad rempubl. pertinere voluit.

Morborum vitia et vitae mala maxima fugi.
Nunc careo poenis, pace fruor placida.

1432.

Grammaticus lectorque fui, sed lector eorum
More, incorrupto qui placuere sono.
Coniugis exiguo natae pietate sepultus
Hoc Marius Fidens contegor a tumulo.

V. Maria Didyme, Maria Achelois vivit. Te, lapis, obtestor, leviter super ossa residas.

1433.

M. Gellius Maximus Phoebo liberto optimo.

Hic situs est, quondam Gelli pars maxima, Phoebus.
Adfectus omnes possidet iste lapis.
Vix consummavit septem quinquennia lustri,
Oscula ferventem nec tenuere animam.
Quod si mutari potuissent fata sororum,
Gauderet condi Maximus hoc tumulo.

1434.

Q. Sulpicius Abascantus Lascivae vernae.

Quae nondum septem vitae compleverat annos,
Cum caruit luce et tenebris se miscuit atris,
Lasciva heu! nimium fatis crudelibus orta est.
Liquit et orbatos miseros fidosque parentes,
Uberibus pressis nutricem liquit amantem.
Nutricis coniunx infelix ille relictus
Moeret, et ad cineres plangit sua pectora palmis.
Nec satis ereptam lucem sibi . . .

1435.

Domitilla Hectori.

Qui colitis Cybelen et qui Phryga plangitis Attin,
Dum vacat et acita Dindyma nocte silent,
Flete meos cineres. Non est alienus in illis
Hector et hoc tumulo Mygdonis umbra tegor.
Ille ego, qui magni parvus cognominis heres
Corpore in exiguo res numerosa fui:
Flectere doctus equos, nitida certare palaestra,
Ferre iocos, astu fallere, nosse fidem.
At tibi dent superi, quantum, Domitilla, mereris,
Quae facis, exigua ne iaceamus humo.

1436.

Calpurnia Anthis Ikadio.

Dextera fama mihi fuit et Fortuna patrona,
Magnifici coniux Caesaris illa dei.
Qua bene tutus eram, carus, nec vilis amicis,
Queis etiam mecum plurima cura fuit.
Anthis causa meae vitae, quae cara sepulcro
Condidit ossa suo. Nominor Ikadium.

1437.

Eucharis Liciniae L. docta erodita omnes artes virgo vixit ann. XIIII.

Heus oculo errante quei adspicis leti domum,
Morare gressum et titulum nostrum perlege,
Amor parentis quem dedit natae suae,
Ubi se reliquiae conlocarent corporis.
Hei! viridis aetas cum floreret artibus,
Crescente et aevo gloriam conscenderet,
Properavit hora tristis fatalis mea
Et denegavit ultra veitae spiritum.
Docta, erodita paene Musarum manu,
Quae modo nobilium ludos decoravi choro,
Et graeca in scaena prima populo apparui,
En hoc in tumulo cinerem nostri corporis

Infestae Parcae deposierunt carmine.
Studium patronae, cura, amor, laudes, decus
Silent ambusto corpore, et leto iacent.
Reliqui fletum nata genitori meo
Et antecessi genita post leti diem.
Bis hic septeni mecum natales dies
Tenebris tenentur Ditis aeterna domo.
Rogo, ut discedens terram mihi dicas levem.

1438.

Festo Papirio Prisci delicio.

Parvo sub hoc tumulo Festi sunt ossa Papiri,
  Quae moerens fato condidit ipse pater.
Qui si vixisset, domini iam nomina ferret:
  Hunc casus putei detulit ad cineres.

1439.

Domestico, qui vixit ann. XVI.

Hoc mihi noster herus sacravit inane sepulcrum,
  Villae tecta suae propter ut adspicerem,
Utque suis manibus flores mihi vinaque saepe
  Funderet et lacrimam, quod mihi pluris erit.
Nostros nam cineres Pollentia saeva subegit,
  Est et ibi tumulus, nomen et ara mihi,
Nec tamen aut illic subter crudelia busta
  Aut istas sedes nostra subit anima.
Sed petat Assyrios, petat ille licebit Iberos,
  Per mare, per terras subsequitur dominum.
M. Caerellius Smaragdianus fecit.

1440.

Histrionis.

Laudatus populo, solitus mandata referre,
Adlectus scenae, parasitus Apollinis idem,
Multarum in mimis saltantibus utilis actor.
. . . .

1441.

Protogenes Cloul. suavei. heicei situst mimus.

Plouruma que fecit populo soveis gaudia nuges.

1442.

Annia Isias Flaviae Dionysiadi vernae.

Hic iacet exutis Dionysia flebilis annis,
  Extremum tenui quae pede rupit iter;
Cuius in octava lascivia surgere messe
  Coeperat et dulces fingere nequitias.
Quod si longa tuae mansissent tempora vitae,
  Doctior in terris nulla puella foret.

1443.

Anniae Agathonices.

Vita brevis longo melior mortalibus aevo:
  Nam parvo spatio floruit haec anima,
Bis denos perfuncta annos sine crimine morum.
  Vita beata fuit, spiritus hic nituit.
At patrum miseranda aetas anima cruciatur,
  Poenaque de longo tempore longa data est.
De senio luctus, senium fletu renovatur:
  Utraque res mortis durior exitio.
Dat tamen haec patronae pietas solatia fidae
  Iugera quot terrae dedicat hic titulus.

1444.

L. Caesio Hermodoro nauclero, qui erat in collegio Serapidis, Salonensi.

Per freta per maria traiectus saepe per undas,
Qui non debuerat obitus remanere in Aterno.
Sed mecum coniunx si vivere nolueras
Ad Styga perpetua
Vel rate funerea utinam tecum comitata fuissem.

Ulpia Candida domus Salonensis coniux moerens posui Aternensis, quae fuit in collegio Isidis.

1445.

Rapta iacet natis, quos, mater, ad ubera liquit,
Atque viro pariter, quem cito destituit.
Triste ministerium gemini solvere parentes,
Funere de tanto quos coquit ipse dolor.

Deposito superae diem quinctum Kl. Iuliarum consule Constantio V. C. quae vixit ann. XXVII.

1446.

Invida sors fati rapuisti utilem, sanctam puellam.
Bis quinos annos.'
Nec patris ac matris es miserata preces!
Accepta et cara sueis mortua hic sita sum.
Cinis sum, cinis terra est, terra dea est.
Ergo ego mortua non sum.

1447.

Nimbifer ille deus mihi sacrum invidit Osirim.
Imbre tulit mundi corpora mersa freto.
Invida dira minus patimur, fusamque sub axe
Progeniem caveas Troiugenamque trucem.
Voce precor superas auras et lumina caelo
Crimine deposito posse parare viam.
Sol veluti iaculis iterum radiantibus undas
Si penetrat gelidas, ignibus uret aquas.

1448.

Permansit bis denis in vidualibus annis
Iamiam sancta parens. quartam nunc respice prolem.
Accipe perpetuo, quae dat tibi munera natus
Romuli . . . .

1449.

Molliter ossa cubent, dicas, rogo, quisque viator:
Sic tibi defuncto dicere di iubeant.

1450.

Liberti Patronis.

Onesimus Anicetus fecit domino.

Outinam vivo potuissem praemia morum
Reddere: nunc lacrimas accipe pro meritis.
Nam semper, fateor, tacita te mente probavi,
Detexit sensus ultima flamma meos.
Tu columen rerum, semper tu cura mearum
Nunc eris, et luctus tu quoque causa mei.
Ossibus infundam, quae numquam, vina, bibisti.
. . .

1451.

Artemisius libertus Fabiae Pyrallidi patronae.

Cunctorum haec soboli sedem post morte reliquit,
Ante tamen nato, coniugi et ante suo
Nondum secura dum flet moestissima mente,
Occidit et tristes decepit moesta fovendo.
Sed nos solliciti memoresque parentis amore
Matrem cum nato, coniuge cumque suo
Securos colimus, memores de nomine nostro,
Et faciet soboles multos memorata per annos
Sacra deis patribusque suis, memoresque priorum,
Et memores nostri, nostrorumque alta propago
Aeterno servent semper memorabile nomen.

1452.

Quisquis es, aut olim nostra de stirpe futurus,
Sis memor antiqui nominis et tituli.
In quorum tumulis hic datur esse locus,
Aeternaeque domus tu tueare focos.

1453.

Murria hoc titulo patronum pietatis honorat.
Quidquid id est, gratum Manibus officium.
Non iussa hoc testamento, neque voce rogata,
Sed pia pro meritis sponte sua posuit.

Hic aliis obiit: vivit libertae suae suavis patronus.

1454.

(*Urnae inscriptum, in qua erat lucerna ardens.*)

Plutoni sacrum munus ne adtingite fures:
Ignotum est vobis, hoc quod in orbe latet.
Namque elementa gravi clausit digesta labore
Vase sub hoc modico Maximus Olybrius.
Adsit fecundo custos sibi Copia cornu,
Ne pretium tanti depereat laticis.

1455.

(*Urnae minori.*)

Abite hinc pessimi fures.
Quid vostris voltis cum oculis emissitiis?
Abite hinc vostro cum Mercurio
Petasato caduceatoque.
Donum hoc Maximus Olybrius
Plutoni sacrum facit.

1456.

Equi Circensis.

. . coporus que tul . .
Nec Tusci saltus, pascua nec Sicula,
Qui volucris anteire vagas, qui flamina Cori
Vincere suetus eras, hoc stabulas tumulo.

1457.

(*Canis venatricis.*)

Gallia me genuit, nomen mihi divitis undae
Concha dedit: formae nominis aptus honos.
Docta per incertas audax discurrere silvas,
Collibus hirsutas atque agitare feras,
Non gravibus vinclis umquam consueta teneri,
Verbera nec niveo corpore saeva pati.
Molli namque sinu domini dominaeque iacebam
Et noram in strato lassa cubare toro.
Et plus quam licuit muto canis ore loquebar,

Nulli latratus pertimuere meos.
Sed iam fata subi partu iactata sinistro,
Quam nunc sub parvo marmore terra tegit.

1458.

(*Avis imitatricis.*)

Hic sita sum, varios avium perfingere cantus
Docta avis, e Siculo praeda petita sinu.
Nuper herum studiis fessum curisque levabam,
Nunc Manes blandis mulceo rapta sonis.

1459.

Dis Avibus.

Lusciniae Philumenae, ex aviario Domitiorum. Selectae, versicolori, pulcherrimae, cantatrici suavissimae, omnibus gratiis ad digitum pipillanti, in poculo Murhino caput abluenti, infeliciter submersae. Heu misella avicula! hinc inde volitabas, tota garrula, tota festiva! latitas modo inter pulla Leptynis loculamenta, inplumis, frigidula, clausis ocellis. Licinia Philumena deliciae suae, alumnae carissimae, quam in sinu pastillis alebat, in proprio cubiculo lacrumans posuit. Have avis iocundissima, quae mihi volans obvia, blando personans rostello toties cecinisti. salve! Cave, avis, avia Averna. vale et vola per Elysium!

In cavea picta saltans quae dulce canebat,
Muta tenebrosa nunc iacet in cavea.

1460.

D. M.

Labienos Renato Labien. Procula mater B. M.

Ereptam volucrem Cupido luget.
Non est, quod putat hic inesse lector,
Sed sitam leget hic avem puellae,
Crescebat modo quae futura pulchra,
Multorumque amor excidit et omen.

1461.

Auli Egnatii.

Aulus Palatcina Egnatius Priscilianus
  Arte super gemina nobilis et sophia.
Dum vixi, didici, quae mors, quae vita homini esset,
  Aeterna unde animae gaudia percipio.

1462.

L. Avianus. D. D.

Hi sancte coluere deos, vixere *probati*,
Post obitum Elysios ut possent *visere campos.*

1463.

In monte Drepani in Sicilia.

Divor
  Mut
Filius Aproni mai
  Caetulas gentes cl
Effigiem cari genitor
  Aenea dum alma parens
Armaque quae gessit scuto
  Quanta patet virtus ens
Caedibus attritus consummatque
  Qua cecidit posuit barbar
Quo nihil est utrique magis vener
  Hoc tibi sacrarunt filius atque
Caesaris effigiem posuit pe
  Certavit pietas su

1464.

tantum rhetor
tum noster sub origi
carptura rosam mihi decidit
cor et vernum macula vi
n offenso vitae mihi tramit
orum matura bono nil de
ug scit cara fides heresq
quod aeterno migrari

mque ferat melior m
acta pie cura
anom.

1465.

Inspice qui trans
Venator studio ma
Lucorum cultor e
Iungere qui vallis
Adque novas sc

1466.

C. Poblicius C. L. Am.. V. Rustia C. L. M... C. Claudius Faustus VI vir.

Tempore supremo, Fauste, est tibi cura videndi.
Si perlegisti, venias licet et requiescas.
Annuis an refugis? frustra!
Haec domus, haec requies omnibus una manet;
Huc veniendum, inquam . . . . . .

1467.

Cervia, quae fidei vexit fundamina seclo,
Terdenos aevo binos quater attulit annos,
Laeta, dolique expers, culpa procul, inpigra, honesta.
Astrigeram secat alma viam, coeloque recepta
Hic vitae metas et inania membra reliquit.

1468.

nec non triste sepulcrum
mensamque dolendam
ut testamento iusserat ille
grati sumpsere dapes
teste sepulcro.

1469.

Conditus impensa iacet hic
Frater et hic subito ra
Invidia quoi primum rapue
Nec data fatorum longa

1470.

mensibus actis
Post nuptias tenero perquam viduatus est.
Casta cui coniux . . .
Posteris ostendens, ulli si credere fas est,
Patre repugnante proprio haec nomine signat
Nobercam vincens fame nomen ubique m . .

1471.

Semproniae.

Hic est illa sita, pia, frugi, casta, pudica Sempronia Moschis.
Quoi pro meritis ab coniuge gratia relata est.

1472.

Iulia Firma sita tumulo.
Quae commune torum servavit casta mariti,
Et fidei plena pietate nobile vixit.
Subrepta est oculis fato dictante iniquo.
M. Ocimus Sabinae Aug. sororis lib. tabular. coiugi b. m. f.

1473.

Theuduli.

Ne dubium longo nomen quaeratur in aevo,
Theuduli tibi nomen erat, quae grata parenti
Reddideras subolem, pari dicata marito.
Nunc te tellus habet, septem post dece peractos
Exegeras fasces eu tegit ossa sepulchrum.
Haec tibi pro meritis pendo merentia vota.

1474.

Q. Octavius Memor Octaviae Nebridi coniugi libertaeque.
Condita Nebris habes titulum, quem sola mereris,
Octavi Memoris coniux quae vera fuisti.
Elysios, precor, ut possis invadere campos
Matronamque colas Ditis P

Qui prece bis det sedes ut
as meritosque
eus ut

1475.

Hic iacet ex Laberia
Felici hanc con
Iun dri cum quo
Vixit casta viro sortita per annos
Attius obitae
requi aravit.

1476.

Non potuit totos ter denos annos extunguere.
Heu quantus dolor est amissa coniuge cara!
Pius amor imment est animo lacrimisque incenditur ardor.
Nulla datur requies, eritque in pectore volnus,
Quam brevis innocuis vita est! sic fata dederunt.
Et lib. lib. pos. eor.
H. M. H. R. N. S.

1477.

Flaviae Nicopoli fecit T. Aelius Aug. lib. Stephanus coniugi carissimae.

iae patiens vis scire, viator,
tris titulis quid noster Arator
as paulum consiste, docebo.
qui quondam carissima coniux
Flavia Nicopolis
ra mihi cum vita manebit
quies nisi mortis imago
a pueri dei
dire iterabo
Flavia Nicopolis nomen dulce tuum.
Et tumulo spargam saepe meas lacrimas.
O mihi si Superi vellent praestare roganti
Vel roseo vel purpureo violaeque nitore

Ut ave praeteriens gressu tardante viator
Viderit hos flores, titulum legat et sibi dicat:
Hoc flos est corpus Flaviae Nicopolis.
Ut tuo de tumulo flos ego cernere novum
Crescere vel viridi ramo vel flore amaranti.

1478.

D. M.

Ulpiae Ephire Achilla . . bene meren . .

Reddere te fatis Ephire si pos
  Partita tecum vivere lu
Condita tu pleno secura
  Frigore qua gelido Tusculus
Quaque via silicem terit orbita
  Et dat post decimum terti
Hic finem dolor altus habet
  Quae dabit adfecto nomi
Huc animam transmitte tuam p
  Adsidue votis ad pia f

1479.

Asphale Octavia vixit ann. XXXIII. m. VIII.

Hic iaceo coniux Grati et Hilari, dicta Asphale.
  Moribus et vita digna puella viris.

1480.

Have dulcis Popilia Alexandria rarissima femina a. XXXV. hic sita est M. Ulpius Ingenuus B. M. et sibi dulcis. vale.

Quid lacrimas? factum est. Vir bone, vive, vale.
Sed tibi invideo pio qui ossucula
Mea hic sita esse gemis
Morte tarda vivas.
Aeger inops.

1481.

ste et titulum perscriptum lege
itam quae sub hoc tumulo sita est

mortis doleo primi mihi caro
a lacrumis perluit ossa mea.
inter nos semper fuit et tamen est nunc
m sub terris sum resoluta cinis.

1482.

viro posuit coniunx memora lis a
Digna pio nato, qui cito raptus abit
Munera, quae decuit natum matrique patrique
Parare
In natorum serie m.
pia vota mihi titulis tristissima
Quae suboles olim servavit tempore longo.

A. Fabio Daphno Fabia Pyrallis
coniugi carissimo posuit.

Di talesque dabunt epulas meritis pro talibus illi:
Et natum patri matris pietate probabunt.

1483.

it manibus tumuli dulciss
etiosa tuos busta tegunt o
d si sacratus lacrimi
hausit
quam fama tamen cum titul
iam moritur.

1484.

Nomen qui retines tu
Magnus Alexander
Palladis inventum medicinalemque laborem
Quot feci studio proximus ipse meo.
Testor nunc superos, non hoc meruisse videbar,
In vulnus generis quot subito occidimus.
I nunc et dubias fatorum neglige clades
Coniux, quod potuit, titulum mihi reddidit uni.
Valeria Ursilla.

1485.

Porciliae Vestinae Cananivati decore formae . . flore . . . Vestae . . . . adscriptae eheu . . fat . . absump. . . . lento . . . . . . torqu . . . . mater.

Moesta soror, moesti fratres moestique parentes
tum parca noc
Et gemitu et pressis tundentes pectora palmis
Condiderunt tumulo ante diem.

1486.

Maximus Maximinus Primitivus Rosciae Primitivae filiae.

Quae tibi dum staret pater ad torum, sic ait: O miser
Quid gemis et lachrymas? quod te, miserande, relinquo.
Te non turbemus, ista fatalia dantur.

1487.

Laberiae Alexandriae quae vix. an. X. M. V. D. VII. et Silvano q. v. ann. VI. M. V. D. XIII.

Hoc in sarcophago genitrix duo corpora, natos,
Condidit infelix, semper subitura dolorem
Quos superat. Vivet vitamque miserrima ducet
Coniuge praerepto, genitor quibus ipse misellis
. . . . . .

1488.

quocumque ex urbe sepulcrum
ast tu quoque flendus eris.
us dum limina vitae
ertulit ante mori.
primaevo flore sub umbras
o mihi vita fuit.
cunctis bonus indole dignus
nire abos.
us tot praemia laudum
mihi flendus eris.
haec pia munera mater
nate quies.

1489.

Crispe, fili lepidissime,
Heu heu! Orcus cum te voravit,
Delicium mihi omne abstulit,
Baculum exsuctis medullis
Edentulae senectutis secuit.
Spem nepotum abstraxit
Secum maximam.
In tanta demum orbitate
Desolatus supersum, ut, ni,
Qui secus sentiunt, Manes
Vetuissent, vivum me tecum
Contumulassem.
Cripus pater infelicissimus.

1490.

Hic Maxima iacet nunc . . funere acerbo
Rapta patri et matri . . . raptaque sorori
Duo et quaternos vitae compleverat annos,
Haec iacet in tenebras.
Quae vixit annis VI. mensibus IIII. dies VII. ora secunda hunc titulum posuerunt parentes carissimi.

1491.

Amissum mater cr
planctibus assiduis
Occidit ac saevos

1492.

Maximus hic recubo, dulcissimus infans,
Bimulus in tertium escendens. Sit mihi terra levis!

Dulcis eram matri, carior usque patri.
Fecerunt L. Petronius Ampliatus et Masonia Briseis filio dulcissimo.

1493.

Vixit annos XXIIX.
osuit sed funere acerbo

concidit illa minor.
lucis
O lapis hic felix et litera muta sed vic
Iucundam alterno tempore quod retinet.

1494.

Hic sit
Mu
Prima iuventa fuit
. dum varias cupit spec
Museo figere in alto
Decidit et Hermas hoc nunc est pondere clausus.
Aeternasque lacrimas reliquit Carpo parenti.

Qui vixit annis XXI. M. VIIII. d. X. Carpus Coloniae pater infelicissimus fecit.

1495.

Avete animae innocentissimae.

L. Oct. Trebiasius Max. Valerianae matri Carsm. quae vixit ann. XXXVI. D. VIII et L. Oct. Luciliano patri nobilissimo, qui vixit an. LI. M. VIII. D. XXII.

Coniu . . hic ille iacet castissim . famae
Quibus se licuit bis denos vivere . n . t
Quosque cito nimium rapuerunt fata tenebre.

1496.

Q. Candi. Benigni. fab. tign. C. Orp.

Ars cui summa fuit fabricae [studium] doctrina pudorque,
Quem magni artifices semper dixsere magistrum,
Doctior hoc nemo, [fuit] potuit quem vincere nemo,
Organa qui nosset facere aquarum ducere cursum.
Hic conviva fuit dulcis, [nosset] qui pascere amicos
Ingenio studio docilis animique benignus.

Candida Quintina patri dulcissimo et Val. Maxsimina coniugi Kar.

1497.

D. M. Claudiae Pistes Primus coniugi optumae sanctae et piae benemeritae.

Non aequos Parcae statuistis stamina vitae!
Tam bene compositos potuistis sede tenere.
Amissa est coniunx. Cur ego et ipse moror?
Si felix essem, Piste mea vivere debuit.
Tristia contigerunt, qui amissa coniuge vivo.
Nil est tam miserum, quam totam perdere vitam,
Nec vitae nasci.
Dura peregistis crudelia pensa sorores
Ruptaque deficiunt in primo munere fila.
O nimis iniustae! ter denos dare munus in annos
Deceptus gravius fatum sic pressit egestas.
Dum vitam tulero, [primus Pistes] lugeo coniugium.

1498.

um desierant sed quasi vivat amat.
Aetati viridi requiesce, viator, in herba.
Fuge si tecum ceperit umbra loqui.

1499.

extructor templi quod corporis artus
Urna sepulcralis retinet cum pace perenni
Quique.

1500.

terras nec minus et maria
impuri aquae Padi nec minus et saevi
ira quod optavi mihi tandem pervenit
perpetuam requiem posco.

1501.

Hidisiis animo simul et cognomine matris
Nata sacrum tumulis hoc Fabiana dicat.
ulus per longa colatur
progenies quaeso virique manu.

1502.

Tibur mi patria est, Agricola sum vocitatus,
Flavius idem ego, sum discumbens, ut me videtis.
Sic et apud superos annis, quos fata dedere,
Animulam colui, nec defuit umqua Lyaeus.
Praecessitque prior Primitiva, gratissima coniunx
Flavia, et ipsa cultrix deae Phariaes, casta
Sedulaque et forma, decore repleta,
Cum qua terdenos dulcissimos egerim annos.
Solatiumque sui generis Aurelium Primitivum
Tradiditque pietate sua et colere fastigia nostra
Hospitiumque mihi secura servavit in aevum.
Amici, qui legitis, moneo, miscete Lyaeum,
Et potate simul redimiti tempora flore.
Et Venereos coitus formosis ne denegate puellis.
Cetera post obitum terra consumit et ignis.

1503.

C. Clodi Paulini vix. annis XXIIII. M. VIII. D. V. H. VIII.

Carpis si quis iter, paulum huc depone laborem.
Cur tantum properas? non est mora, dum audis
Lingua tua vivum mitique tua voce loquentem.
Oro libens   taedio duc amice
Dum vixi   cantavi
Iam doctus notus et noctibus pervigilavi.
Ast miro ingenio sacro   concrepui
          dico vale
Parc   miser   parent.
          tacer   interrogata
Ut me infern   Stygias Dis pater accipiat
Lamenta quid prosunt
Iam prid   et vos venite ibidem
Nil doleo nec deest, secura morte quiesco.

1504.

Ottediae Zmyrnae coniugi B. M. q. v. ann. XVI. M. VIII. C. Satrius Abascantus fecit et sibi et suis posterisque eorum.

Hic iaceo infelix Zmyrnea puella tenebris,
Quae annos aetatis agens sex et dece mensibus octo
Amisi lucem anima mea rapuerunt fata iniqua,
Castior ut probior servatior ulla marito.
Te precor hoc qui releges sunas habet ulla locum
Sic si mei et titulum natis conscribere possis
Discedens dic Zmyrna uhe iterum te in anno.

1505.

Basseus.

Hospes resiste et tumul
Lege et moraris iam sc
Vixi qua potui karus ru
Hic sum sepultus hic os
Valete et benefacite vo

1506.

Flos decus et vitae
Hic situs aeternam
Omnibus edoctus studiis
Religione potens
Bis denos carpens
Quatuor adiungens
Aemiliane mihi semper Karissime.

1507.

Hic sita sum morum specimen
Digno iuncta viro multu
Qui simul occubuit orta
Reddi anima colu geret
Et nunc aetheriis vivam iam
Perfruar ut te egregiis m

Vixit ann. LII. decessit XVI. Kal... Fl. Lupicinus Cos.

1508.

C. Matieni C. F. Ouf. Oviculae annorum XXVII.

Tempus victuro mihi longum stamine Parca
Aetatis nostrae

1509.

Si grave non, hospes,   morare viator.
  Sic tibi sit *felix*, quod properatur iter.
Hic situs Eudaemo Scribonius, unde requiris
  Forsan   utroti sacra domus patria.

1510.

Annia.

Pompeiana Afra peregrino digna marito.
  Vix. ann. XXXVI. M. IIII. D. III.

1511.

Thetis sita hic.

Os cineri mistum rapido cum decidit igni,
  Inseditque super flava favilla rogo,
Pondere subiecto Thetidis componimus ossa,
  Grata magis terrae quam tibi, Luna, Capys.
Id sumus, ut cernis, titulo donamur inani,
  Serta quod et tumulum florida saepe ligant
Ac teretes onyches fuci gracilesque alabastri,
  Dispositum ac pomum temporis omne sui.

1512.

D. M. Claudia Ti. Augusti L. Toreumae ann. XVIIII.

Haec ego bis denos nondum matura per annos
  Condor humo multIs nota ToreVma iocIs.
ExIguo VItae spatIo feIIcIter acto
  EffugI crImen, longa senecta, tuum.

1513.

Hic sita *sum*, quae frugiferas cum coiuge terras
Has colui, semper nostro dilecta marito.

Myrsina mi no*men fuerat, celeresque per annos*
Vixi, et quem de*derat cursum natura, peregi.*
Care marite, m*ihi du*lcissima nata, valete,
Et memores no*st*ris semper date iusta sepulcris.

1514.

Tulliae Sympherusae.

Olim non fuimus, nati sumus, unde quieti
Nunc sumus, ut fuimus. Cura relicta. Vale!

1515.

Fabiae Fuscinillae clarissimae et omnium virtutum fecundissimae feminae Clodius Celsinus maritus.

Nondum completis viginti quattuor annis
A natis trinis et viro eripior,
Nomine Fuscinilla Petelina domo orta
Celsino nupta univira unanimis.

1516.

Qui gemitu tristi, lacrimis te deflet in oras,
Dulci coniugio, queritur se luce relictum
. . . . una
Sobria casta . . .

Marcia quae vixit annos XVIIII et m. X. Dep. Kal. Sept. Iuliano Aug. IIII. et Salustio.

1517.

Clodia Ɔ. L. Elegans. Vix. ann. XXX.

Hic Clodia cara cunctis iustisque piisque
Est sita et subito tempore rapta abiit.
Quam flet amissam aeterno tempore coniux.

1518.

Memoriae.

Hoc iacet in lapide Aure. Marcellina pientissima coniux.

Qu*a*m lapis ipse tegit, rapta*m* de luce serena,
Huic aetas prime . . cum florebat in annis.
Invida fatorum gens sic mihi sustulit illam,

Superante genetrice sua quae se cupiebat.
Obilfinne mort || deit dum sibi flebile casus
Acciderit fiet . . que permiset in annos XX. sei tui
quam ciu e trris nostros tuei eo dolores sicaut t. exsis
entor debet nume . . ve . . us . . Iul. Victorinus
coniugi.

1519.

Nomine quae Solida vixit cum coniuge sancte,
Clara genus et pulchra genas, sed plena pudoris,
Hic iacet extremum fatis oppressa sinistris.
Huic eadem nox una dedit thalamosque necemque,
Aurea bis denos aetas cum stringeret annos.
Quatuor ast dederat solatia digna marito
Pignore caro tamen vacuum soluta cubile
Pergit ad occasus, quoniam sors omnia volvit,
Cuius pro meritis pulcram de marmore sedem,
Valeriane, dolens communi in pace parasti.
Deposita III. Idus Septembris.

1520.
Hedia C. L. Nardis vix . . . .

Si quis forte leget titulum nome . . .
Nardinis invenies ossa sepulta lo.
Cara viro nunc mortua quaror sa . . .
Manet scire potest ipse an . mi .

Heliades coniugi benemeren . . si tantum mihi fortuna largita . . . coguit (sic) *et officia aureum hoc to . . de mea paupertate feci ut . . .*

1521.
Hateria Telete vixit an. XXVII.

Tu pater et mater lacrimis retinete dolorem:
Nam fato raptam non potis eripere.

1522.

Cn. Taracius Cn. F. VI. A. XX. D.
Ossa eius hic sita sunt.

Eheu heu Taraci, ut acerbo es deditu' fato!

Non aevo exacto vitai es traditu' morti.
Sed cum te decuit florere aetate iuventa,
Interiisti et liquisti in moeroribus matrem.

1523.

Aeternae animae L. Aeli Terti Causidici.

Hunc Placentia habet, quem patria Roma creavit.
Marmoreo positum solio aramque sacravit.
P. Aelius Tertius pater.

1524.

His pater ac mater moestum solantur amorem,
Solventes nato triste ministerium.

1525.

Infelix annosa viro nataeque superstes.

1526.

Hannibali.

Nato dilecto moestus uterque parens.

1527.

C. Turpidi P. f. Hor. C. Turpidius C. f. Severus fecit. Vixit a. XVI.

Parentibus praesidium, amiceis gaudium,
Pollicita pueri virtus indigne occidit.
Quoius fatum acerbum populus indigne tulit
Magnoque fletu funus prosecutus est.

1528.

D. M.

O dolor! quantae lachrimae fecere sepulchrum
Iul. Lucinae, quae vixit carissima matri.
Flos aetatis hic iacet intus condita saxo.
O utinam possit reparari spiritus ille,
Ut sciret, quantus dolor est!
Quae vixit ann. XXVII. m. X. d. XIII. Iul. Parthenope posuit, infelix mater.

1529.

Sex. Iulii Agathopi ephebu an. VII.

Te, terra, optestor, leviter super ossa quiescas,
Et tenerae aetati ne gravis esse velis.

1530.

Pater et mater titulum posuerunt funeri acerbo. Cn. Gargonio Cn. f. Paullino vix. ann. IX. m. VII.

Te, lapis, obtestor, levis ut super ossa quiescas,
Ne tenerae aetati gravis esse videaris.
Tu qui via Flaminea transis, resta ac relege.

1531.

C. Iulius Sp. f. Maximus vixit annis II. mensibus V.

Atrox o fortuna, truci quae funere gaudes,
Quid mihi tam subito Maximus eripitur?
Qui modo iucundus gremio superesse solebat,
Hic lapis in tumulo nunc iacet ecce miser.

1532.

Salonae.

Fuficia Agre.

Crudeles Parcae nimium! matercula dicit,
Quoius in hoc tumulo filia parva iacet:
Debueram prius ipsa mori, sed numina vestra
Que coluere cadunt neglexere manent
Infernae voces commen . . .
. in hoc tumulo.

1533.

Spolatensi agro.

L. Aprofennius Pro . . posuit sibi Iuliae C. F. Maximae uxori et L. Aprofennio cinitori et L. Aprofennio Luculloni annor. XXIII. defunct.

Quod si longa magis nexissent stamina Parcae,
Aequius iste lapis patris super ossibus esset.

1534.

D. M.

Atiliae Severillae filiae piissimae Atilia Onesime mater.

Hunc titulum natae genetrix decepta paravi.
Illa bis octonos vixit miseranda per annos,
Ut plenos lacrimis oculos manus altera clusit.
Namque mori levior poena est quam quaerere mortem.
Infelix natae cineres custodio mater,
Ante bis octonos quam lux mihi verteret annos
Tale nefas matri mors properata tulit.
Illa meis semper tum
Luget et in nos
Infelix Stygio
Adiacet et tu
Salve precor ni
Excipis Elysi
Viximus Hennaeae sine docuere rapinae
Erubuit nostras Atropos ipsa colus
Post teneros Manes et acerbae funera mortis
Et ici tenebras
aes
i
i
orsas
orq
rhann
a domo
in sepulc
ra meos
Penates
ipsa rogos
vi meae sic animae Manesque piorum
Dum vi . . matris funere tarda comes.

1535.

Terentiae P. f. Asiaticae P. Terentius Quietus alumnae.

Hic iacet exanimum dilectae corpus alumnae,

Quam Parcae insontem merserunt funere acerbo,
(Nondum etenim vitae decimum compleverat annum)
Et mihi crudeles tristem fecere senectam.
Namque ego te semper, mea alumna Asiatica, quaeram
Adsidueque tuos vultus fingam mihi merens,
Et solamen erit, quod te iam iamque videbo,
Cum vita functus iungar tuis umbra figuris.

1536.

D. M.

Xanthippes sive Iaiae Caius Cassius Lucilianus alumnae dulcissimae.

Seu mortis miseret, seu te vitae, perlige:
Nomen Xanthippe Iaia eaedem ludicro
Quon exprimens dolore fugit anima corpore,
Hic conquiescit cunis terrae mollibus.
Quam trino annorum filo proterentia
Novem post mensum fata conficiunt malo.
Lues ignita torret ultra quinque dies
Venusta, amoena, inter morbum garrula.
Quam, si qua pietas insita sit coelestibus,
Viventi ingenio, soli et luci, reddite,
Altoris memorem, quem parentes dixerant,
Cum primus natust, Lucilianum Cassium.

Carmina Supposititia.

1537.

Euriali Moranii Asculani.

Chaoniam legitis natam Iovis arbore glandem
Legiferae et segetes munera sacra deae.
Vos ulmos et apes, complentes nectare cellas,
Et legitis tardos laeta per arva boves.
Vos et equum legitis, qui frena sonantia mandit,
Vos arva et carpens gramina pingue pecus.
Sed mihi quid prodest audire haec, si mihi desunt
Glans, seges, ulmus, apes, bos, equus, arva, pecus?

1538.

Pulicis de Custodia Vicentini Hermaphroditus.

Cum mea me genitrix gravido gestaret in alvo,
Quid pareret, fertur consuluisse deos.
Mas est, Phoebus ait: Mars, femina: Iunoque neutrum.
Cumque forem natus, Hermaphroditus eram.
Quaerenti letum, dea sic ait: occidet armis;
Mars, cruce; Phoebus, aquis. Sors rata quaeque fuit.
Arbor obumbrat aquas, adscendo, decidit ensis,
Quem tuleram, casu labor et ipse super.
Pes haesit ramis, caput incidit amne: tulique,
Femina, vir, neutrum, flumina, tela, crucem!

1539.

Guarini Veronensis
ex Plutarchi versione epitaphium Cyri.

Quisquis es mortalium et undecumque
Advenis (adventurum enim te scio.)
Cyrus sum, qui Persis imperium acquisivi.
Hoc igitur humi paululum, quo meum corpus
Obtegitur, igitur mihi ne invideas.

1540.

Fr. Petrarchae.

Quisquis amore voles solido tranquillus et alta
Pace frui, maiora fuge, et nimis alta caveto:
Quin etiam vitare pares, licet obstrepat error
Publicus, admoneo. Fidum tibi iunge minoris
Pectus, ubi obsequium pernox humilesque vicissim
Blanditiae dulcisque timor. Res cognita paucis.
Alta petunt omnes; utinam mihi tale dedissem
Consilium, sed cogit amor, perque ardua vinctum
Luctantemque rapit. Victor fuit ille deorum,
Molliaque Herculeis aptavit pensa lacertis.
Tu, cui libertas salva est, tibi consule, Daphne.

1541.

Adriani Scorelii Batavi.

In Graeculum a cane interfectum.

Graeculus Argolicis laetus veniebat ab oris
  Italiam: canis hunc forte momordit, obit.
A cane non mirum est subito periisse Pelasgum:
  Nam rabies Hecubae durat in Argolicos.

1542.

Hieronymi Wolfii.

Constantinae Mauritii Imp. uxoris et liberorum.

O ego mille modis regum miseranda duorum
  Mauritii coniux, filia Tiberii.
Edocui regina satis fecundaque mater,
  Quam sint multorum commoda sceptra ducum.
Militis infidi iaceo populique furore
  Et mecum coniux progeniesque iacet.
Nae miserae Niobes ego sum vitale cadaver.
  Plurane Cisseis, plura Iocasta tulit?
Esto: iure pater. Cur pignora parva necantur?
  Humani prorsus nescia turba doli.
Non iam, Roma, meis carpes a frondibus umbram,
  Eruta Threicio stirps Aquilone iacet.

1543.

Vineti.

Lucillae.

Ossa gemelliparae Lucillae hic sunt sita, cuius
Secta fuit proles vivens patri et altera matri.

1544.

Iulii.

In Petronium Arbitrum.

Petronii carmen divino pondere currit,
  Quo iuvenum mores arguit atque senum.
Quare ille praesa gaudet lasciva puella,

At quoque delicias frigida sentit anus.
Nam iter diri scripsitque Neronis amictu
Arbiter, arbitrio dictus et ipse suo.

1545.

In Bacchum.

Infantem Nymphae Bacchum, quo tempore ab igne
Prodiit, inventum sub cinere abluerant.
Ex illo Nymphis cum Baccho gratia multa est,
Seiunctus quod sit ignis et urat adhuc.

1546.

Augustini Brenzonii.

Dum rides, mihi basium negasti:
Dum ploras, mihi basium dedisti.
Nata est de lacrimis mihi voluptas,
De risu dolor, o miselli amantes!

1547.

Impubes nupsi valido, nunc firmior annis
Exsucco et vetulo sum sociata viro.
Ille fatigavit teneram, hic aetate valentem
Intactam tota nocte iacere sinit.
Dum nollem, licuit: nunc, dum volo, non licet uti.
O Hymen aut annos aut mihi redde virum.

1548.

Nymph. Font. Lysimach. V.

Nymphae, fonticolae Nymphae, quae gurgitis huius
Aeternum roseo tunditis ima pede,
Lysimachum servate, sub alta maxima pinu
Numinibus posuit qui simulacra suis.

1549.

Pani Custod . . .
(sub imagine Panis rudi lapide)
Veronae effossum in Calabria.

Heic stans vertice montium supremo

Pan glaucei nemoris nitere fructus
Cerno desuper uberemque silvam.
Quod si purpureae, viator, uvae
Te desiderium capit, roganti
Non totum invideo tibi racemum.
Quin si fraude mala quid hinc reportes,
Hoc poenas luito caput bacillo.

1550.

Est rosa flos Veneris, cuius quo furta laterent,
Harpocrati matris dona dicavit Amor.
Inde rosam mensis hospes suspendit amici,
Convivae ut sub ea dicta tacenda sciant.

1551.

Iupiter omnipotens est primus et ultimus idem,
Iupiter est caput et medium. Iovis omnia munus.
Iupiter est fundamen humi ac stellantis Olympi,
Iupiter et mas est et nescia femina mortis.
Spiritus est cunctis, validi vis Iupiter ignis
Et pelagi radix, Sol, Luna est Iupiter ipse.
Omnipotens rex est: rei omnis Iupiter ortus.
Nam simul occuluit, rursum extulit omnia leto,
Corde suo e sacro, consultor lumine rebus.

1552.

Quaenam haec forma? Dei. Cur versa est? Fulgura lucis
Divinae non fert debilis haec acies.
Quid vero existit tamquam uno e corpore corpus?
Hic Amor est. Si Amor est, cur videt? at Iovis est.
Cur ita complicitis alis? Numquam evolat. At cur
In se convertit tela? sui ille amor est.
Cur ferro sine tela gerit? Quia vulneris expers
Ille est. at vester vulnerat et cruciat.

1553.

Epicteti de Venere.

Nuda Venus picta est, nudi pinguntur Amores.
Nam quos nuda capit, nudos amittat oportet.

1554.

Epicteti.

Poma ut in arboribus pendentia corpora nostra:
Aut matura cadunt aut cito acerba ruunt.

1555.

Charites.

Sunt nudae Charites niveo de marmore, et illas
Diva Columna suis aedibus intus habet.
Par tribus est facies, qualem decet esse sororum;
Par tribus est aetas, par quoque forma tribus.
Grata Thalia tamen geminae conversa sorori,
Implicat alterne brachia blanda soror,
Euphrosynam dextra stupeo Aglaiamque sinistra,
Miror et implicitis brachia nexa modis.
Iupiter est genitor, peperit de semine coeli
Hemonia et Veneris turba ministra fuit.
Inde alitur nudus placida sub matre Cupido,
Inde voluptates, inde alimenta dei.

1556.

Q. Fabii Dictatoris nepotum.

Abdita sarcophago cum manibus ossa sub isto
Sunt Fabii Dictatoris defleta nepotum.
Sparge rosis tumulum, legis haec quicumque viator,
Quaeque iacent tumulo, dic molliter ossa quiescant.

1557.

Livii Salinatoris conditoris fori Iulii.

Livius ecce fui Romanus, conditor urbis
Huius, et hanc volui terram coluisse Quirites
Magnanimos, populisque dedi cognomina victor.

1558.

Euripides.

Siste! Quid ipse velim, rogitas? Cognosce, viator.
Euripides, tragico carmine clarus homo,
Hic iaceo. Istud erat, quod te novisse volebam.
Ergo diu felix, care viator, abi!

1559.

Epitaphium Ciceronis.

Ille oratorum princeps et gloria linguae
Romanae iacet hac cum coniuge Tullius urna.
Tullius ille, inquam, de se qui scripserat olim,
O fortunatam natam me consule Romam.

1560.

Epitaphium Ovidii.

Hic situs est vates, quem divi Caesaris ira
Augusti Latia cedere iussit humo.
Saepe miser voluit patriis occumbere terris,
Sed frustra. Hunc illi fata dedere locum.

1561.

De primis Italiae regibus.

Primus in Italia Ianus regnavit agresti.
Aurea Saturnus iugera falce colit.
Tertius Ausoniis dominatur Picus in oris.
Faunus et in Latio regna paterna capit.
Filia Laurentum regi fuit una Latino.
Dos fuit Aeneae terra Latina pio.

1562.

Imp. Nervae Traiano Caesari Augusto Germanico Dacico Sacrum.

Templum in rupe Tagi superis et Caesare plenum,
Ars ubi materia vincitur ipsa sua,
Quis quali dederit voto, fortasse requiret
Cura viatorum, quos nova fama iuvat.

Ingentem vasta pontem qui mole peregit,
Sacra litaturo fecit honore Lacer.
Pontem perpetui mansurum in secula mundi
Fecit divina nobilis arte Lacer.
Qui pontem fecit Lacer et nova templa dicavit,
Scilicet et superis munera sola litant.
Idem Romuleis templum cum Caesare divis
Constituit felix, utraque causa sacri.

1563.

Interamnae.

Tirenus fecit, Traianus me reparavit.
Ergo mihi Tranum nomen uterque facit.

1564.

Epicuri.

Cum te mortalem noris, praesentibus exple
Deliciis animum. Post mortem nulla voluptas.

1565.

De duabus sororibus meretriculis ex Illyrico, Gentia et Chloe, quae Romana castra cum matre lena sequebantur.

. . . matris amor deliciumque meum.
Ne vero inter vos odio certate sorores,
Utrius alba magis vel minus atra cutis.
Hoc unum certate, suos magis urat amores
Altera nonne oculis, altera nonne comis.
Anne coma ex auro flava est tibi, Gentia? an auri
Ex ipsa magis est bractea flava coma?
E Beronicaeo detonsum vertice crinem
Retulit esuriens Graecus in astra Conon.
Gentia, rapta tibi fiat coma protinus astrum,
Et regat Illyricas certior Ursa rates.
Cum quatit et caudam Iunonius explicat ales,
Mille oculos, gemmas mille decenter habet:
. . . . huc illuc flectat ocellos
Hinc illinc videas currere mille faces.

1566.

Quid natum caedit Venus? Arcum perdidit. Arcum
Quis rapuit? Tusco Flavia nata solo.
Qui factum? Petit haec, dedit hic; nam lumine formae
Deceptus, matri se dare crediderat.

1567.

De Theide et Mela.

Me mihi subripuit contraria flamma sororum;
Pulchra Theis oculis, ore nigella Melas.
Ore Melas, oculisque Theis placuere subinde,
Pulchra Theis oculis, ore nigella Melas.
Sed dum nigra Melas ridet sine voce sororem,
Despectam Theidis forma facitque Melam,
Me mihi restituit contraria flamma sororum,
Pulchra Theis oculis, ore nigella Melas.

1568.

In statuam satyri et pueri.

Blanditur puero Satyrus vultuque manuque,
Nolenti similis retrahit ora puer.
Quem non commoveant quamvis de marmore? fundit
Paene preces Satyrus, paene puer lacrimas.

1569.

Seu puerum vidi formosum, sive puellam
Formosam, sit uter sexus enim dubito.
Inter utrumque decus formae dubitare coactus,
Contra grammaticos ne faciam, vereor.
Seu pulcher, seu pulchra mihi dicatur, et errem,
Musa soloecismi nostra futura rea est.

1570.

Hersili.

Semicapri quicumque subis sacraria Fauni
Haec lege Romana verba notata manu.
Hersilus hic iaceo; mecum Marulla quiescit,

Quae soror et genitrix, quae mihi sponsa fuit.
Vera negas? frontemque trahis? aenigmata Sphingis
Credis? Sunt Pythio vera magis tripode.
Me pater e nata genuit, mihi iungitur illa:
Sic soror et coniux, sic fuit illa parens.

1571.

Felicis.

Sponte fui pauper tam re quam nomine Felix,
Quaesivi nomen, quaerat avarus opes.

1572.

Fortiss. Mil. v. et XIX Leg.

Quorum opera fortiter vetera castra defensa sunt Polyandrion.

Huc reduces olim post tempora longa reversas
Senserat ire aquilas legio undevigesima, cuius
Haec veterum manes castrorum hiberna tuentur.

M.

Ossa Mil. V. et XIX leg. cum Quintil. V. interfect. iussu
Germanici Imp. huc collata quiescunt.

Si quid adhuc manes, cineres atque ossa sepulta
Mentis habent vocisque, iubent salvere reductas
In sua castra aquilas, felix faustumque precantur.

1573.

Pylades Anni Novati patris.

H. S. E.

Subductum primae Pyladen haec ara iuventae
Indicat exemplum non leve amicitiae.
Namque sodalitii sacravit turba futurum
Nominis indicium nec minus officii.

Dicite, qui legitis, solito de more sepulto:
Pro meritis, Pylades, sit tibi terra levis.

1574.

Tyrrheni Etrusci.

Immortales Camenas mortalibus
Immortale aevum largiri non posse,
Tyrrheni Hetrusci immatura mors doceat.

1575.

Mulieris a marito interfectae.

Inmitis ferro secuit mea colla maritus,
Dum propero nivei solvere vincla pedis.
Durus et ante torum, nuper quo nupta coivi,
Quo cecidit nostrae virginitatis honos.
Non culpa meruisse necem, pia numina testor,
Sed iaceo fati sorte peremta mei.
Discite ab exemplo Christinae, discite patres,
Ne nubat fatuo filia vestra viro.

1576.

Ioviani Pontani.

Miellae caesae et a suibus erutae.

Heu quid amor, male castus amor, mala crimina possint,
Ipsa manu doceo caesa Miella viri.
Haerebam misera in gremio male saucia amantis,
Et mea languentis presserat ora sopor:
Irrumpit gladio coniux. Heu victa sopore
Vix sensi armatas in mea fata manus.
Eiectam furtim exequiis bustoque carentem
Tristis in ignota condidit hospes humo.
Tabueram; intestata diu nec crimina passus
Hymen immundas excit in ossa sues.
Eruor infelix, populi nota, dedecus urbis,
Meque trahunt rapidae per loca tetra ferae.

Quaeque Miella fui, nomen sum nacta Suillae.
Disce, puella, tuo casta manere toro.

1577.

Angelae.

Hic iacet, in medio quae concidit Angela partu,
Dum Iuno gravidae saeva negaret opem.
Impia res. Tenerum saltem mors improba fetum
Liquisset misero matre cadente patri
Aut matrem potius. Quis enim, cum carpserit uvam,
Ipsam etiam vitem subsecuisse velit?
Plaudite vos steriles; soboles hanc perdidit, et sic
Saepe solent ramos frangere poma suos.

1578.

D. M.

Sororis suaviss.

Et lac et vini pateras et liquida mella,
Iam tibi in extremas do, soror, inferias.
Lac, quod libo, novum est; Rhodio de palmite vinum,
Expressumque favis mel fero Cecropiis.

1579.

Lucretiae.

Si cineres vitae specimen post fata reservant,
Hic proprio nulli cedet honore cinis.

Una dies animo similes vultuque gemellos
Una tuo fecit funere dissimiles.
Aemula sed nostrae fuerint cum fata iuventae,
Una meos cineres condet et urna tuos.

1580.

Francisci Columnae.

Felix Polia, quae sepulta vivis,

Charo Marte Polyphilus quiescens
Iam fecit vigilare te sopitam.

1581.

Basilii Zanchii.

In Lydium infantem.

Luderet in viridi dum cespite Lydius infans,
Propter aquam (ah pietas!) ictus ab angue cadit.
Infelix mater natum complexa iacentem,
Occidit, angue puer, victa dolore parens.

1582.

Cottae

In Ioannem Quinterium.

Me longe effigie venustiorem
Narcissi vel Apollinis comati
Parcarum Lachesis soror severa
Isti Quinterium dedit sepulcro.
Cur non flosculus exeat, requiris,
Cum tanti fuerim puer decoris?
Haec tellus nimis arida est, viator,
Nostri facta perustione amoris.
Nam terram quoque laesimus decore.
Quod si lacrimulis tuis madescet,
Forsan flos novus ibit e sepulcro.

1583.

In Hieronymum Angerianum.

Factus amor mitis transfixo clausit amanti
Lumina, conlegit corporis ossa Charis.
Tradidit inferias pia Cypris, carmen in ipsa
Urna Erato scripsit: tu lege, quisquis amas.
Non hic corpus inest, non hic cinis ater, at una
Flamma calens, cremat haec flamma: viator abi.

1584.

Pierides tumulo violas, Venus alma hyacinthos,
Balsama dant Charites, cinnama spargit Amor,
Phoebus odoratas lauros, Mars ipse amaranthos,
Nos lacrimas, rarae munus amicitiae.

1585.

In Camillam.

Qui sunt hi gemitus? Charitum. Quae pompa? Camillae.
Unde odor hic? Cineri tura ministrat Amor.
Unde pyra? Ex pharetra. Quisve ardet in igne? Lepores.
Quaeve est inlacrimans? Quae legit ossa? Venus.
O fatum infelix! quid formae gloria prodest,
Si fastus hominum parva favilla rapit?

1586.

Me miserum! fraternus amor persolvere cogit
Has, puer, exequias, has, puer, inferias.
Belle puer, formose puer, puer unice, dico,
Quid puer, imo infans, aridus imo cinis.
Vixdum natus eras, Lachesis tua fila recidit.
Sic lux, quae fuerat prima, suprema fuit.
Nam quasi momento sub eodem temporis ad te
Torva iuventa venit, curva senecta venit.
Mater abortivum cum te produxit in auras,
Parturiit puerum, parturiitque senem.
Mors et abortivum quae te produxit in auras,
Sustulit et puerum, sustulit atque senem.
Ast puto non rapuit te mors, sed filia magni
Cara Iovis, Stygio nupta puella Iovi.
Haec rapuit, paucos, ut, cum tu adoleveris annos,
Inter delicias te beet illa suas.
Cresce puer, tu cresce infans, infantule cresce,
Cresce puer, crescas bellule, cresce puer.

Nec desiderium bellae remorare puellae,
Cresce puelle cito, bella puella rogat.
Cresce cito: interea manibus dabo lilia plenis,
Misceboque tuis balsama in ossiculis.
Tu modo non fratris donum aspernabere, nardum
Suscipe, cum nardo suscipe et has lacrimas.
Suscipe et hos gemitus fratris, cape et alba ligustra;
Albe puer, simulant alba ligustra tibi.
Tu pia verba refer nunc iusta et iusta sacerdos;
Eia age condantur ustaque bustaque humo.

1587.

Lydae.

Iniice, si pietas usquam est, suspiria et imple
Mecum, hospes, lacrimis marmoris hoc vacuum.
Nam formae exemplum periit, cum obiit mea Lyda
Quam periere homines, vel periere dei.

1588.

Extremum hoc, coniux, a coniuge, si qua venire
Inde tibi possit gloria, munus habe.
Inde mihi certe ventura est maxima, dum te
Uxorem nostram quisque fuisse leget.

1589.

D. M.

. . . .

. . . . .

Quae te sub tenera rapuerunt, Paeta iuventa,
O utinam me crudelia fata vocent,
Ut linquam terras invisaque lumina solis,
Utque tuus rursum corpore sim posito.
Tu cave Lethaeo contingas ora liquore,
Et cito venturi sis memor, oro, viri.
Te sequar obscurum per iter, dux ibit eunti
Fidus Amor, tenebras lampade discutiens.

1590.

Quid gemis heu tanto felicia funera luctu?
Turbantur lacrimis gaudia nostra tuis.
Parce, precor, questus tristes effundere. Vixi.
Non erat in fatis longior hora meis.
Immatura perii, sed tu diuturnior annos
Vive meos, coniux optime, vive tuos.

Ibidem.

Anxia me miserum multos post vita labores
Liquit et immerito funere procubui.

1591.

Manes si saperent, miseram me abducerent coniugem.
Vivere iam quoniam lucem iam nolo videre.
Dulcem nam carui lucem, cum amisi te ego coniux.
Has tibi fundo dolens lacrimas, dulcissime coniux.
Si prosunt lacrimae, visis te ostende videri
Semper. Perpetuo vale, mi carissime coniux.

1592.

Tu qui carpis iter gressu properante, viator,
Siste gradum, quaeso, quod peto, parva mora est.
Praeteriens dicas: sit tibi terra levis.

1593.

Antonii Epicuri.

Nata, sed heu miserum, misero mihi nata parenti,
Unicus ut fieres unica nata dolor.
Nam tibi dumque viro taedas thalamumque parabam,
Funera et inferias anxius ecce paro.
Debuimus tecum poni materque paterque,
Ut tribus haec miseris urna parata foret.
At nos perpetui gemitus, tu nata sepulcri
Esto heres, ubi sic impia fata volunt.

1594.

Pueri a matre necati.

Te peperi, te, nate, alui, pressi ubera, nate,
Scilicet ut mater te gladio feriam.
Ambos in partu Lucina irata tulisset,
Cur non discissis ilibus interii?
Hiscite (quid statis?) terrae, ruat arduus aether
In caput, in me omnis Tartarus exsiliat.
Quo nos dira fames compellit? vosne potestis
Adspicere haec aequis sidera luminibus?
Nate, petes iterum infelicis viscera matris.
Te pietas celebrem, me feret impietas.

1595.

Iulia, dum vixti, patri suspiria: questus
Inde ego saepe ergo pectore, saepe animo.
Nunc vero ad tumulum quoties pia iusta repono,
Do lacrimas cineri, fundo preces superis.
Sic precibus lacrimas miscens, tua busta reviso,
Dilecto quoniam non licet ore frui.

1596.

Quot lacrimas moriens liquisti filia matri,
Tot tibi dent superi gaudia perpetuo.
Ter conata sequi, ter spiritus haeserat ori.
Quod volui, haud potui, te pereunte mori.
Solamen, si quod miserae est, insomnia praestant,
Cum tristem in somnis ludit imago animam.

1597.

Avus M. nepot. optum. Mar. vix. ann. XIII. mens. XI. dies X.

O dulcis puer, o venuste Marce,
O multi puer et meri leporis,
Festivi puer ingeni, valeto!

Ergo, cum virideis vigens per annos
Aevi ver ageres novum tenelli,
Vidisti Stygias peremptus undas!
Tuum moestus avus, tuum propinqui
Os plenum lepida loquacitate
Et risus facilis tuos requirunt.
Te lusus, puer, in suos suëtos
Aequales vocitant tui frequenter.
At surdus recubas trahisque somnos
Cunctis denique, Marce, dormiundos.

1598.

Fusco factionis Venetae agitatori.

Factionis Venetae Fusco sacravimus aram
De nostro, certi studiosi et bene amantes,
Ut scirent cuncti monumentum et pignus amoris.
Integra fama tibi, laudem cursus meruisti.
Certasti multis, nullum pauper timuisti.
Invidiam passus semper fortis tacuisti.
Pulcre vixisti, fato mortalis obisti.
Quisquis homo es, quaeres talem, subsiste, viator,
Perlege, si memor es, si nosti, quis fuerit vir.
Fortunam metuant omnes, disces tamen unum,
    Fuscus habet titulos mortis, habet tumulum.
Contegit ossa lapis: bene habet, Fortuna valebis.
Fundimus insonti lacrimas, nunc vina precamur,
    Ut iaceas placide: nemo tui similis.
Τυὺς σοὺς ἀγῶνας αἰὼν λαλήσει.

1599.

Macri medici.

Accipe supremos, quis te donamus, honores,
    Care Macre, et longum me cariture vale.
Felix, qui commune malum, nec tanta videbis
    Funera, quae nostra barbarus in patria
Patrabit. Felix, tribuit cui Roma sepulcrum,

Cui tot amicorum iusta dedere manus.
Te Graecae Latiaeque simul flevere Camenae,
Et medicina tuo moesta sedet tumulo.

1600.

D. M.

Glyconi vernae dulciss.

Verna puer, puer o mi verna, quis ah! quis ab aura
Te in tenebras rapuit? Perditus heu! morerer,
Ni tecum assidue loquerer, ni saepe iocando
Fallerer. Hinc dum te continuo aspicio,
Semper ero tecum: et si me sopor occupet, umbram
Te umbra petam. Ergo unquam ne metue abs te abeam.
C. Baebius Rufus.

1601.

Manfridi tonsoris.

Manfridus tota cecidi qui flente Panormo,
Tonsorum quondam primus in urbe fui.
Numquam vena meum sensit nec vulnera ferrum
Hanc sentire manum non potuere genae.
Ars speculi, pecten, periere novacula, thecae,
Et simul hic mecum cuncta sepulta iacent.

1602.

Assyrios tumulus non hic sibi poscit odores,
Florida nec multo pressa canistra croco.
Ipsa etenim raros spirant haec ossa liquores,
Urnaque perpetuo vere beata nitet.
Flevit Amor, moestae Charites, te, Cynthia, flevit
Pulcra Venus, molles subsecuitque comas.
Cynthiae semper vivae.
Vixit ann. XXII. obiit V. Decemb. MDXL.

1603.

Vivite mortales et vitae et legibus aequis:
Haec superat letum, cetera condet humus.
Quod thalami, quod iura deum, quod iusta peregi,
Sorte mea inferni iudicis urna vacat.
Te solare inopem, coniux, solare nepotes,
Si terras liquit spiritus, astra tenet.

1604.

Epitaphium canis.

Quod potui, posui tibi, fida catella, sepulcrum,
Digna magis caeli munere quam tumuli.
Candenti ex lapide haec tibi convenit urna: fuisti
Candida tota pilo, candida tota fide.
Si caelum, ut quondam, canibus patet, haud tua terras
Incendet, sed ver stella perenne dabit.
Titae catellae blandissimae Antonius Thebaldaeus.

1605.

Canis.

Longo ac fido amore probatus domino,
Senio confectus servata stirpe hic iaceo.
Hoc me sepulcri honore dignatus herus.
Rubinio catulo.

1606.

Canis.

Latratu fures excepi, mutus amantes:
Sic placui domino, sic placui dominae.

Appendix.

1607.

Hippodamia.

Pandite nunc Helicona deae. Nunc pectore firmo
Este duces, o si qua via est, et pronuba Juno.
Pallida Tisiphone fecundum concute pectus
Non hic Atride nec scelus exitiale Lacaenae,
Hic crudelis amor, nunc illas promite vires,
Maius opus moveo, quaesitas sanguine dotes
Et scelerum poenas inconcessosque hymenaeos.
Urbs antiqua fuit, fama est obscurior annis.
Quid memorem infandas caedes et facta tyranni:
Ausi omnes immane nefas irasque minasque.
Quis tam crudeles optavit sumere poenas.
Hic qui forte velit currus agitare volantes
Invitat pretiis animos et praemia ponit
Tormenti genus incertum de patre ferebat.
Fama malum, incautum dementia cepit amantem,
Horresco referens, rapido contendere cursu
Composuit legesque dedit populosque propinquos
Infelix habuit thalamus, ruit omnis in urbem
Magnanimum heroum primaevo flore iuventus.
Undique conveniunt, et virginitatis amore
Contendunt petere et dubii seu vivere credant,
Ille dies vitamque volunt pro laude pacisci.
Post ubi confecti cursus Circensibus actis
Supplicia expendunt iuvenes ante ora parentum.
Linquebant dulces animas et corpora patrum
Pro molli viola, pro purpureo narcisso
Ora virum tristi pendebant pallida tabo
Vestibulum ante ipsum saevique in limine regis
Terribiles visu formae inposuere coronas,
Quin ipsae obstupuere domus noctesque diesque,
Umbrae ibant tenues odium crudele tyranni
Saepe queri et longas in fletum ducere voces.
O virgo infelix, iam fas est parcere genti,

Pestis et ira deum crudeli funere virgo,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Tempore iam ex illo nil magnae laudis egentes
Deponunt animos scelerata excedere terra.
Ecce inter sanctos ignes, dum sacra morantur,
Et iuxta genitorem adstat lasciva puella.
Cui pater et coniux, si qua fors adiuvet ausum,
Ora puer prima signans intonsa iuventa,
Pictus acu chlamydem et barbara tegmina crurum,
Venit amor fidens animi in utrumque paratus,
Lucet ebur, tantum egregio decus enitet ore.
Postquam introgressi et coram data copia fandi,
Rex prior adgreditur dictis atque increpat ultro,
Quo moriture ruis, quae te dementia cepit,
Aut quisquam ignarum connubia nostra petentem
Iussit adire domos quidve hinc petis inquit:
Poenarum exhaustum satis est miseretque pudetque
Pone animos et pulsus abi, miserere tuorum.
Non fugis hinc praeceps, dum praecipitare potestas,
Sunt aliae innuptae, thalamis ne crede paratis,
Ne pete connubiis natam, dabis inprobe poenas.
Ad quae subridens paucis ita reddidit heros:
Hostis amare, quid increpitas mortemque minaris?
Ne tantos mihi finge metus tam fortibus ausis,
Nec mortem horremus, nec nos via fallit euntes,
Quo res cumque cadent, nec me sententia vertit,
Audentes fortuna iuvat, stat, quidquid acerbi est,
Morte pati, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur.
Talia dicentem iam dudum aversa tuetur
Causa mali tanti multos servata per annos:
Qualis gemma micat, fulvum quae dividit aurum,
Inter utramque viam talis se laeta ferebat;
Ac veluti Pariusve lapis circumdatur auro
Arte nova, tales virgo dabat ore colores,
Insignis facie, oculos deiecta decoros,
Uritur infelix subitoque accensa furore
Stare loco nescit. Quis enim modus adsit amori?
Nulla Venus, nulli quondam flexere hymenaei.

Solus hic inflexit sensus. Dum plurima volvit,
In partesque rapit varias, famulumne parentis
Audeat affari, quae prima exordia sumat.
Incipit effari mediaque in voce resistit.
Versanti potior vix haec sententia sedit.
Custodem ad sese per noctem plurima volvens
Intra tecta vocat, funditque has ore querelas:
Quis novus hic nostris successit sedibus hospes?
Ire iterum in lacrimas misera et tam dira cupido?
En quid ago, aut quamnam spondet fortuna salutem
Per tot ducta viros? qui nunc certamine tanto?
Umbrarum hic locus est, quo me decet usque teneri.
Respice ad haec, miserere animi non digna ferentis
Ora manusque ambas defunctaque corpora vita
Et funus lacerum, caput et sine nomine corpus
Argumentum ingens, currusque rotasque volucres.
Falle dolo, dolus an virtus quis in hoste requirat?
Accipe daque fidem. Media inter talia verba
Luctantem amplexu molli fovet, hoc decus illi
Venturum excidio, vana spe lusit amantem.
Tandem pauca refert; tuus, o regina, quid optes,
Explorare labor, vincant, quos vincere mavis.
Testor utrumque caput, mihi iussa capessere fas est.
Unum pro multis dabitur caput, atque ita fatur.
Ergo iussa parat spe multum captus inani,
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti.
Artificis scelus et taciti ventura videbant,
Unius in miseri exitium ventura sub axem.
Oceanum interea surgens Aurora relinquit,
Iam sole infuso magnae sub moenibus urbis.
Graecus erat fama multis memoratus in oris
Nec visu facilis nec dictu affabilis ulli.
Undique visendi studio turbante tumultu
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat puerique parentibus orbi
Et trepidae matres et lamentabile regnum
Flent moesti mussantque patres, hic cara sororum
Pectora moerentum, quibus est fortuna peracta.

Hos inter motus stat ductis sortibus urna.
Tunc loca sorte legunt. Extemplo arrectus uterque,
Stat sonipes ac frena ferox spumantia mandit.
Nec mora, continuo vasto certamine tendunt
Custodes lecti atque arrectis auribus adstant
Orantes veniam, certatur limine in ipso.
Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Discessere omnes medii, signoque repente,
Qua data porta, ruunt. sic densis ictibus heros
Stridore ingenti atque oculis vigilantibus exit,
Incumbens humero, sonitu quatit ungula campum.
Dant animos plagae pronique in verbera pendent
Pro se quisque viri, tunc caeco pulvere campus
Conditur in tenebras, qua proxima meta viarum,
Et longum superant flexu caecique furore.
Inter illis sedent vesano sanguine certant,
Regina e speculis miro properabat amore,
Omnia tuta timens, quamquam fors omnia versat,
Audit equos, audit strepitus, timet omnia secum,
Praescia venturi, sed spes incerta futuris.
Et proni dant lora, volat vi fervidus axis,
Liquitur in medioque ardentem deserit ictu,
Carpit enim vires et, haec ut cera liquescit,
Excoquitur vitium, tum nititur acer et instat.
Vertitur interea et scelus expendisse merentem
Matres atque viri vocesque ad sidera iactant.
Dum trahitur curruque haeret resupinus inani
Radit iter laevum interior, subitoque priorem
Praeterit et super haec inimico pectore fatur:
Istic nunc metuende iace, vetitosque hymenaeos
Sume, pater, frustraque animis elate superbis.
En, qui nostra sibi tot iam labentibus annis
Servabat senior, nostrasne evadere demens
Sperasti te posse manus Circensibus actis?
Hic tibi mortis erant metae, submitte furorem,
Qui iuvenum tibi semper erat, speravimus ista,
Et tandem laeti sociorum ulciscimur umbras.
Dixit et e curru saltum dedit, ocius omnes

Excipiunt plausu, coelum tonat omne tumultu,
Ipse etiam eximiae laudis cum virgine victor
Ibat ovans humeroque Pelops insignis eburno.
Tunc vero exarsit iuveni dolor ossibus ingens,
Olli (sensit enim simulata mente locutam)
Nec latuere doli, caput horum et causa malorum;
Tunc quassans caput haec effundit pectore dicta:
Me, adsum qui feci, merui nec deprecor, inquit,
Spargite me in fluctus. En! haec promissa fides est.
I nunc, ingratis offer te, invise, periclis:
His etiam instruxi manibus deceptus amore.
Nusquam tuta fides, varium et mutabile semper
Femina, sic fatus liquidas proiecit in undas
Aeternam moriens famam, quae maxima semper
Dicitur, aeternumque tenet per secula nomen.

1608.

Fragmentum.

Ipse manu patiens inmensa volumina versat,
Adtollitque globos, sonuerunt omnia plausu.
Tunc Cererem corruptam undis emittit ab alto,
Septem ingens giros, septena volumina traxit
Lubrica convolvens et torrida semper ab igni.
At rubicunda Ceres oleo perfusa nitescit.
Scintillae absistunt: opere omnis semita fervet,
Fervet opus redoletque, volat vapor ater ad auras.
Instant ardentes verubusque trementia figunt,
Conclamant rapiuntque focis onerantque canistris,
Undique conveniunt pueri innuptaeque puellae.

1609.

Alcesta.

Egregium forma iuvenem pactosque hymenaeos
Incipiam et prima repetens ab origine pergam,
Si qua fides, animum si veris inplet Apollo.

Iam gravior Pelias multis memoratus in oris
Rex erat et tantas servabat filia sedes.
Illam omnis tectis primaevo flore iuventus
Ardebat, sed res animos incognita turbat.
Iura dabat legesque viris, sub rupe leonem
Aut spumantis apri cursum qui foedere certo
Et premere, et laxas sciret dare iussus habenas.
Iamque aderat Phoebo ante alios dilectus amore.
Ipse inter primos caput obiectare periclis
Obtulerat fidens animi fretusque iuventa:
Ergo iugo parat multis comitantibus armis
Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum,
Atque hic exsultans animi patiensque pericli
Optat aprum aut fulvum descendere monte leonem.
Tunc breviter super adspectans sic voce precatur:
Sancte deum, summi custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, tua si mihi certa voluntas,
Ibo animis contra nec me labor iste gravabit,
Nec mora nec requies oranti et multa precanti.
Aethere se mittit auditque vocatus Apollo
Et iuveni ante oculos his se cum vocibus offert:
Incipe si quid habes, si tantum pectore robur
Concipis et si adeo dotalis regia cordi est,
Mecum erit iste labor, mitte hanc de pectore curam.
Per silvam tum saevus aper cum murmure montis,
Tum demum movet arma leo vastoque sub antro
Asper, acerba tuens vasta se mole ferebat
Excutiens cervice toros, ea frena furenti
Concutit et stimulos sub pectore vertit Apollo.
Dat iuveni et tenues fugit, ceu fumus, in auras.
Ille autem inpavidus et munere victor amici
Emicat in currum et manibus molitur habenas.
Ut ventum ad sedes, reddi sibi poscit honorem,
Adiungi generum miro properabat amore.
Tum sic mortales referebat pectore voces:
Non haec humanis opibus neque arte magistra
Accipio agnoscoque libens, tibi ducitur uxor,
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos

Exigat et possit parvos educere natos.
Haec ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto
Iam senior mediisque parant convivia tectis.
Interea magnum sol circumvolvitur annum,
Parcarumque dies et vis inimica propinquat
Egregium forma iuvenem iam morte sub aegra,
Iamque dies infanda aderat et tempora Parcae
Debita conplerant, crudeli morte sodalis.
Ut primum fari potuit crinitus Apollo,
Multa gemens casuque animum concussus amici
Ipsius ante oculos sic fatis ora resolvit:
Disce tuum, ne me incuses, volventibus annis
Advenisse diem, nam lux inimica propinquat.
Haec ubi deflevit, coeli cui sidera parent,
Tunc sic pauca refert fatis adductus iniquis:
Phoebe, tot incassum fusos patiere labores:
Nil nostri miserere, mori me denique cogis.
Eripe me his, invicte, malis, miserere tuorum,
Si qua fata sinant et eris mihi magnus Apollo.
Talibus oranti sic ore effatus amico est:
Desine fata deum flecti sperare precando,
Sed cape dicta memor, duri solatia casus:
Obiectare animam quemquam aut opponere morti
Fas et iura sinunt: prohibent nam cetera Parcae.
Audiat haec genitor, patet atri ianua Ditis,
Hactenus indulsisse vacat. Sic fatus Apollo
Mortales visus medio sermone reliquit.
Tunc vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstipuit, cui fata parent, quem poscat Apollo:
Ire ad conspectum cari genitoris et ora
Cogitur, et supplex animum tentare precando,
Multaque praeterea longaevo dicta parenti
Cum fletu precibusque tulit, ne vertere secum
Cuncta pater fatoque urgenti incumbere velit.
Ecce iterum stimulat, sed nullis ille movetur
Fletibus aut voces ullas tractabilis audit.
Tunc genitor natum dictis affatur amicis:
Non, ut rere, meas effugit nuntius aures,

Infelix causas nequidquam nectis inanes.
Hoc uno responso animum delusit Apollo,
Stat sua cuique dies, lacrimae volvuntur inanes.
Utere sorte tua, patet atri ianua Ditis.
Talia perstabat memorans fixusque manebat.
Egregia interea coniux in limine primo
Agnovit longe gemitus, praesaga mali mens,
Tunc sic pauca refert, quid o pulcherrime coniux!
Fare, age, quid venias, quae causa indigna serenos
Foedavit vultus? quae te fortuna fatigat?
Quaecumque est fortuna, mea est, sic talia fatur,
Demisit lacrimas, factoque hic fine quievit.
Ille autem gemitus imo de pectore ducens
Talia voce refert: quid me alta silentia cogis
Rumpere? et obductum verbis vulgare dolorem?
Eloquar an sileam? luctum ne quaere tuorum,
Vixi et quem dederat cursum fortuna, peregi.
Iamque dies, nisi fallor, adest, crinitus Apollo
Hos mihi praedixit luctus, pro nomine tanto
Obiectare animam, seu certae occumbere morti.
At regina gravi iam dudum saucia cura,
Tristior et lacrimis et pallida morte futura
Deficit ingenti luctu, miserabile visu!
Atque illum tales iactantem pectore curas,
Talibus effata est dictis, seque obtulit ultro
Decrevitque mori, breve et inreparabile tempus
Omnibus est vitae neque habet fortuna regressus.
Sed moriamur, ait, nihil est, quod dicta retractent
Concordes stabili fatorum numine Parcae.
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Est hic, est animus lucis contemtor, et istum
Qui vita bene credat emi, nova condere fata
Nec mortem horremus, sub terras ibit imago,
Si te fata vocant, in me mora non erit ulla.
Ergo aderat promissa dies lacrimansque gemensque
Debita conplerat pesti devota futurae,
Testatur moritura deos stratisque relictis
Incubuitque toro dixitque novissima verba:

O dulcis coniux, dum fata deusque sinebant,
Fortunati ambo, scirent si ignoscere Manes,
Te propter alia ex aliis in fata vocamur,
His lacrimis vitam damus et miserescimus ultro,
Quod te per superos et conscia numina veri,
Per connubia nostra, per inceptos hymenaeos
Adiuro et repetens iterumque iterumque monebo,
O dulcis coniux, castum servare cubile
Sis memor, (extremum hoc munus morientis habeto,
Si bene quid de te merui) lectumque iugalem,
Natis parce tuis. Sic, sic iuvat ire sub umbras
Hanc sine me spem ferre tui, audentior ibo,
Iussa mori feror ingenti circumdata nocte,
Haec sunt, quae nostra liceat te voce moneri,
I decus i nostrum, melioribus utere fatis.
Haec effata silet, pallor simul occupat ora,
Nam quia nec fato, ingeminat iam frigida cymba,
Sed misera ante diem, matrum de more locuta
Multa patri mandata dabat, solatia luctus.
Interea dulces pendent circum oscula nati,
Illa manu moriens humeros dextramque tenebat
Amborum et vultum; lacrimis ingressus obortis
O dolor atque decus magnum, sanctissima coniux,
Tu lacrimis evicta meis, per sidera iuro,
Per superos, haerent infixi pectore vultus,
Verbaque, per coeli iucundum lumen et auras,
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus
Oblitus fatorum manet alta mente repostum.
Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est,
Servati facimus, semper celebrabere donis;
Et cum frigida mors anima seduxerit artus,
Ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona,
Cui tantum de te licuit, neque enim ipsa feretur
Fama levis, tantive abolebit gratia facti.
Funeris heu tibi causa fui; quas dicere grates
Quasve referre parem fati sortisque futurae?
Aeternam moriens famam tam certa tulisti,
Contra ego vivendo vici mea fata superstes

Morte tua vivens. Media inter talia verba
Non lacrimis hoc tempus eget, Cyllenia proles,
Acceleremus ait: nos flendo ducimus horas.
Regina ut tectis venientem conspicit hostem,
Agnoscit lacrimans sua nunc promissa reposci.
Tempus ait Deus ecce deus! cui talia fanti
Dilapsus calor atque in ventos vita recessit.

1610.

Epistola Didonis ad Aeneam.

Praefatio.

Sic tua semper ames, quisquis pia vota requiris,
Nostra libenter habe: quid carminis otia ludant,
Cerne bonus, mentisque fidem probus incole iudex.
Dulce sonat, quod cantat amor: cui grata voluptas
Esse potest, modicum dignetur amore poetam.

Dido Aeneae.

Debuit ingrato nullam dictare salutem
Laesus amor, sed nulla iuvant convicia flentem;
Si modo flere vacet: nam me magis inproba mortis
Fata vocant. Troiane nocens, haec dona remittis?
Quamvis saepe gravi conponam carmine fletus,
Plus habet ipse dolor, nec conplent verba dolorem,
Quem sensus patientis habet, vel regna requiro,
Quae male victa dedi miseris circumdata fatis.
Pendet amore domus, castus dolor auget amorem.
Dum studet iratas animus celerare querelas,
Continuit dolor ipse manum nec plura loquentem
Passus amor, meritisque vias et verba ligavit.
Ah quoties revocata manus, dubiumque pependit,'
Quid factura fuit trepidanti pollice. Dextram,
Torpor et ira ligat, dum dura vocabula format,
Et minus explicitam condemnat litera vocem.
Torsit iter male tractus apex, dubiaque remissus
Mente pudor, dum verba notat, dum nomina mandat.

Flamma nocens, irata, ridens, penitusque cucurrit
Sopitus per membra calor, duroque medullas
Igne vorat. Nullus confessum culpet amantem.
Connubium tunc crimen erat, male credula votis
Cuncta dedi: (nec mira fides) sub lege mariti,
Cuius et ipsa fui: numquam nec conscia reddent
Vota fidem, si talis erit non digna marito.
Hanc reddis, Troiane, vicem? meus ista meretur
Affectus? non ille thorus, non conscia lecti
Sacramenta tenent? totum pro crimine perdi,
Quidquid amore dedi. Fatis licet, inprobe, tendas
Aemula regna meis, nihil est quod, perfide, iactes;
Fraude perit, non sorte fides, sed regna petebas
Debita, nec rerum poteras convincere sortem.
Si datur ire, placet. Nam quo fugis? unde recursus?
Vota nocentis habes. Nihil est, quod dura querelis
Verba fidemque voco; quisquis mea vulnera deflet,
Invidiam fecisse negent: trahit omnia casus.
Dum sortem natura rapit, sua taedia solus
Fallere nescit amor. Reparatum Cynthia format
Lucis honore iubar, curvatis cornubus arcus
Cum de fratre rubet; cessurus lege sorori
Consumit sua iura dies. Sic continet orbem,
Dum recipit natura vicem. Sua taedia solus
Fallere nescit amor. Mersum pallentibus umbris
Circumdat nox atra diem fruiturque tenebris
Lege poli, peraguntque micantia sidera cursus.
Navifragi tacet unda sali, nec murmurat auster,
Nec flexum quatit aura nemus. Sua taedia solus
Fallere nescit amor. Ramis male garrula pendens
Iam Philomela tacet, damno male victa pudoris:
Amplexuque fovens querulos sub culmine nidos
Pensat amore nefas, miserasque alitura querelas
Nocte premit, quod luce dolet. Sua taedia solus
Fallere nescit amor. Nunc iam bene iunctus amantem
Ardor alit, thalamique fidem sua pignora conplent.
Coniux laeta viro, felix uxore maritus.
Vota recenset amor secretaque dulcia, somnus

Concordat cum nocte torum. Sua taedia solus
Fallere nescit amor. Foecundo semine rerum
Mutat terra vices, autumni temporis auras
Laeta vocat, spisso revirescit gramine campus,
Et vitreas ligat herba comas, nec fallit aristas
Proventum meliore die. Sua taedia solus
Fallere nescit amor. Fessus iuga solvit arator,
Et noctem per vota capit, reparare labores
Novit grata quies, nec cessat reddere vires
Infusus per membra sopor, noctisque ministram
Ruricolis dat semper opem. Sua taedia solus
Fallere nescit amor. Reparant sua littora ponti
Successus post damna suos, perituraque ludunt
Incrementa maris dubii, regit aequora fluctus
Lite sua, vicibusque suis, quod deperit, auget.
Officiis natura vacat. Sua taedia solus
Fallere nescit amor. Gemmatis roscida visu
Rident prata rosis, et floribus arva tumescunt.
Pictus ager sub flore latet, dat fronte coronas
Lascivis natura rosis. Sua taedia solus
Fallere nescit amor. Nec grata silentia noctis,
Nec somni pia dona placent, nec munera lucis
Carpit et inducias fugientis non capit anni,
Sed sua victus amor tantummodo vulnera pascit
Inter mille dolos totidemque piacula fraudis.
Nota queror: vellem placidis peritura querelis
Flere domo, vellem tacitos profundere fletus.
Sed negat ipse dolor, quod iam pudor ante negavit.
Scribere iussit amor: miseram me, cuius honestam
Fecit culpa fidem; poteram dispergere ponto
Membra manusque tuas, miseramque tumentibus undis
Praecipitare diem, poteram crescentis Iuli
Rumpere fata manu, parvumque resolvere corpus
Morte gravi, mersumque in viscera figere ferrum,
Vel dare membra feris, sed nostro pectore pulsum
Crescit amore nefas, et honesta pericula passus
Corda ligavit amor. Quis tantum in hospite vellet
Hoc audere nefas? quis vota nocentis habere?

Nullus amor sub corde latet. Cui digna rependes,
Si mihi dura paras? miserandae fata Creusae
Lamentis gemituque trahens infanda peregit
Vota deis, durumque nefas sortemque malorum
Te narrante tuli gemitus mentisque dolorem
Et lacrimas prior ipsa dedi. Cui digna rependes,
Si mihi dura paras? Dulcis mea colla fovebat
Ascanius miserumque puer fovebat amorem.
Cui modo nostra fides amissam reddere matrem
Dum cupit, hoc verum mentito pignore nomen
Format amor, gemitusque graves atque oscula figit
Confessus pietate dolor. Cui digna rependes,
Si mihi dura paras? nostri modo litoris hospes
Nudos distuleras dispersa clade per undas
Naufragus, ut taceam classes, quascumque videbar
Inpendisse tibi; licet haec tibi cuncta fuissent,
Regna tamen Carthago dedit. Cui digna rependes,
Si mihi dura paras? Nihil est, quod dura reposcent.
Nec quidquam donasse velim, quod perdere possem.
Numquam damna volo, vel hoc mihi perfide redde,
Quod sibi debet amor, si nil pia facta merentur.
Esse deos natura docet, non esse timendos
Rerum facta probant. Quid enim non credere possum?
Tutus fraude manes, at nos pietate perimus.
Inprobe, dure, nocens, crudelis, perfide, fallax,
Officiis ingrate meis. Quid verba minantur?
Non odit, qui vota dolet, nec digna rependit
Quidquid laesa gemit: tibi me permissus habetur
Lege pudoris amor, cui tanta dedisse recusem,
Sceptra, domum, Tyrios, regnum, Carthaginis arces,
Et quidquid regnantis erat. De coniuge, fallax,
Non de iure queror, meritum si non habet ardor.
Sed quod hospes eras, nec te magis esse nocentem
Quam miserum, Troiane, puto, qui digna repellis,
Dum non digna cupis, nondum bene siccus ad aequor
Curris, et extremas modo naufragus arripis undas.
Tutior esse times, et honesta pericula nescis;
Cum mala vota cupis, solus tibi dura profecto

Damna paras, fugis, ecce fugis, nostrosque penates
Deseris, et miseram linquis Carthaginis aulam,
Quae tibi regna dedit, sacro diademate crines
Cinxit, et augustam gemmato sidere frontem
Conplevit, nostrumque tibi commisit amorem.
Nil, puto, maius habes et adhuc sine coniuge regnas,
Aeneas, ingrate, meus, regat ira dolenti
Consilium, sed praestat amor. Mea vulnera vellem
Fletibus augeri, sed iam discrimine mortis
Victa feror, neque enim tantus de funere luctus,
Quantus erit de fratre, licet simul inprobus, exul,
Et magis hospes eras, et ubique timendus haberis,
Vive tamen, nostrumque nefas post fata memento.

1611.

Thema Virgilianum. Nec tibi Diva parens etc.
(*Aen. IV.* 365.)

Dedecus o iuvenum turpisque infamia Teucrum!
Qui segnis per bella fores, gens perfida et amens,
Non virtute potens, non belli maximus auctor:
Ignavus tu semper eris, semperque fuisti
Naufragus atque miser segnisque in praelia ductor.
Nec non est aliud, quod maius crimen obibit,
Iamque tuo generi quod semper perfidus extas,
Non equidem miror. Non est ex tempore natum.
Antiquos imitaris avos periuria patrum.
Nec non et Veneris pulcra de stirpe crearis,
Nec pater Anchises vestraeque aut Dardanus auctor
Gentis, sed durae tigres lapidesque sinistri
Te genuere virum, silvae montesque profani,
Ubera quaeque tibi et potum admovere malignum,
Quae tibi perfidiam mixto cum lacte dederunt.

1612.

Thema Virgilianum. Turne, in te suprema salus etc.
(*A. XII.* 653.)

Turne, spes Italum, custos fortissime regni,
Si properes muros, arces civesque Latinos,
Non solitis urget Troianus viribus hostis,
Sed potiora premunt: quare nunc ignosce fugaci,
Nec pugnae inferior, nec belli cede relictor
Adserar armatus timendo praelia miles
Nec culpam nec crimen habet, nam bella minatus
Dum gerit Aeneas, reverendi fragor Olympi
Ex umbone tonat, coelestes concita flammas
Hasta iacit, oculis flatus ingerit ensis
Fulgura progeniesque dei testata vigorem
Numinis antiqui spoliavit fulmine coelum,
Et tulit arma Iovi, quod felix turba deorum
In saevos quondam potuit conferre Gigantas,
Aeneas nunc solus habet; urbisque ruinam
Saevo Marte parat, Italasque evertere turres,
Non ariete gravi, non torti turbine saxi
Disponit, spernit belli tormenta magister,
Et memor exitii Troiam sic esse sepultam,
Iamque faces, non tela iacit, scit quippe tyrannus
Iliacas sine face domos stetisse per aevum.
Eia age, curre puer, te mater rexque Latinus,
Turba senum lacrimans, Lavinia virgo requirit.

1613.

De alea.

Artis opisque tuae tua si mihi certa voluntas,
Expediam dictis, donum exitiale Minervae:
Tu vatem, tu, Diva, mone; nunc ipsa vocat res
Et furiis agitatus amor, protentus in octo
Ipse dies agitat festos pro nomine tanto,
Effera vis animi numeros et nomina fecit.
Ossa minutatim fundo volvuntur in imo,

Mille nocendi artes. Varium et mutabile semper
Artificis scelus atque inprovida pectora turbat.
Per varios casus levium spectacula rerum
Intenti ludo exercent, rapiuntque ruuntque
Incerti quo fata ferant, atque aere sonoro
Insanire libet. Duris dolor ossibus ardet.
Omnibus extemplo magnum dat ferre talentum
Qui vocat, arrectae mentes stupefactaque corda
Vota metu duplicant: tantae est victoria curae.
Ergo ubi delapsae missu premit agmine turba,
Consilium quaerens. Subitus tremor occupat artus.
Tunc certare odiis; multos alterna revisens
Ludit et in solido rursus fortuna locavit.
Aut doluit miserans inopem aut invidit habenti.
Multa viri nequidquam inter se vulnera iactant,
Et tenues rumpunt tunicas caecique furore
Hic metuunt, cupiuntque, dolent gaudentque, nec ultra.
Vidi oculos ante ipse meos me voce vocantem,
Contulimusque manus: experto credite, quantus
Corde dolor. Quid non mortalia pectora cogis!
Monstrum horrendum, ingens tot sese vertit in ora.
Tu potes unanimes armare in praelia fratres.
Aere renitenti de vita et sanguine certant.
Tunc duo Trinacrii iuvenes noctesque diesque
Intenti ludo exercent fulgentiaque aera
Accipiunt redduntque permittuntque omnia fatis.
Conveniunt, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humi facilem victum iustissima tellus,
Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
Considunt transtris, nati melioribus annis,
Multi praeterea, quos fama obscura recondit,
Stant circum.
Tum vero ad vocem celeres miserum inter amorem
Ludunt, et in medium quaesita reponunt.
Pro se quisque viri summa nituntur opum vi.
Nec mora, missus adest fati sortisque futurae.
Scinditur incertum studia in contraria vulgus.
Hinc atque hinc ardent animi, vox omnibus una est.

Et quamvis socium certent superare priorem,
Ima petunt, quamvis facilis datur exitus inde.
Praecipites pariterque ruunt, non deficit alter.
Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti,
Quae loca, quive habeant homines, ubi sistere detur.
In summo collem, qui plurimus, alter ab illo
Est locus, hunc iuxta sequitur, quis deinde sub ipso
Hic locus est partis semper sublimis ab illo.
Quinque tenent ebuli baccis minioque rubentem.
Terna tibi haec primum fundo volvuntur in imo.
Nunc age, quos ipsa viam sibi reperit usus
Triginta magnos adversosque orbibus orbes
Eloquar vel prima levium spectacula rerum,
Mores et studia et populum et praelia victus
Expediam, sed summa sequar vestigia rerum.
Primus habet, capit ante locum, fremituque secundo
Prima tenens animi risuque soluto
Voce vocant.
Tunc vero in curas animos diducitur omnis
Quem petis, obtutuque haeret defixus in uno,
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
Spemque metumque inter, secumque ita corde volutat.
Ut primum discussae umbrae et lux reddita menti,
Sortitus Fortunam oculis, sic incipit ore.
Quae nunc deinde mora est, veniam quocumque vocaris,
Quin age, si qua animo virtus, et consere dextram,
Efficiam posthac, ne quemquam voce lacessas.
Dixit atque cum magna ter voce vocavit,
Terque quaterque simul vox ingeminata remugit,
Tunc variae comitum facies et pallor in ore,
Nunc victi tristes, nil magnae laudis egentes,
Deponunt animos, et inania murmura miscent.
Quondam etiam victis redit in praecordia virtus,
Victoresque cadunt, quoniam fors omnia versat.
Hic victor superans reddi sibi poscit honorem,
Talia vociferans: da, non indebita posco.
Quin age, si quid habes, quo me decet usque teneri.
Clamat.

Tunc vero victus socios simul increpat omnes,
Nomine quemque vocans, illi obstipuere silentes,
Non ipsi inter se sortem miserantur iniquam,
Sed graviter vario noctem sermone requirunt.
Visceribus miserorum atque inter pocula laeti
Cantantes, laetique animos convivia curant.
Ecce autem elapsus genitor, quem miserat urgens
Unus natorum, longo post tempore venit.
Hos aditus iamque hos aditus omnemque pererrat
Undique circuitum aditumque per avia quaerit.
Verum ubi nulla datur dextra exsuperare potestas,
Constitit in digitos, sed toto vertice supra
Obnixus latis humeris et pectore duro
Et super incumbens, furiis accensus et ira
Talia voce refert.
Quo, moriture, ruis, quae te dementia ducit,
Cede locis.
Talia fatus erat, pressoque obmutuit ore.
Ille autem, cui fata parent, et Iupiter hostis
Deserit conversa numine sedent.
Postquam illum vita victor spoliavit et auro,
Tunc vero ardentes oculi atque adtractus ab alto
Spiritus interdum gemitu, furor iraque mentem
Praecipitat, maestis late loca questibus inplet.
Multa gemens animo retinens; plagasque superbi
Victoris caput glauco velatus amictu
Et pariter sua rursusque ad limina tendit,.
Ardua tecta petit, irasque ad limina nota
Victus agit, guttisque humectat grandibus ora.

1614.

Pentadii

Epitaphium Achillis.

Pelides ego sum, Thetidis notissima proles,
Cui virtus clarum nomen habere dedit,
Qui stravi totiens armis victricibus hostes,
Inque fugam solus millia multa dedi.

Hectore sed magno summa est mihi gloria caeso,
Qui saepe Argolicas debilitavit opes.
Ille Menoetiadae solvit me vindice poenas:
Pergama tunc ferro succûbuere meo.
Laudibus immensis victor super astra ferebar,
Cum pressi hostilem fraude peremptus humum.

1615.

Hoc ego sum tumulo Marcianus redditus aevo.
Nondum Persephones sperabam visere regna.
Consulibus tunc natus eram iteroque Severo
Et Fulvo pariter. Quo coepi dulcis haberi,
Sextus ut excessit, coepi languescere in annum.
Apstulit o saeva lux nona parentibus orta
Planctibus heu miserae matris patrisque simitu.
Spes mihi quam magna fuerat, si me mea fata tulissent.
Musae mihi dederant puero, facundus ut essem.
Invidit Lachesis, Clotho me saeva necavit,
Tertia nec passa est pietate rependere matri.
Quam pie, quam crebre venit, sacra via tota
Flevit et immensa turba funusque secuta
Dixerunt ferale diem stationibus atris,
Quod tenerae aetati spes fallax apstulit annos;
Nec non omnigena passim vicinia venit,
Ut mecum florem fato moriente viderent.
Tu reddas aeterne piis solacia semper,
Et vitam serves cunctis generisque piorum.

1615. *a*

Petronii.

Tales Herculea Stymphalidas arte coactas
Ad coelum fugisse reor, sanieque fluentes
Harpyias, cum Phineo maduere veneno
Fallaces epulae. Tremuit perterritus aether
Planctibus insolitis, confusaque regia coeli
Visa suas moto transcurrere cardine metas.

Catalecta veterum poetarum in Priapum.

1616.

Praefatio ad lectorem.

Carminis incomti lusus lecture procaces,
Conveniens Latio pone supercilium.
Non soror hoc habitat Phoebi, non Vesta sacello,
Nec quae de patrio vertice nata dea est,
Sed ruber hortorum custos, membrosior aequo,
Qui tectum nullis vestibus inguen habet.
Aut igitur tunicam parti praetende tegendae,
Aut quibus hanc oculis perspicis, ista lege.

1617.

Excusatio poetae ad Priapum.

Ludens haec ego teste te, Priape,
Horto carmina digna, non libello
Scripsi non nimium laboriose.
Nec Musas tamen, ut solent poetae,
Ad non virgineum locum vocavi:
Nam sensus mihi corque defuisset,
Castas, Pieridum chorum, sorores
Auso ducere mentulam ad Priapi.
Ergo quidquid id est, quod otiosus
Templi parietibus tui notavi,
In partem accipias bonam, rogamus.

1618.

Ovidii

Priapus ad quendam puerum.

Obscure poteram tibi dicere, Da mihi, quod tu
Des licet adsidue: nil tamen inde perit.
Da mihi, quod cupies frustra dare forsitan olim,
Cum teget obsessas invida barba genas,
Quodque Iovi dederat, qui raptus ab alite sacra
Miscet amatori pocula grata suo;

Quod virgo prima cupido dat nocte marito,
Dum timet alterius vulnus inepta loci.
Simplicius multo est, da paedicare, latine
Dicere. Quid faciam? crassa Minerva mea est.

1619.

Deprecatio Lalagae dicantis Priapo.

Obscoenas rigido deo tabellas
Dicans ex Elephantidos libellis
Dat donum Lalage, rogatque, tentes,
Si pictas opus edat ad figuras.

1620.

Lex Priapi dicta puero.

Quam puero legem fertur dixisse Priapus,
Versibus hic infra scripta duobus erit.
Quod meus hortus habet, sumas inpune licebit;
Si dederis nobis, quod tuus hortus habet.

1621.

Comminatio Priapi ad puellam.

Quod sum ligneus, ut vides, Priapus
Et falx lignea ligneusque penis,
Prendam te tamen et tenebo prensam,
Totamque hanc sine fraude, quantacumque est,
Tormento citharaque tensiorem
Ad costam tibi septimam recondam.

1622.

Cum loquor, una mihi peccatur litera: nam te
Paedico semper, blaesaque lingua mea est.

1623.

Priapus ad matronas castas.

Matronae procul hinc abite castae:
Turpe est vos legere inpudica verba.
Non assis faciunt euntque recta.
Nimirum sapiunt videntque magnam
Matronae quoque mentulam libenter.

1624.

Responsio Priapi, quare obscena pars ei sit sine veste.

Cur obscena mihi pars sit sine veste, requiris.
Quaero, tegat nullus cur sua tela deus?
Fulmen habet mundi dominus; tenet illud aperte:
Nec datur aequoreo fuscina tecta deo.
Nec Mavors illum, per quem valet, occulit ensem,
Nec latet in tepido Palladis hasta sinu.
Num pudet auratas Phoebum portare sagittas?
Clamve solet pharetram ferre Diana suam?
Num tegit Alcides nodosae robora clavae?
Sub tunica virgam num deus ales habet?
Quis Bacchum gracili vestem praetendere thyrso,
Quis te celata cum face vidit, Amor?
Nec mihi sit crimen, quod mentula semper aperta est:
Hoc mihi si telum desit, inermis ero.

1625.

Ad puellam Priapum inridentem.

Insulsissima quid puella rides?
Non me Praxiteles Scopasve fecit,
Nec sum Phidiaca manu politus,
Sed lignum rude villicus dolavit
Et dixit mihi: tu Priapus esto!
Spectas me tamen et subinde rides;
Nimirum tibi salsa res videtur,
Adstans inguinibus columna nostris.

1626.

Priapus ad puerum quendam.

Ne prensere cave. Prenso nec fuste nocebo,
Saeva nec incurva vulnera falce dabo,
Traiectus conto sic extendere pedali,
Ut culum rugas non habuisse putes.

1627.

Deprecatio cuiusdam anus ad Priapum.

Quaedam haud iunior Hectoris parente
Cumaeae soror, ut puto, Sibyllae,
Aequalis tibi, quam domum revertens
Theseus reperit in rogo iacentem,
Infirmo solet huc gradu venire,
Rugosasque manus ad astra tollens,
Ne desit sibi, mentulam rogare.
Hesterna quoque luce dum precatur,
Dentem de tribus exscreavit unum.
Tolle, inquam, procul, ac iube latere
Scissa sub tunica stolaque rufa,
Ut semper solet, et timere lucem,
Qui tanto patet indecens hiatu,
Barbato macer eminente naso,
Ut credas Epicuron oscitari.

1628.

Monitio Priapi facta puero et puellae.

Praecidere puer, moneo; futuere, puella,
Barbatum furem tertia poena manet.

1629.

Licentia introeundi ad Priapum.

Huc huc, quisquis es, in dei salacis
Deverti grave ne puta sacellum.

Et si nocte fuit puella tecum,
Hac re quod metuas adire, non est.
Istuc coelitibus datur severis:
Nos vappae sumus et pusilla culti
Ruris numina, nos pudore pulso
Stamus sub Iove coleis apertis.
Ergo quilibet huc licebit intret,
Nigra fornicis oblitus favilla.

1630.

Comminatio Priapi ad eos, qui turbabunt agellum sibi commissum.

Commisso mihi non satis modestas
Quicumque adtulerit manus agello,
Is me sentiet esse non spadonem
Hic inter frutices loco remoto.
Dicat forsitan haec sibi ipse: nemo
Praecisum sciet esse me: sed errat.
Magnis testibus ista res agetur.

1631.

Comparatio pulchritudinis pomorum oblatorum Priapo.

Qualibus Hippomenes rapuit Schoeneida pomis,
  Qualibus Hesperidum nobilis hortus erat,
Qualia credibile est spatiantem rure paterno
  Nausicaam pleno saepe tulisse sinu,
Quale fuit malum, quod litera pinxit Aconti,
  Qua lecta cupido pacta puella viro est:
Talia quinque puer dominus florentis agelli
  Inposuit mensae, nude Priape, tuae.

1632.

Reprehensio Priapi in circitores.

Quid mecum tibi, circitor moleste?
Ad me quid prohibes venire furem?
Accedat sine: laxior redibit.

1633.

Commoditas penis Priapi.

Commoditas haec est in nostro maxima pene,
Laxa quod esse mihi femina nulla potest.

1634.

Ad Priapum de quadam circulatrice.

Ecquando Telethusa circulatrix,
Quae clunem tunica tegente nulla
Extis aptius altiusque motat,
Crissabit tibi fluctuante lumbo,
Sic ut non modo te, Priape, posset,
Privignum quoque sed movere Phaedrae?

1635.

Priapus, quod mentula facit eum terribilem.

Fulmina sub Iove sunt, Neptuni fuscina telum,
Ense potens Mars est, hasta, Minerva, tua est.
Sutilibus Liber committit praelia thyrsis,
Fertur Apollinea missa sagitta manu.
Herculis armata est invicti dextera clava,
At me terribilem mentula tenta facit.

1636.

Quidam ad Priapum.

Copia me perdit; tu suffragare rogatus,
Indicio nec me prode, Priape, tuo.
Quaeque tibi posui tamquam vernacula poma,
De Sacra nulli dixeris esse via.

1637.

Priapus inponit hic poenam furibus.

Femina si furtum faciet mihi virque puerque
Haec cunnum, caput hic, praebeat ille nates.

1638.

Priapus contra fures.

Quicumque hic violam rosamve carpet
Furtivumve olus aut inempta poma,
Defectus pueroque feminaque
Hac tentigine, quam videtis in me,
Rumpatur precor usque, mentulaque
Nequidquam sibi pulset umbilicum.

1639.

Priapus ad fures.

Hic me custodem fecundi villicus horti
  Mandati curam iussit habere loci.
Fur habeas poenam, licet indignere, feramque
  Propter olus, dicas, hoc ego? Propter olus.

1640.

Priapus ad eosdem.

Hoc sceptrum, quod, ab arbore ut recisum est,
Nulla iam poterit virere fronde,
Sceptrum, quod pathicae petunt puellae,
Quod quidam cupiunt tenere reges,
Cui dant oscula nobiles cinaedi,
Intra viscera furis ibit usque
Ad pubem capulumque coleorum.

1641.

Priapus ad Romanos.

Porro (nam quis erit modus) Quirites!
Aut praecidite seminale membrum,
Quod totis mihi noctibus fatigant
Vicinae sine fine prurientes,
Vernis passeribus salaciores,
Aut rumpar: nec habebitis Priapum.

Ipsi cernitis, exfututus ut sim
Confectusque macerque pallidusque,
Qui quondam ruber et valens solebam
Fures caedere quamlibet valentes.
Defecit latus et periculosam
Cum tussi miser exspuo salivam.

1642.

Quaedam orans Priapum sibi dicando.

Deliciae populi, magno notissima Circo
  Quintia, vibratas docta movere nates,
Cymbala cum crotalis, pruriginis arma, Priapo
  Ponit et adducta tympana pulsa manu.
Pro quibus, ut semper placeat spectantibus, orat,
  Tentaque ad exemplum sit sua turba dei.

1643.

Priapus ad quendam.

Tu, qui non bene cogitas, et aegre
Carpendo tibi temperas ab horto,
Paedicabere fascino pedali.
Quod si tam gravis et molesta poena
Non profecerit, altiora tangam.

1644.

Quaedam mulier ad Priapum.

Obscoenis, peream, Priape, si non
Uti me pudet inprobisque verbis:
Sed cum tu posito deus pudore
Ostendas mihi coleos patentes,
Cum cunno mihi mentula est vocanda.

1645.

Quidam petens a Priapo iter ad fontem.

Falce minax et parte tui maiore, Priape,
  Ad fontem, quaeso, dic mihi, qua sit iter?

Vade per has vites: quarum si carpseris uvas,
Quas aliter sumas, hospes, habebis aquas.

1646.

Priapus ad quandam.

Donec proterva nil mei manu carpes,
Licebit ipsa sis pudicior Vesta;
Sin, haec mei te ventris arma laxabunt,
Exire ut ipsa de tuo queas culo.

1647.

Priapus ad puellam deformem.

Uvis aridior puella passis
Buxo pallidior novaque cera,
Collatas sibi quae suisque membris
Formicas facit altiles videri,
Cuius viscera non aperta Tuscus
Per pellem poterit videre haruspex,
Quae suco caret atque putris pumex,
Nemo viderit hanc ut exspuentem,
Quam pro sanguine pulverem scobemque
In venis medici putant habere,
Ad me nocte solet venire et adfert
Pallorem maciemque larvialem.
Ductor ferreus insularis aeque
Laternae videor fricare cornu.

1648.

Naïdas antiqui Dryadasque habuere Priapi,
Et quo tenta dei vena subiret, erat:
Nunc adeo nihil est, adeo mea plena libido,
Ut Nymphas omnes interiisse putem.
Turpe quidem fatu, sed, ne tentigine rumpar,
Falce manu posita fiet amica manus.

1649.

Cum sacrum fieret deo salaci,
Conducta est pretio puella parvo,
Communis satis omnibus futura,
Quae quot nocte viros peregit una,
Tot verpas tibi dedicat salignas.

1650.

Priapus ad furem.

Paedicabere, fur, semel, sed idem,
Si prensus fueris bis, irrumabo.
Quod si tertia furta molieris,
Ut poenam patiare et hanc et illam,
Paedicaberis irrumaberisque.

1651.

Priapus de formis corporum.

Notas habemus quisque corporis formas.
Phoebus comosus, Hercules lacertosus.
Trahit figuram virginis tener Bacchus.
Minerva flavo lumine est, Venus paeto,
Frontem comatos Arcadas vides Faunos,
Habet decentes nuntius deum plantas,
Tutela Lemni dispares movet gressus,
Intonsa semper Aesculapio barba est,
Nemo est feroci pectorosior Marte.
Quod si quis inter hos locus mihi restat,
Deus Priapo mentulatior non est.

1652.

Responsio cuiusdam requisiti, cur in tabella sit pictum praepucium.

Cur pictum memori sit in tabella
Membrum, quaeritis, unde procreamur.
Cum penis mihi forte laesus esset,

Chirurgique manum miser timerem,
Dis me legitimis nimisque magnis,
Ut Phoebo puta filioque Phoebi,
Curatum dare mentulam verebar.
Huic, dixi, fer opem, Priape, parti,
Cuius tu, pater, ipse par videris:
Qua salva sine sectione facta
Ponetur tibi picta, quam levaris,
Compar consimilisque concolorque.
Promisit fore, mentulamque movit
Pro nutu deus, et rogata fecit.

1653.

Priapus ad quendam volentem poma decerpere.

Simpliciter tibi me, quodcumque est, dicere oportet,
Natura est quoniam semper aperta mihi.
Paedicare volo, tu vis decerpere poma:
Quod peto, si dederis, quod petis, accipies.

1654.

Priapus ad puellas.

Forma Mercurius potest placere,
Forma conspiciendus est Apollo,
Formosus quoque pingitur Lyaeus,
Formosissimus omnium est Cupido.
Me pulcra fateor carere forma,
Verum mentula luculenta nostra est.
Hanc mavult sibi quam deos priores,
Si qua est non fatui puella cunni.

1655.

Ad quandam puellam cingentem penem Priapi.

Nota Suburanas inter Telethusa puellas,
Quae, puto, de quaestu libera facta suo est,
Cingit inaurata penem tibi, sancte, corona:
Hunc pathicae summi numinis instar habent.

1656.

Priapus ad euntes ad eum.

Quisquis venerit huc, poeta fiat,
Et versus mihi dedicet iocosos.
Qui non fecerit, inter eruditos
Ficosissimus ambulet poetas.

1657.

Villicus dicans Priapo cerea poma.

Laetus Aristagoras natis bene villicus uvis
De cera facili dat tibi poma, deus.
At tu sacrati contentus imagine pomi
Fac veros fructus ille, Priape, ferat.

1658.

Priapus ad quosdam putantes eum dicere verba ioco.

Nolite omnia, quae loquor, putare
Per lusum mihi per iocumque dici.
Deprensos ego ter quaterque fures
Omnes, ne dubitetis, irrumabo.

1659.

Priapus ad quendam dicentem, quid velit eius hasta.

Velle quid hanc dicas, quamvis sim ligneus, hastam,
Oscula dat medio si qua puella mihi.
Augure non opus est: in me, mihi credite, dixit,
Utetur veris usibus hasta rudis.

1660.

Priapus ad quendam ustulantem caput ferro.

Cum quendam rigidus deus videret
Ferventi caput ustulare ferro,
Ut Maurae similis foret puellae,
Heus, inquit, tibi dicimus, cinaede:

Uras te licet usque torqueasque,
Num tandem prior est puella, quaeso,
Quam sunt, mentula quos habet, capilli?

1661.

Priapus ad puellam quandam deformem.

O non candidior puella Mauro,
Sed morbosior omnibus cinaedis,
Pygmaeo brevior gruem timenti,
Ursis asperior pilosiorque,
Medis laxior Indicisque braccis,
Mantes hic licet, — ut libenter ires!
Nam quamvis videar satis paratus,
Erucarum opus est decem maniplis,
Fossas inguinis ut teram dolemque
Cunni vermiculos scaturientes.

1662.

Priapus ad venientes ad eius coenas.

Quicumque vestrum, qui venitis ad coenam,
Libare nullos sustinet mihi versus,
Illius uxor aut amica rivalem
Lasciviendo languidum, precor, reddat:
Et ipse longa nocte dormiat solus,
Libidinosis incitatus erucis.

1663.

Priapus ad quosdam respicientes eius mentulam.

Quod partem madidam mei videtis,
Per quam significor Priapus esse:
Non ros est, mihi crede, nec pruina,
Sed quod sponte sua solet remitti,
Cum mens est pathicae memor puellae.

1664.

Priapus ad respicientes eius carmina.

Tu quicumque vides circa tectoria nostra
Non nimium casti carmina plena ioci,
Versibus obscoenis offendi desine: non est
Mentula subducti nostra supercilii.

1665.

Priapus ad quandam puellam.

Quaedam, si placet hoc tibi, Priape,
Ficosissima me puella ludit,
Et non dat mihi, nec negat daturam,
Causasque invenit usque differendi.
Quae si contigerit fruenda nobis,
Totam cum paribus, Priape, nostris
Cingemus tibi mentulam coronis.

1666.

Priapus ad fures.

Quid hoc negoti est, quave suspicer causa,
Venire in hortum plurimos meum fures,
Cum, quisquis in nos incidit, luat poenas,
Et usque curvos excavetur ad lumbos?
Non ficus hic est praeferenda vicinae,
Uvaeque, quales flava legit Arete,
Non mala, truncis adserenda Picenis,
Pirumve, tanto quod periculo captes,
Magisque cera luteum nova prunum
Sorbumve, ventres lubricos moraturum.
Praesigne rami nec mei ferunt morum
Nucemve longam, quam vocant Avellanam,
Amygdalumve flore purpureo fulgens.
Non brassicarum fero gulosior caules
Betasve, quantas hortus educat nullus,
Crescensve semper in suum caput porrum.

Nec seminosas ad cucurbitas quemquam
Ad ocymumque cucumeresve humi fusos
Venire credo sessilesve lactucas,
Nec ut salaces nocte tollat erucas
mentamque olentem cum salubribus rutis
Acresque cepas alliumque fibratum.
Quae cuncta, nostro ut ambiamus in septo,
Non pauciora proximi ferunt horti.
Quibus relictis in mihi laboratum
Locum venitis, inprobissimi fures.
Nimirum apertam convolatis ad poenam,
Et vos hoc ipsum, quod minamur, invitat.

1667.

Priapus ad quendam furantem hortum.

Heus tu, non bene qui manum rapacem
Mandato mihi contines ab horto,
Iam primum stator hic libidinosus
Alternis ineundo et exeundo
Porta te faciet patentiorem.
Accedent duo, qui latus tuentur,
Pulcre pensilibus peculiati.
Qui cum te male foderint iacentem,
Ad partem veniet salax asellus
Nihilo deterius mutoniatus.
Quare, qui sapiet, malum cavebit,
Cum tantum sciet esse mentularum.

1668.

Quidam deprecans Priapum.

Contentus modico Bacchus solet esse racemo,
Cum capiant alti vix cita musta lacus;
Magnaque fecundis cum messibus area desit,
In Cereris crines una corona datur.
Tu quoque, dive minor, maiorum exempla secutus,
Quamvis pauca damus, consule poma boni.

1669.

Forma pingendi Priapum.

E D si scribas temonemque insuper addas,
Qui medium D vult scindere, pictus erit.

1670.

Lamentatio Priapi, cur fures sibi subripuere falces.

Credere quis posset, falcem quoque (turpe fateri!)
De digitis fures subripuisse meis?
Nec movet amissi tam me iactura pudorque,
Quam praebent veros altera tela motus.
Quae si perdidero, patria multabor, et olim
Ille tuus civis, Lampsace, Gallus ero.

1671.

Priapus ad quendam furem ipsum deridentem.

Derides quoque, fur, et inpudicum
Ostendis digitum mihi minanti.
Heu heu me miserum! quod ista lignum est,
Quae me terribilem facit videri.
Mandabo domino tamen salaci,
Ut pro me velit irrumare fures.

1672.

De quadam anu rogante Priapum.

Cornix et caries vetusque bustum,
Turba et putrida facta secutorum,
Quae forsan potuisset esse nutrix
Tithoni Priamique Nestorisque,
Illis ni pueris anus fuisset,
Ne desit sibi, me rogat, fututor.
Quid si nunc roget, ut puella fiat?
[Si nummos tamen haec habet, puella est.]

1673.

Quicumque fur fefellerit fidem nostram,
Effeminato marceat procul culo;
Quaeque haec proterva carpserit manu poma
Puella, nullum invenerit, fututorem.

1674.

Priapus ad fures.

Praedictum tibi, ne negare possis,
Si fur veneris, inpudicus ibis.

1675.

Si, quot habes versus, tot haberes poma, Priape,
Esses antiquo ditior Alcinoo.

1676.

Priapus ad quendam colonum.

Quid frustra quereris, colone, mecum,
Quod quondam bene fructuosa malus
Autumnis sterilis duobus adstem?
Non me praegravat, ut putas, senectus,
Nec sum grandine verberata dura,
Nec gemmas modo germine exeuntes
Seri frigoris ustulavit aura.
Nec venti pluviaeve siccitasve,
Quod de se quererer, malum dederunt.
Non sturnus mihi graculusve raptor
Aut cornix anus aut aquosus anser,
Aut corvus nocuit siticulosus:
Sed quod carmina pessimi poetae
Ramis sustineo laboriosis.

1677.

Priapus ad canes.

Securi dormite canes: custodiet hortum
Cum sibi dilecta Sirius Erigone.

1678.

Parum est, mihi fixi quod hic miser sedem,
Agente terra per caniculam rimas
Siticulosam sustinens diu aestatem.
Parum, quod imos perfluunt sinus imbres,
Et in capillos grandines cadunt nostros
Rigetque duro barba vincta crystallo;
Parum, quod acta sub laboribus luce
Parem diebus pervigil traho noctem.
Huc adde, quod me terribilem deum fuste
Manus sine arte rusticae dolaverunt,
Interque cunctos ultimum deos numen
Cucurbitarum ligneus vocor custos.
Accedit istis inpudentiae signum,
Libidinoso tenta pyramis nervo.
Ad hanc puella, paene nomen adieci,
Solet venire cum suo fututore.
Quo tot figuras, quot Philaenis enarrat,
Non admovente pruriosa discedit.

1679.

Priapus de quodam fure.

Quidam mollior anseris medulla
Furatum venit huc amore poenae.
Furetur licet usque: non videbo.

1680.

Quaedam litans Priapo.

Hic tibi, qui rostro crescentia lilia mersit,
  Caeditur e tepida victima porcus hara.
Ne tamen exanimum facias pecus omne, Priape,
  Horti sit facias ianua clausa tui.

1681.

Priapus ad quandam pudicam.

Tu, quae, ne videas notam virilem,
Hinc averteris, ut decet pudicam,

Nimirum nisi, quod times videre,
Intra viscera habere concupiscis.

1682.

Priapus ad fures.

*P*enelopes primam *D*idus fac prima sequatur
Et primam *C*admi syllaba prima *R*emi,
Quodcumque ex illis fit, tu deprensus in horto
Fur dabis: hac poena culpa luenda tua est.

1683.

Priapus ad rusticum quendam.

Rusticus indocte si quid dixisse videbor,
Da veniam: libros non lego, poma lego.
Sed rudis hic dominum toties audire legentem
Cogor, Homereas edidicique notas.
Ille vocat, quod nos psolon, *ψολόεντα κεραυνόν,*
Id, quod nos culum, *κουλεόν* ille vocat;
Σμερδαλέον certe nisi res non munda vocatur
Et paediconum mentula smerdalea est.
Quid? nisi Taenareo placuisset Troica cunno
Mentula, quod caneret, non habuisset opus.
Mentula Tantalidae bene si non nota fuisset,
Nil, senior Chryses quod quereretur, erat.
Haec eadem socium tenera spoliavit amica,
Quaeque erat Aeacidae, maluit esse suam.
Ille Pelethroniam cecinit miserabile carmen
Ad citharam; cithara tensior ipse sua.
Nobilis hinc nota nempe incipit Ilias ira:
Principium sacri carminis illa fuit.
Altera materia est error fallentis Ulixi:
Si verum quaeras, hunc quoque movit amor.
Hinc legitur radix, de qua flos aureus exit,
Quem cum *μῶλυ* vocat, mentula *μῶλυ* fuit.
Hinc legimus Circen Atlantiadenque Calypso
Grandia Dulichii vasa petisse viri,

Huius et Alcinoi mirata est filia membrum
Frondenti ramo vix potuisse tegi.
Ad vetulam tamen ille suam properabat, et omnis
Mens erat in cunno, Penelopea, tuo,
Quae sic casta manes, ut iam convivia quaeras,
Atque fututorum sit tua plena domus.
E quibus ut scires, quicumque valentior esset,
Haec es ad arrectos verba locuta procos:
Nemo meo melius nervum tendebat Ulixe,
Sive fuit laterum, seu fuit artis opus.
Qui quoniam periit, vos nunc intendite, qualem
Esse virum sciero, vir sit ut ille meus.
Hac ego, Penelope, potui tibi lege placere:
Illo sed nondum tempore factus eram.

1684.

Priapus ad quendam furem.

Cum fici tibi suavitas subibit,
Et iam porrigere huc manum libebit,
Ad me respice fur et aestimato,
Quot pondo tibi mentula est cacanda.

1685.

Illusit mihi pauper inquilinus,
Qui libum dederat molamque fusam;
Quare partibus additis in ignem
Sacro protinus hinc abit peracto.
Vicini canis huc subinde venit,
Nidorem, puto, prosecuta fumi,
Quae libamine mentulae comeso
Tota nocte mihi litat rigendo.
At vos amplius hoc loco cavete
Quidquam ponere, ne famelicorum
Ad me turba velit canum venire,
Ne, dum me colitis meumque numen,
Custodes habeatis irrumatos.

1686.

Priapus ad quendam volentem capere poma.

Si commissa meae carpes pomaria curae,
Dulcia quid doleam perdere, doctus eris.

1687.

Ad Priapum quod minctur furibus.

Cura, Priape diligens, pomarium:
Furi rubricato minare mutino.

1688.

Priapus ad fures.

Quod movear, non est, quia, si furaberis ipse
Grandia mala, tibi braccica mala dabo.

1689.

Priapus in pathicas puellas.

Obliquis pathicae quid me spectatis ocellis?
Non stat in inguinibus mentula tenta meis.
Quae tamen exanimis nunc est et inutile lignum,
Utilis haec, aram si dederitis, erit.
Per medios ibit pueros mediasque puellas
Mentula, barbatis non nisi summa petet.

1690.

Priapus enarrat loca sacrata diis atque deabus.

Dodone tibi, Iupiter, sacrata est,
Iunoni Samos et Mycena, Diti
Undae et Taenaros aequorisque regi.
Pallas Cecropias tuetur arces,
Delphos Pythius orbis umbilicum,
Creten Delia Cynthiosque colles,
Faunus Maenalon Arcadumque silvas.
Est tutela Rhodos beata Solis,
Gades Herculis humidumque Tibur.
Cyllene celeri deo nivosa,

Tardo gratior aestuosa Lemnos.
Ennaeae Cererem nurus frequentant,
Raptam Cyzicos ostreosa divam,
Formosam Venerem Cnidos Paphosque.
Mortales tibi Lampsacum dicarunt.

1691.

Priapus dicit de sua potentia.

Quod sim iam senior meumque canis
Cum barba caput albicet capillis,
Deprensos ego perforare possum
Tithonum Priamumque Nestoremque.
Immanem stomachum mihi videtis,
Qui densam facitis subinde sepem,
Et fures prohibetis huc adire.
Hoc est laedere, dum iuvatis; hoc est
Non admittere ad aucupem volucres.
Obstructa est via, nec licet iacenti
Iactura natis expiare culpam.
Ergo qui prius usque et usque et usque
Furum scindere podices solebam,
Per noctes aliquot diesque cesso.
Poenas do quoque, quod satis superque est,
In semenque abeo, salaxque quondam
Non vitam perago. Quis hoc putaret,
Ut lusu citharoedus abstinerem?
At vos, ne peream situ senili,
Quaeso, desinite esse diligentes,
Neve inponite fibulam Priapo.

1692.

At di deaeque dentibus tuis escas
Negent amicas, cunnilinge vicine,
Per quem puella fortis ante, nec mendax
Et quae solebat inpigro celer passu
Ad nos venire, nunc misella Landace
Vix posse iurat ambulare prae fossis.

1693.

Priape, quod sis fascino gravis tento,
Quod exprobravit hic tibi suo versu
Poeta noster, erubescere hoc noli.
Non es poeta fascinosior nostro.

1694.

Petronii.

At non longa satis, non stat bene mentula crassa,
Et quam si tractes, crescere posse putes.
Me miserum! cupidas fallit mensura puellas,
Non habet haec aliud mentula maius eo.
Utilior Tydeus, qui, si quid credis Homero,
Ingenio pugnax, corpore parvus erat.
Sed potuit damno nobis novitasque pudorque
Esse; repellendus saepius iste mihi.
Dum vivis, sperare decet; tu, rustice custos,
Huc ades, et nervis, tente Priape, fave.

1695.

Tibulli.

Villicus aerari quondam, nunc cultor agelli
Haec tibi Perspectus templa, Priape, dico.
Pro quibus officiis, si fas est, sancte, paciscor,
Adsiduus custos ruris ut esse velis,
Inprobus, ut, si quis nostrum violarit agellum,
Hunc tu — sed taceo; scis, puto, quod sequitur.

1696.

Tibulli.

Quid hoc novi est? quid ira nuntiat deum?
Silente nocte candidus mihi puer
Tepente cum iaceret abditus sinu,
Venus fuit quieta, nec viriliter
Iners senile penis extulit caput.

Placet, Priape, qui sub arboris coma
Soles, sacrum revincte pampino caput,
Ruber sedere cum rubente fascino?
At, o Triphalle, saepe floribus novis
Tuas sine arte deligavimus comas,
Abegimusque voce saepe, cum tibi
Senexve corvus inpigerve graculus
Sacrum feriret ore corneo caput!
Vale, nefande destitutor inguinum,
Vale, Priape: debeo tibi nihil.
Iacebis inter arva pallidus situ,
Canisque saeva susque ligneo tibi
Lutosus affricabit oblitum latus.
Sceleste penis, o meum malum grave,
Gravi piaque lege noxiam lues.
Licet querare, nec tibi tener puer
Patebit ullus, imminente qui toro
Iuvante verset arte mobilem natem,
Puella nec iocosa te levi manu
Fovebit apprimetve lucidum femur.
Bidens amica Romuli senis memor
Paratur, inter atra cuius inguina
Latet iacente pantice abditus specus
Vagaque pelle lectus annuo gelu
Araneosus obsidet fores situs.
Tibi haec paratur, ut tuum ter aut quater
Voret profunda fossa lubricum caput.
Licebit aeger angue lentior cubes,
Tereris usque, donec ah miser miser
Triplexque quadruplexque compleas specum.
Superbia ista proderit nihil, simul
Vagum sonante merseris caput luto.
Quid est, iners? pigetne lentitudinis?
Licebit hoc inultus auferas semel,
Sed ille cum redibit aureus puer,
Simul sonante senseris iter pede,
Rigente nervus excubet lubidine,
Et inquietus inguina arrigat tumor,

Neque incitare cesset, usque dum mihi
Venus iocosa molle ruperit latus.

1697.

Priapus.

Vere rosa, autumno pomis, aestate frequentor
Spicis: una mihi est horrida pestis hiems.
Nam frigus metuo et vereor, ne ligneus ignem
Hic deus ignaris praebeat agricolis.

1698.

Priapus.

Ego haec, ego arte fabricata rustica,
Ego arida, o viator ecce, populus
Agellulum hunc sinistra, tute quem vides,
Herique villulam hortulumque pauperis
Tuor malasque furis arceo manus.
Mihi corolla picta vere ponitur,
Mihi rubens arista sole fervido,
Mihi virente dulcis uva pampino,
Mihi glauca duro oliva cocta frigore.
Meis capella delicata pascuis,
In urbem adulta lacte portat ubera,
Meisque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit aere dexteram,
Teneraque matre mugiente vaccula
Deum profundit ante templa sanguinem.
Proin, viator, hunc deum vereberis
Manumque sorsum habebis. Hoc tibi expedit:
Parata namque trux sine arte mentula.
Velim pol, inquis: at pol ecce! villicus
Venit, valente cui revolsa brachio
Fit ista mentula apta clava dexterae.

1699.

Priapus.

Hunc ego, iuvenes, locum villulamque palustrem,
Tectam vimine iunceo caricisque maniplis,
Quercus arida, rustica fabricata securi,
Nutrivi magis et magis, ut beata quotannis.
Huius nam domini colunt me deumque salutant,
Pauperis teguri pater filiusque *coloni*,
Alter adsidua colens diligentia, ut herba
Dumosa asperaque a meo sit remota sacello,
Alter parva ferens manu saepe munera larga.
Florido mihi ponitur picta vere corolla,
Primitus tenera virens spica mollis arista,
Luteae violae mihi luteumque papaver
Pallentesque cucurbitae et suaveolentia mala,
Uva pampinea rubens educata sub umbra.
Sanguine hanc etiam mihi (sed tacebitis) aram
Barbatus linit hirculus cornipesve capella.
Pro queis omnia honoribus haec necesse Priapo
Praestare et domini hortulum vineamque tueri.
Quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas.
Vicinus prope dives est negligensque Priapus.
Inde sumite. Semita haec: deinde vos feret ipsa.

1700.

Catulli.

Hunc lucum tibi dedico consecroque, Priape,
Qua domus tua Lampsaci est, quaque silva, Priape:
Nam te praecipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia caeteris ostriosior oris.

1701.

Ad Sabellum.

Hortis Hesperidum, Sabelle, cultis
Nostrae cultior hortus est puellae.

Mirari o bone desinas, Sabelle:
Hortorum deus ipse nam Priapus
Cunctis hunc fodit et rigat diebus.

1702.

Hortorum custodi, vigili, conservatori propaginis villicorum.

Dum tua pomiferum custodia proteget hortum,
  Terror et infestis furibus inguen erit,
Lampsacios melior non inbuet hostia cultros
  Quam veniet nostra victima caesa manu.

1703.

Quidnam, quid rapis, o puella furax?
Ne ramos traheres, tibi haec ferebam.
Sed posthac caveas, feras quid horto:
Obduxi licet arma, sum Priapus.

1704.

Genio numinis Priapi potentis pollentis invicti Iul. Agathemerus Aug. lib. a cura amicorum somno monitus.

Salve, sancte pater Priape, rerum,
Salve, da mihi floridam iuventam;
Da mihi, ut pueris et ut puellis
Fascino placeam bonis procaci
Lusibusque frequentibus iocisque
Dissipem curas animo nocentes,
Nec gravem timeam nimis senectam,
Angar haud *miser*ae pavore mortis,
Quae ad domus trahet invidas *Av*erni,
Fabulas Manes ubi rex coercet:
Unde fata negant redire quemquam.
Salve, sancte pater Priape, salve.

Convenite simul, quot estis, *om*nes,
Quae sacrum colitis *ne*mus, *pu*ellae;
Quae sacras colitis *a*quas, puellae,
Convenite, quot estis, atque bello
Voce dicite blandula *Pria*po,
Salve, sancte pater Priape, rerum.
Inguini oscula figite, inde mille
*Fasci*num bene olentibus coronis
*Cingi*te illi, iterumque dicite omnes
Salve, sancte pater Priape, rerum.
Nam malos arcens homines cruentos,
Ire per silüas dat ille vobis
Perque opaca silentia incruenta.
Ille fontibus arcet et scelestos,
Inprobo pede qui sacros liquores
Transeunt faciuntque turbulentos,
Qui lava*nt*que manus, necante multa
Invocant prece vos, deae pu*ellae*.
O Priape, fave alme, dicite *om*nes
Salve, sancte pater Priape, *salve*.

O Priape, potens amice, salve,
Seu cupis genitor vocari et auctor
Orbis aut physis ipsa Panque, salve.
Namque concipitur tuo vigore,
Quod solum replet aethera atque pontum.
Ergo salve, Priape, salve sancte.
Saeva Iupiter ipse te volente
Ultro fulmina ponit atque *se*des
Lucidas cupidus suas relinquit.
Te Venus bona, fervidus Cupido,
Gratia et geminae colunt sorores
Atque laetitiae dator Lyaeus:
Namque te sine nec Venus *placens* est,
Gratiae illepidae, Cupido, Bacchus.
O Priape, potens amice, salve.

Te vocant prece virgines pudicae,
*Zo*nulam ut solüas diu ligatam,
Teque nupta vocat, sit ut marito
Nervus saepe rigens potensque semper.
Salve, sancte pater Priape, salve!